


Ex-Libris
PODHORCE

AGRY. GR.







De
Politica Hominum Societate
Libri Tres

Auctore

Aarone Alexandro Olizarovio
Iurium Doctore, et eorundem in Alma Universitate Vilnensi Professore, ordinario Serenissimi Principis Neoburgensis Consiliario.



Severin Rzewuski

Dantisci,
Sumptibus Georgii Forsteri S.R.M. Bibliopolæ
Anno 1651.

Cum privilegio S.R.M. Poloniæ et Sueciæ.



Illuſtriſsimo ac Celſiſsimo Domino,

DOMINO

CASIMIRO LEONI SAPIEHA,

Procancellario Magni Ducatus Lituaniæ, Slonimenſi, Volpenſi, Luboſzanenſi. &c. &c.

GUBERNATORI,

Domino & Patrono ſibi æternum colendo.

SÆPE multumque mecum ſoleo, Heroum optime, cogitare, quid ſit, quod homines quævis alia potiùs, quàm literas, ingenuaſque diſciplinas expetant: Idque non ſolùm vulgus, aliique è plebe promiſcui, qui cum *Epicuro* & pecore ventre maximum bonum, cæteriſque corporis gaudiis definiunt, ſed etiam dynaſtæ, majorumque gentium

principes. Quis enim non videt, plurimos de apice nobilitatis, ortuque illuſtri heroes, adeo infenſos eſſe infeſtoſque literis, ut in earum perniciem Catilinariam conjurationem iniiſſe videantur, homineſque illis deditos, tanquam telluris inutile pondus contemnant, ac viliores habeant aulicis turmis, & menſariis adulatoribus, quod genus hominum, decoquendis opulentarum familiarum patrimoniis, ſuperba ſtulti infeliciſque ſæculi ambitio deſtinavit. Vix eſt aliqua aula, præſertim potentum, in qua non ſexcenti, pro maximis ſtipendiis, ſomno dies, noctes *Baccho* ducant vigili. Nam ſingularis cujuſdam magnificentiæ eſſe creditur, totas opes in otioſam turbam nulliuſque frugis homines profundere. At verò pauci nimis ſunt, qui foveant eruditos, & his pauciores, qui eos præmio aliquo dignos eſſe cenſeant. Atque inde eſt, quod his ſeculis honeſtiſſimæ diſciplinæ jaceant, vitia verò ac ma-

læ

læ artes triumphent. Nec mirum, quia ſublato rerum optimarum præmio, omne certamen ad turpia, multo honore quæſtuque vigentia transferri neceſſe eſt.

Cauſam hujus rei non aliam invenio, quam quod literas, alii nobilitatis labem, alii hominum otioſorum nugas, alii etiam cum *Licinio Imperatore*, peſtes eſſe reipub. exiſtiment. Quorum opinio non modo temeraria, ſed etiam ſtulta ſemper habita eſt, eamque & priſca vetuſtas, & doctiſsimorum hominum volumina, & maximorum heroum exempla, redarguunt. Nam (ut alia taceam) apud Romanos teſte *Paulo Niavi*, nemo ſatis in re militari præſtans videbatur, qui non ſimul in literis quoque eſſet excellens, à quibus majori honore afficiebantur, qui rem literariam; quàm qui imperium propagabant. Etenim viros militares, & gladio defendentes patriam, homines regios, eos verò, qui literas exornabant, divinos appellabant.

bant. Nec fortaſsis injuriâ, quia ſemper plus ſapientiâ, quam lanceâ, partum eſt in omni repub: nec lancea ſine ſapientia. Nam *Architas Tarentinus* ſexies dux exercitus, *Meliſsus* multis navalibus victoriis inſignis, *Socrates*, *Plato*, *Xenophon*, *Pericles*, *Epaminondas*, *Themiſtocles*, cæteraque Græciæ propugnacula; *Scipio*, *Lucullus*, *Fabius*, *Marcellus*, *Julius*, *Auguſtus*, Romani imperii columina, non tantùm armorum, ſed etiam literarum laude floruerunt. *Alexander* verò ille, cujus bellicæ laudes iiſdem finibus, quibus mundus terminantur, non illa ſua doctrina, quâ eum *Ariſtoteles* decem annis inſtituit, nec uno aliquo, aut paucis eruditis ſociis fuit contentus, ſed quaſi cohortes doctiſsimorum hominum ſemper ſecum duxit. *Alexandri* exemplum ſecutus *Alphonſus ſenior*, *Calabriæ dux*, *Alphonſi regis* avus, nunquam ſine doctis & ſine libris in expeditionem proficiſcebatur. Exiſtimabat enim bellum, in quo (ut bene qui-

quiſpiam dixit) nemo bis peccat, magis conſilio quam vi procedere. In qua etiam ſententia (ut omittam plurimos) fuit *Caliſtus III. Pontifex Maximus*, qui, cum multi timerent, ne à *Jacobo Picinino* bellum moveretur, timidos bono animo eſſe jubebat, dicebatque, habere eccleſiam Chriſti tria millia, & amplius, literatorum hominum, quorum conſiliis ſapientiâque omnes omnium ſimul *Europæ* ducum conatus facile reprimi atque contundi poſſent.

Quòd ſi literæ tantùm præſtent adjumenti ſago, quantùm eas togæ præſtare credendum eſt certè ſine adminiculo illarum nec publicè quidquam nec privatim ſatis feliciter cedit: imo ut viſum eſt melioribus atque ad ſapientiam natis animis, ne vivere quidem ſine illis more humano hominibus licet. Sublatâ enim (ut *Tullius* loquitur) cognitione & ſcientia, tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ, & rerum gerendarum. Multi quidem in ea

ſunt

ſunt ſententia, ut humanitatem, & prudentiam, non ſolis eruditis, ſed etiam literarum imperitis tribuant: verùm hoc judicium maxime eſt illorum, qui bonas literas ne à limine quidem ſalutarunt, quod quanti faciendum eſt, orbis judicio relinquo, quamvis juxta luculentum comici teſtimonium: *Illiterati quod vident, id non vident, literati duplo acutius vident.* Quod cum perſuaſum haberent viri illi, quorum nomina literæ immortalitati conſecrarunt, nihil literatis carius habuerunt. *Homero Ptolomæus Philopater* templum dedicavit: *Platoni Dionyſius* in *Siciliam* venienti vittatam navem obviam miſit, & in littore quadrigis albis excepit. Eundem *Platonem Aniceris Cyrenæus* ab *AEginetis* captum redemit, pecuniamque à *Platone* remiſſam repudiavit, dolens ſe non eâ ſumma in *Platonem* liberalem fuiſſe, quam reddere *Plato* non poſſet. *Philippus Macedo* magis lætebatur, quod ei *Alexander* filius tempore *Ariſtotelis*, magni

magni illius Philoſophi natus eſſet, quam quod natus eſſet. Apud *Alexandrum Magnum* quo loco eruditi fuerint, vel inde licet conjicere, quod cum quidam inſignem ei nunciaturus victoriam dixiſſet, optatiſsimum tibi rex affero nuntium, ille interrumpens, num *Homerus* à mortuis revixit, interrogaverit. Idem quam in doctos liberalis fuerit, teſtis eſt *Ariſtoteles*, *Anaxarchus*, aliique infiniti Philoſophi, munificentiâ illius ſublevati. *Marcus Antoninus Imperator*, *Frontoni* Philoſopho, quem dicendi præceptorem habuerat, ſtatuam erexit. *Scipio Africanus Ennii* ſtatuam ſepulchro ſuo imponi juſsit. *Trajanus* Romam ingrediens, *Dionem Pruſium* curru ſuo honoravit. *Alphonſus Arragonum* & *Siciliæ* rex, non tantum doctos in omni ſcientiarum genere viros amavit, ſed ipſe etiam impenſè bonorum auctorum lectioni operam dedit. *Hiſpanos* quingentis atq; eo amplius annis à ſtudiis humanitatis uſque adeò abhorrentes, ut qui literis operam

impenderent, ignominia propemodum notarentur, ad literarum cultum ſic revocavit, ut rudes propèq; efferatos homines, doctrinâ & eruditione manſuefecerit. Sæpenumero dicere ſolebat, ſe malle regno, quam eruditione carere. *Cæſaris Commentarios* in omnibus expeditionibus ſecum habebat. *Capuæ* dum ægrotus decumberet, lectione *Q. Curtii* ſe curatum fuiſſe aſſeruit. Febricitans cum *Auriſpa* viro doctiſsimo, multa de literarum ſtudiis diſſeruit. In urbium direptionibus libri ex præda omnes ad eum magni muneris inſtar deferebantur. Librum denique apertum pro ſuo inſigni gerebat. *Clotarius Sadragoſillum* ludimagiſtrum, quod *Dagoberti* filii ſui adoleſcentiam inſtituiſſet, *Ducatu Aquitanico* donavit. Atque hanc inter præcipuas cauſas docti viri numerant, cur priſca illa virtutique amica ſæcula, plures literatos, quam hæc noſtra tulerunt, quod nimirum major eruditorum fuerit æſtimatio, & ſecundum

illam

illam majores etiam facultates. Nam ut disertè *Paulus Manutius* in sua epistola ad *Decentianum* dicit: Opes & fortuna ad literas pertinent vel maximè: cursum enim ingeniorum retardat, vires debilitat ac frangit inopia. Certè non *Aristoteles* aut *Plato*, illa Græciæ lumina, nec *Cicero* aut *Plinius*, tam multa literis mandare potuissent, nisi summum illis otium, rerum omnium affluentia peperisset. Domi alebant servos eruditos: contubernales habebant eximiis præmiis accersitos ex ultimis terris, rhetores, historicos, præstantis ingenii, singularis doctrinæ philosophos, cum his se quotidie exercebant, commentabantur, disputabant: horum omnium operâ quatenus liberet, utebantur. Longiùs nonnihil processi disputando, deque temporum in literas iniquitate querendo. Sed apud illum, cui curæ est fama temporum, quique meritò inter literalia sæculi bona numeratur. Nam ut patriç & religionis, ita

 etiam

etiam literarum tutela divinitus Tuæ Illustrissimę domui Mœcenas Amplissime videtur esse commissa. Ut enim taceam alios, Illustrissimus Celsitudinis Tuæ Parens, immortalis ille memoriæ heros, summus Palatinus, idemq; summus imperator, cujus heroicas virtutes ac facta, & præsens ætas admiratur, & omnis, quæ futura est, loquetur posteritas, ille, inquam, publico bono natus dynastes, quid non causa religionis, cujus acerrimus semper fuit propugnator, fecit? in Senatu potentissimis ejus adversariis fortissimè restitit: templa magnifica multis in locis excitavit, in plurimis restauravit, auxit reditibus, sacris vestibus ornavit, pretiosa supellectile ditavit. Idem quantum patriam tam consiliis quam armis tutatus est, quis, prę sertim hoc loco, dignè commemoraverit? Arma illius cum omnes patrię hostes sensêre, tum prę cipuè *Moscus*, qui ingenuè fatebatur, solum *Leonem Sapieha* sibi esse terribilem: at verò con-

consilia prædicat patria, quibus etiamnum in acceptis refert, quicquid justi habet, quicquid legitimi respublica. Nam cum sapientissimus imperator intelligeret, imperatoriam dignitatem, non solùm armis decoratam, sed etiam legibus debere esse armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari, maximo studio in leges patriæ incubuit, multisque illarum correctis, reliquas in luculentam erexit consonantiam, ac in optimum ordinem digessit, quod opus magnum profectò est eximiæ ejus eruditionis argumentum. Ut autem ipse singulariter fuit eruditus, ita quoque ad eos honestandos, qui se optimis artibus dediderant, singulare suum studium conferebat. Atque is imperator Te, Illustrissime Domine, felicissimum sidus, & reipublicæ salutare, progenuit, qui tanto patre genitus, non solum rerum, sed virtutum quoque illius, & gloriæ verus hæres existis.

Quam rem plurimis confirmare possem exemplis, si mihi per verecundiam tuam liceret, aut prolixa laudatio epistolæ conveniret: id solùm dico, nulli tantum his temporibus patria, nulli religio, nulli literæ, quantùm Tibi debent. Te unicum tutamen, Te habent præsidium, qui non minùs in sago, quam in toga, pro illarum incolumitate excubas, parùm ratus erogare opes, nisi quoque laterum, corporisque sui opposítu defendas. Ex quo veriùs, nunc patria Tibi, quàm olim Roma suo *Julio Cæsari* tribuit elogium. Ex utroque, cum à Te, & ornamenta pacis, & præsidia belli habeat. Inter pacis decora; lucet inprimis Tua singularis eruditio, optimarumque artium scientia, quorum studio certas cum *Alexandris, Trajanis, Alphonsis*, & si qui alii fuerunt in literas literatosque propensi. Clamat id vel ipse nullis tacendus sæculis *Tacitus*, manibus Tuis in tanta publicarum mole curarum detritus:

cla-

clamant infiniti libri à Te diligentiſsimè evoluti; clamant inclytæ aulæ Tuæ famuli, viri non minùs virtute, probitate, morumque elegantiâ, quàm omnis generis ſcientiis conſpicui, inter quos Tu alter *Apollo* & *Phœbus*, alter ut matutinum coruſcas aſtrum. Ad eadem ornamenta (ut plurima taceam) illa quoque ſæculis omnibus prædicanda pertinet munificentia Tua, quâ pulcherrimum donum generi mortalium dediſti, quaque *Aſtræam*, novaſque Muſas Vilnenſi civitate donaſti. Erunt erunt illę perennia liberalitatis, magnificentiæ, gloriæque Tuæ monumenta, pyramidum ſitu altiora, fortunæ imperio majora. Nam quamdiu urbs hæc ſtabit, quamdiu patria, quamdiu genus humanum & literæ durabunt.

Semper honos nomenque Tuum, laudeſque manebunt

Ut *Leo Decimus*, pulcherrimâ famâ dicitur Pontifex reparandis natus literis in *Italia*, ita

ita Tu *Leo Secundus*, iiſdem natus propagandis, diceris Princeps in tua Patria, quam nunquam rudium & idiotarum ignobile nomen infamabit, ſi Academia noſtra Vilnenſis, ſub Tuo clypeo & tutela, ſi inquam, hoc Muſarum domicilium, tot Principum, tot Præſulum, tot clericorum, tot religioſorum, aliorumque præſtantiſsimorum in repub. virorum ac luminum mater, protegatur, conſervetur, augeatur. Cujus exigua ego infimaque particula, hunc qualemqualem laborem meum, quem publicæ lucis juriſque facio, Illuſtriſsimæ Celſitudini Veſtræ, Cui me omniaque mea debeo, dicatum ſacratumque eſſe volō. Exiguum eſt munus, ſed ab exiguo, cujus gratitudinem, quæ Celſitudinis Tuæ humanitas eſt, animo potiùs quam re æſtimabis, librumque hunc ſub Illuſtriſsima tua tutelâ diem videre permittes. Ego interim Deum Optimum Maximum intimis

mis venerabor precibus, ut Illustrissimam Celsitudinem Vestram diu servet semper incolumem & felicem. Dabam Vilnæ Kalend. August: Anno Domini 1650.

Illustrissimæ Celsitudini Vestræ

Devotus Cliens

AARON ALEXANDER OLIZAROVIUS.

CANDIDO LECTORI.

VT ingenium, ita & stylus non est omnibus scriptoribus idem, Lector Benevole. Quibus facilius est ingenium, araneas plerumque imitantur, quæ opera sua ex se ipsis conficiunt: qui verò minus eodem valent, similes sunt apibus, confectum jam mel de floribus colligentibus. Inter hos posteriores me quoque postremum esse facile agnosco, qui in tres istos de Politica hominum societate libros omnia fermè ex aliis auctoribus transtuli, phrasi etiam illorum quoad licuit servatâ, tum quia magnorum virorum etiam verba magnum habent pondus apud eruditos, tum quia usitatum est Iureconsultis, eorum scriptorum loqui verbis, quorum auctoritate nituntur.

C A R M È N

Clarissimi Iurisconsulti, Domini

SIMONIS DILGER

Morenweisensis Bavari, in Academia Vilnensi Jurium Antecessoris, in libros de Politica Hominum Societate, à suo COLLEGA conscriptos.


N iterum dubita cernens florere nocentes
Vexarique pios, stimulari in prælia gentes
Impunè, antiquas unà cum civibus urbes
Everti, vendi leges, fraudesque clienti
Innecti passim, transiri fœdera, ad aras
Ense sacerdotum celebrantia colla recidi,
Ipsas exuri, cœlum parere magię,
Fœdarique toros, num nulla vel inscia nostri
Numina sint, casuque ingens aut arte regatur
Orbis, & an vitium pœnas, sua præmia virtus
Sint habitura, aliquid nostri post fata supersit.
Nox erat, & cœlo radiabant astra sereno,
Curarum requies homines sopor altus habebat,
Solus ego vigili spectavi sidera vultu,
Tam vasti quo sit miratus machina mundi
Incorrupta modo, tot jam servata per annos,
Nec confusa semel, quamvis tot corpora volvat,
Quamvis diversis rapiantur motibus orbes
Stelliferi, oppositis sint prædita viribus astra,
Haud tamen exitium sibimet sedive beatę
Hactenus attulerint, mundi inferioris & ipsa
Supposita ambiguę vastârint corpora lunæ:

 Porrò

Porrò mole ſua ſtellas excedere terram,
Hanc lunam, quamvis illæ ſint judice viſu
Ut gemmæ clypeos aptæ diſtinguere lunam:
Quæque latent majora putans poſt ſidera, quę dum
Solicita indago ſemper fugientia mente,
Ecce tibi ſubitâ vi retro impellitur Arctos,
Diffugiunt ſtellæ ardentes, cœlumque pateſcit.
Obſtupeo viſum, ceu circumventus ab hoſte
Sævo, atque aſpiciens, medio ſuper æquore ventis
Concuſſę navis lacerari vela magiſter.
Incidit, an forſan ceſſiſſent ſidera, vindex
Fortiùs ut poſſit cordi intorquere ſagittam
Jupiter, ætheriam tunc cùm propendimus intus
Arcem, judicium quòd non reſponderit illi:
An verò, cum jam triſtetur dira Megæra
Se vitiis hominum vinci, ſua fulmina totum
Eſſet an illæſo cœlo ſparſurus in orbem.
Atque hæc dum fruſtra volvo, trepiduſque revolvo,
Ecce Jovem ſubitò ſolito ſediſſe receſſu
Cœlicolûm magna circumcingente coronâ
Aſpicio. Mora nulla fuit, cùm terque quaterque
Concutiens illuſtre caput ſic fatus ab alto eſt.
Ergo Aquila ætherię pridem gratiſſimus aulę
Auſtriaca ad tempus ſupra vineta reſidat,
Magnanimuſque Leo, noſtrę cuſtodia Romæ
Adverſus Boream, generoſos contrahat ungues,
Nec ſtrepat invicta funeſta è buccina Turri,
Alba nec inficiant ſe Lilia ſanguine, ferrum
Condat & Heroum genitrix Aquilonius orbis.
Tu tamen interea Mavors ne pone furorem,
Turba Aſiam, & duro bello confunde Britannos.
Vix ea dicta dedit, cùm ſe Cyllenius ales
Infert concilio medium, cui Jupiter, anne
Concilio hoc dignum fili quid ab orbe tuliſti?

Anne exacturum dotem dominator Averni
Ut quondam viduus nostram te misit ad arcem?
Ille refert, dotem non poscit rector Averni,
Ne timeas blandè tractatur filia, doti
Imputat ille viros Arctoo Marte peremptos,
Diversoque aliàs bello cum Turribus altis
Quos Aquila attrivit concussis fortiter alis,
Discerpsitque Leo, fudit Lithuana juventus
Nuper & Adriaca. Huic doti modò, supplicat, addas,
Ut per te strictus fiat spatiosior Orcus.
Finierat Natus. Fiet, Pater inquit, Averno
Ne gener, ut quondam viduus, confundere Olympum,
Et veteres patris tentet laxare catenas.
Quippe hoc si fiat, nunquam trepidârit Olympus
Tantum. Nam gentes modò sunt quæ lumine sicco
Aspiciunt cædi Reges simulachra Deorum,
Hę promptè Diti conjungant arma feroci,
Ut quoque me cæso regeretur pluribus axis.
Subjicit his Natus, cùmque hæc mandata dedisset
Dux Erebi, velox superas evado sub auras,
Sarmatiam versus, tellus ubi terminat æquor.
Teutonicum, innumeræ stant ordine littore puppes,
Huc quibus occiduus, quidquid parit, advehit orbis,
Quod rursus fidis manibus dispensat in Ortum
Urbs juxta insignis Latialisque æmula Romæ
Non armis ulli Crœso cessura nec auro,
Magna tui cultrix & servantissima Justi
Nomine Dantiscum. Nos hanc intramus, & illa,
Sub qua centoculum quondam excæcavimus Argum,
Forma directè Fortunę tecta subimus,
Hîc ubi magnorum generosè gesta virorum,
Sarmatię seros quondam accensura nepotes,
Perpetuat pariter Forsterus Apolline natus:
Hîc ubi doctorum magna arte cerebra virorum

Diſtillata jacent famam paritura parenti,
Et cum præſenti mundum doctura ſequentem,
E quibus, Europæ cauſam quòd tractet & axis,
Arripui hoc unum, cum dicto promit & offert
Submiſso vultu patri, pater accipit illo
Et luſtrat vultu, quo terram axemque ſerenat.
Nec mora longa fuit, cum ſceptro innixus eburno,
Et diadematus ſolio ſic infit ab alto.
Cœlicolæ magni, dum vos mundumque guberno,
Multę animos curæ veſtros anxêre meumque,
Prima erat Enceladus, viduus Dis altera, Mundi
Tertia luxuries, proles Climineïa quarta:
His mea ſucceſſit Roma, huic Europa furore
Concita nuper, at has facili ſuperavimus arte.
Fulmen opus noſtrum eſt, generoſaque pectora, & undę,
Illo ſideream ſcitis ſervavimus aulam
Enceladum audacem adverſus Phœboque creatum,
Legiferæ Cereris Natâ pacavimus Orcum,
Merſimus impurumque genus mortale ſub undis,
Marte ſato Romam facilè olim ereximus urbem,
Auximus Auguſto, Fabio ſervavimus, & nunc
His genitis iterum Europam ſedavimus, omnes
Nam noſtra mecum ſpectaſtis nuper ab arce
Sarmatiæ Regem, Divûm genus, obvius hoſti
Innumero cùm ſe ferret comitante Leone
Lithuano, intrepiduſque ſuum accenſurus obiret
Agmen fulmineo vibrato fortiter enſe,
Illo alibi interea Scythicas ſternente catervas:
Spectaſtis dico nuper factumque probaſtis,
Cùm rem Polonam magno turbante tumultu
Siſtebat, regni cùm primò aſſumpſit habenas.
At nunc quid faciam? Bello durante remiſſo
Excidit armorum ſtrepitu ſuus urbibus ordo,
Diſciplina, Deûm cultus, reſpectus honeſti,

Cura

Cura juventutis, communis cura ſalutis,
Succeſſére loco, diſcordia, furta, libido,
Contemptus noſtri, cum fraude ſuperbia, luxus,
Venditio legum, privati cura peculî,
Scilicet à caſtris ut non inſignibus urbes
Differrent. Huic unde malo medicina petetur
Conſultum non eſt nobis hac ſede relicta
Viſere mortales poſita gravitate Deorum.
Notus Echionides Baccho eſt, nobiſque Lycaon,
Tantaleæ Venus horret adhuc convivia menſæ,
Odit adhuc Paridem cum Pallade Juno ſub Ida,
Latona à Lyciis paſſa eſt, Actæona Phœbe.
Se vidiſſe dolet, noctem ſibi Atlanta negaſſe
Perſeus, à Batto ſibi propria prodita furta
Mercurius, terras contempto Aſtræa reliquit,
Nec ſine nunc lepra eſt mundus, manet illa propago,
Sunt Batti, Parides, Lycii, injuſtique Siſamnes,
Rufini, Eutropii, Atlantes, vivitque Lycaon.
Numinis hi mallent cædem, quàm Cæſaris iram.
Hinc quis non timeat terras. Sed ponite curas
Cœlicolę, cœlo tuti remanebimus, iſto
(Cum dicto titulum libri nomenque parentis
Prælegit) iſto inquam communis cura ſalutis,
Diſciplina domo, pulcher ſuus urbibus ordo,
Judiciiſque vigor, veterum cuſtodia legum,
Debita virtuti merces, ſua pœna ſceleſtis,
Hactenus egreſſi mentes diſtinctio cultûs,
Cura juventutis, miſerorum cura clientum,
Ornatus templis, noſtri reverentia, honeſti
Reſpectus populis, majeſtas priſtina regnis,
Ut poſtliminio cœlo gaudente redibit,
Florebitque iterum felix, ut floruit ante
Sex luſtra abjectis armis Europa magiſtro.
Dixit, & extemplo Junoni porrigit, illa

Accipit

Accipit & luſtrat vultu quo nupſerat illi.
Mox bene laudatum reliquis Dîs porrigit, illi
Certatim luſtrant, laudant, placet uſque morari,
Et dignum, tellus, dignum, cui ſerviat æther,
Aſſerere autorem, decernere præmia, Mavors
Dat clypeum, formamque Venus, vinumque Lyæus,
Triptolemus currum, jungit Sol aureus aurum,
Arva Ceres, addit Pallas ſua munera Muſas,
Et quo quiſque Deûm meruit ſibi thuris honorem.
Ergo, ſubjungit Pater, immortale putatis
Vos compenſari terreno munere poſſe?
Et tu cum clypeo quid Mars? Non indiget ille
Numinibus noſtris tutus, Cythereaque formam
Formoſo Paridi promittis, pignora mentis
Excelſæ num non hoc indicet, aſpice, vultu,
Tu quoque littoribus ſiccis mea Pallas arenas
Adjicis & noſtro ſtellato ſidera cœlo,
Ille Deos didicit, Naturam, Jura, quid ergo
Artis opus dono? Nil jam conferre valebis.
Ergo quid his majus decerne Themiſtia proles
Aſtræa autori noſtro, te judice ſceptra
Transfero, diſtribuo cœlum, caſtigo nocentes,
Tu cum ſola Themi noſti quid jura, quid æquum.
Nam Venus in lecto, Mavors ad tympana, currum
Triptolemus, falcemque Ceres, Pan magnus ovile,
Ad telam Pallas, liquidas Neptunus ad undas,
Phœbus ad incurvos arcus, ad pocula Bacchus,
Et ſtratura feras inter venabula Phœbe,
Non didicit leges noſtras, nec diſcet, & inde
Præmia quî merito ſtatuet pœnamve nocenti.
Hæc ubi dicta dedit, ſic ora Aſtræa reſolvit.
Rex hominum, Divûmque pater, qui numine torques
Aſtra tuo, & terras, & crebro fulmine terres,
Ut rata magnorum maneant oblata Deorum,

Cum

Cum cœlo terra Europæa reſerviat illi,
Ductaque jam vitæ Lacheſis ſua fila retexat,
Quô felix annis annoſum Neſtora vincat,
Tum cœtus noſtri pars intret ſidera, mundi,
Quas alios docuit, tecum recturus habenas;
Interea pretii famâ ſuper æthera ferri
Illi pars ſit, ea eſt animi ſententia noſtri.
Aſſenſêre Deæ cuncti, pater annuit ipſe,
Et placido nutu totum recreavit Olympum.
Tum ſurgunt intraque Jovem ſua limina ducunt
Cœlicolę, pulcher poſt quos inceſſit Apollo,
Increpuitque lyra firmans promiſſa Deorum.

NOMINA AUCTORUM,

qui in his libris bona omnes fide citantur.

A.

Accursius.
Acron.
Acteius Capito.
Ægidius Corrozetus.
Ælianus.
Æneas Sylvius.
Aimon.
Alciatus.
Alexander ab Alexandro.
S. Ambrosius.
Ambrosius Marlianus.
Ammianus Marcellin.
Andreas Fricius.
Andreas Gaill.
Andreas Rivetus.
Andreas Tiraquellus.
Angelus.
Antonius Mirandula.
Appianus.
Aristoteles.
Arrian. Nicomed.
Athenæus.
Auctor de exped. Reg. Dan.
Auctor Epist. ad Primer.
Auctor Convival. serm.
Aventinus.
S. Augustinus.
Aulus Gellius.

B.

Balduinus Brechæus.
Baldus.
Baptista Platina.
Baptista Fulgosus.
Bartholomæus Keckermannus.
Bartholdus.
Belloforestus.
Benedictus.
S. Bernardus.
Bernardus Bauhusius.
Berosus.
Biblia Sacra.
Boterus.
Brusonius.
Budæus.
Busbequius.

C.

Cælius Rodiginus.
C. Cæsar.
C. Sallustius.
C. Suetonius.
Carolus Scribanus.
Cassiodorus.
Catullus.
Cedrenus.
Cepola.
S. Chrysostomus.
Claudianus Poëta.
Clemens Alexandrinus.
Codrus Vrceolus.
Columella.
Contarenus.
Cornelius Agrippa.
Cornelius Tacitus.
Crantzius.
Cuspinianus.
S. Cyprianus.

D.

Dantes Florent.
Demosthenes.
Didacus Covarruvias.
Diod. Sicul.
Diod. Tulden.
Diogen. Laërt.
Dio Cassius.
Dionys. Halycarn.
Duarenus.

E. Egna-

E.

Egnatius.
Ennius.
S. Ephrem.
Erasm. Roter.
Eryc. Putean.
Euripides.
Eusebius.
Eustathius.
Eutropius.

F.

Fabius Quintilian.
Felinus.
Festus Pompeius.
Flavius Blondus.
Franciscus Aretinus.
Franciscus Barbarus.
Franciscus Conanus.
Franciscus Patricius.
Franciscus Petrarcha.

G.

Galenus.
Gemistius.
Georg. Schönborn.
Gesnerus.
Gratianus.
S. Gregorius.
Gregorius Nazian.
Gregorius Turonen.
Guido Papæ.
Guil. à Mont.

H.

Henn. Arnisæus.
Heraclydes.
Heresbachius.
Herman. Vulteius.
Herocles.
Herodianus.
Herodotus.
S. Hieronymus.
Hieronym. Cardan.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Hostiensis.
Hubert. Leodius.
Hugo.

I.

Iacobus Crucius.
Ianotus.
Innocentius.
Ioach. Mynsinger.
Ioan. Moseus.
Ioan. Nevizan.
Ioan Ravisius.
Ioan. Oldendorp.
Ioan. Bodin.
Ioan. Cassianus.
Ioan. Casus.
Ioan Stigelius.
Ioan. Heroldus.
Ioan. Lenecius.
Ioan. Fab.
Ioseph. Iudæus.
Iovius.
Isidorus.
Isocrates.
Iul. Cæsar.
Iul. Firmicus.
Iul. Capitolin.
Iul. Pollux.
Iunius Rusticus.
Iustinianus Imp.
Iustus Lipsius.
Iuvenalis.

L.

Lactantius.
Lampridius.
Lancellotus.
Laurent. Beyerlinck.
Lemnius.
Leo Papa.
Leo Imperat.
Lucanus.
Lucas Penna.
Lucianus.
L. An. Seneca Philos.
L. Apuleius.
Ludovicus Molina.
Ludovicus Vives.

M.

Macrobius.
Majoragius.
M. T. Cicero.
M. A. Muretus.

Vitru-

INDEX CAPITUM.

Quæstiones Procemiales.

LIBER PRIMUS

De Domo.

Caput

LIBER SECUNDUS.

De Civitate.

LIBER TERTIUS

De Republica.

PROOEMIVM.

Qvemadmodum inter cæteras artes, atq; disciplinas primum potissimumq; locum obtinet Philosophia, ita inter ejusdem Philosophiæ partes princeps est illa, quam Græci Politicen appellarunt. Etenim cæteræ Philosophiæ partes, aut in nuda sistunt rerum contemplatione, aut si hanc prætergressæ ad opus se extendunt, privatum in eo magis cujusque bonum, quàm publicum respiciunt. At verò hæc nunquam otiosa est, nunquam non in opere, nunquam non de universæ reipub. salute atque incolumitate solicita est. Hæc docet Monarchas, instruit optimates, populis præcepta tradit gubernandi: Hæc pacis custodit ornamenta, hæc subministrat belli præsidia, hæc fecialia jura temperat: Nullus sine hac legatus, nullus princeps, nullus magistratus, nullus legislator, rectè atq; ex optimo publico munus suum exequitur: Per hanc & cum hac, scire licet, quid unicuique in repub. deligendum, quid fugiendum sit, quid Magistratibus, quid privatis, quid parentibus, quid patriæ, quid religioni debeamus: Hæc quomodo se quisque erga cives, quomodo erga peregrinos, quomodo erga amicos vel hostes, quomodo erga liberos vel servos gerere debeat, præscribit. Vt proinde verissimum sit Plutarchi: Virtute Politica præstantiorem nullam homo assequitur 1 *Rectè itaque Iustinianus imperator, Iurisprudentiam, esse divinarum atque humanarum rerum justitiam* 2 *definivit, quatenus videlicet illa jus publicum, quod (ut idem imperator explicat) ad statum reipublicæ spectat, & quod fontes negotiorum civilium, veluti commerciorum & contractuum, aperit. Vnde qui vult verè Iurisconsultus vocari, non debet quiescere in studio solius juris privati, quod versatur in usu quotidiano, & ad singulos pertinet, quo quisque id acquirit efficitque, quod in suam est rem, sed necesse est, ut pari diligentia det operam juri publico, quod potissimum publicam spectat utilitatem. Nam hi*

1 In Catone Majore.

2 §. Jurisprudentia. Inst. de Just & Jure.

NB

3 Bodin. de rep. lib. 1. cap. 2.
4 Lib. 1. de Orat.
5 Ibidem.
6 Lib. 1. de Legibus.
7 Ibidem.

hi soli verè sunt prudentes, soli veluti duces in disputationibus de republica, 3 *& in ejusdem negotiis audiuntur: Soli à Cicerone amplissimi, clarissimi, ac ejus artis antistites* 4 *esse dicuntur: soli merentur, ut eorum domus sint civitatum atque rerumpublicarum oracula.* 5 *Contraleguleji, seu dimidiati illi jurisperiti, qui nimirum de privato tantum jure, & Stillicidiis, & cæteris obularibus commodis curiose disputant, causidici, proclamatores, ac rabulæ ab eodem oratore vocantur, & irridentur. Ego (inquit ille) memini, summos (summos intellige propria opinione, nam & nunc is morbus multis est, ut se primarios dicere non erubescant, qui vix in ultimis consistunt,) fuisse in civitate nostra viros, qui id (jus nimirum privatum) interpretari populo, & responsitare soliti sunt, sed eos magna professos in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum jus civitatis? Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quàm est populo necessarium?* 6 *Et paulo post. Quamobrem (inquit) quo me vocas? aut quid hortaris, ut libellos conficiam de stillicidiorum ac parietum jure? An ut stipulationum & judiciorum formulas componam, quæ & scripta à multis sunt diligenter, & sunt humiliora, quàm illa quæ à vobis expectari puto.* 7

Atque ista non ideò hic retuli, quod parum probem juris privati scientiam, sed ut ostenderem, Iurisconsulto præter privati etiam publici juris studium esse pernecessarium. Et Cicero licet plus publico, quàm privato juri dignitatis tribuat, non tamen carere sua dignitate etiam jus privatum existimavit. Senectuti, inquit, celebrandæ & ornandæ quod honestiùs potest esse perfugium, quàm juris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium jam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut cum me vires (quòd ferè jam tempus adventat) deficere cœpissent, ista ab solicitudine domum meam vindicarem. Quid est enim præclariùs,

clarius, quàm honoribus & reipublicæ muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere id, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi & reges, at omnes sui cives consilium expetant suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex incertis certos compotesque consilii dimitto, ut ne res temerè tractent turbidas. 8 8 Lib, I. de Orat.

Hoc tam præclarum sapientissimi viri exemplum obversari ante oculos deberet nostræ juventuti, quæ nobilissimum Iuris atque Politices studium negligit; quod & utilius, & magis necessarium est, quàm omnes aliæ scientiæ, iis præsertim, qui volunt benè in consiliis ac administratione reipublicæ versari. Quod si quis dicat dictam in studio Iurium negligentiam satis superque compensari cæteris scientiis, cum plurimi non Philosophiæ tantùm, sed Theologiæ quoque diligenter dent operam. Huic ego ita respondeo. Quantùm ad Theologiam attinet, illam magni facio & veneror, sed in sacerdotibus & religiosis, quibus propria est ista sacra scientia; hominibus verò extra sacram statum degentibus minimè existimo esse necessariam. Nihil enim illa, aut certè non multum confert ad munia reipublicæ obeunda, utpote tota circa Deum & divina occupata. Porro Philosophia, ut eam nostri Philosophi discunt, nimis manca est, siquidem solis Logicæ Physicæ ac Metaphysicæ speculationibus ita immoriuntur, ut nunquam, quid patriæ, quid amicis, quid propriæ denique felicitati debeatur, recogitent, nec iis tangantur rebus, quæ inde dictæ sunt publicæ, quod earum cura ad omnes pertineat.

Qua in re quantùm errent, facile quisque perspicere potest. Diogenes ille Cynicus eos, qui cæteris artibus ingenuis eruditi, Philosophia tamen instructi non erant, similes esse dicebat Penelopes procis, qui circa ancillas occupati ipsa domina potiri nequiverunt. Hoc ipsum dici potest, & de illis Philosophis, qui solius ancillantis Philosophiæ partibus contenti, reliquas nobilissimas non discunt. Quos proinde

rectè monet Romanus sapiens, qui sic suum Lucilium, & sub ejus nomine, omnes alios alloquitur: Relinque istum ludum literarium Philosophorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt & conterunt, & id agunt, ut Philosophia potiùs difficilis, quàm magna videatur: Socrates, qui totam Philosophiam revocavit ad mores, hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. 9

9 Epist. 72.

Quamvis autem jurium atq; Politices studium summè utile, summéq; necessarium esse existimem, eos tamen Politicos vehementer execror, qui religionis dictaturam sibi temerè sumunt, & his magis illos, qui teste Thoma Stapletonio 10 *dicunt multa esse tempori concedenda, multa esse pro tempore dissimulanda, publicæ pacis causam ante oculos semper habendam, non esse irritandos crabrones, hæreses istas vel debellari non posse, quia potentes, vel ex animis hominum evelli non posse, quia pertinaces hæretici sunt; vel tantis conatibus impugnari non esse neceße, quia de rebus leviculis contenditur, vel postremò tanti illas non eße, nec tantam in universum religionis curam nobis incumbere, ut pacem publicam, communesque fortunas, vel ad illas reprimendas, vel ad hanc conservandam periclitari sinamus: Quin imò prudentes & Politici viri esse, patriæ & civium suorum commodis ante omnia prospicere, suis rebus consulere: Principum placitis se accommodare, invidias aut simultates superfluas religionis causa non subire, illam curam vel solis clericis ac monachis, vel etiam ipsi Deo relinquere, qui suas injurias, si quas per nova hæc dogmata acceperit, ipsemet ulcisci ac vindicare valeat: In summa id agendum, ne quid respublica vel privata detrimenti capiant: sibi cujusque conscientiam, absque istis certaminibus sanam ac salvam esse posse. Hæ sunt plurimorum hodie Politicorum voces, hæc principia & axiomata, quibus illi nixi religionis causam negligenter tractant, laborantis ecclesiæ patrocinium turpiter deserunt, fidem Catholi-*

10 In Promptuario Cathol.

tholicam hostibus nefariè produnt, & penitus profligandam relinquunt. Sic olim Ethnici & Pagani suam falsam religionem colebant, ut testatur S. Augustinus, qui hæc eorum verba profert. Tantùm stet (inquiunt) tantùm floreat, copiis referta, victoriis gloriosa, vel quod est felicius, pace secura sit respub. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet, si divitias quisque semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior: Obsequantur divitibus pauperes caussa saturitatis, atque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur, divites pauperibus ad clientelas, & ad ministerium sui fastus, abutantur: Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum: Non jubeantur dura, non prohibeantur impura: Reges non curent quàm bonis, sed quam subditis regnent: Provinciæ regibus suis, non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus & deliciarum suarum provisoribus serviant, eosque non synceriter honorent, sed nequiter ac serviliter timeant: Quod alienæ vitæ potius, quàm quod suæ vitæ quisque noceat, legibus advertatur: Nullus ducatur ad judices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam invito fuerit importunus, aut noxius, cæterùm de suis, vel cum suis, vel cum quibuscunque volentibus, faciat quisque quod libet: Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè, qui habere privata non possunt: Extruantur amplissimæ atque ornatissimæ domus, ubi opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit & potuerit die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur: Saltationes undique concrepent, theatra inhonestæ lætitiæ vocibus, atque omni genere sive crudelissimæ, sive turpissimæ voluptatis exæstuent, & ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet: Quisquis eam mutare vel auferre tentaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat è sedibus: Illi habeantur Dii veri,

 (illa

(illa sit vera religio) qui hanc adipiscendam populis procuraverunt, adeptamque servaverunt. Colantur ut voluerint, ludos exposcant quales voluerint, quos cum suis vel de suis possent habere cultoribus: tantum efficiatur, ut huic felicitati, nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab ulla clade timeatur. 11 *Hæc illi olim Ethnici, hæc hodie nostri Politici (paucis exceptis) omnia dicunt, probant, faciunt.* 12

11 Lib. 2. De Civit. Dei cap. 20.

12 Laur. Beyerl. in Mag. Theatr.

Atqui ejusmodi Politicus, qui religionis causam atque defensionem suis fortunis atque commodis, vel etiam reipub. paci & incolumitati postponit, imò qui eam omnibus rebus non anteponit, Christiani hominis loco nequaquam est habendus. Quid enim quæso hominem Christianum ab Ethnico discernit, nisi nominis Christi fides, cultus, religio? In quo enim nulla est Christiani nominis religio, cultus, reverentia, amor, hunc religionis Christianæ nomine ab aliis non Christianis discerni quisquam existimabit? At quæ est tandem in illo homine Christiani nominis religio, quis cultus, qui amor, quæ reverentia, qui adeo illud non colit, non amat, non reveretur, ut res quaslibet illi anteponat, vel ad ejus defensionem, nec pedem movere, nec aliquod discrimen subire, nec vel vultum vel verbum asperum sustinere velit, ut eam denique nullo loco ducat, totamque ejus curam vel in Dei providentiam, vel in solos togatos homines, si tamen & in illos, rejiciendum judicet. 13

13 Idem ibidem.

Sunt certè hujusmodi Politici hæreticis ipsis deteriores, quia illi aliquam saltem, etsi falsam ac contaminatam religionem profitentur, ac tenent fortiter, isti nullam tenent, nec tenendam putant, nisi à monachis, totamque hominis felicitatem in terrena pace constituunt. Tota istorum felicitas, tota sapientia, totus cultus est bonis terrenis affluere. Sed quid dico hæreticis esse deteriores? Ipsis melioribus Ethnicis pejores hi sunt, qui nunquam utile honesto præferre (quod hi in omnibus faciunt) voluerunt. De quo multa disputat Tullius in Officiis. Surgent profectò isti Ethnici in judicio,

&

& hos pseudopoliticos, certissimas rerumpublicarum pestes condemnabunt.

Quamobrem illam Catholicopoliticus solam ac veram Politiam judicet necesse est, quæ ita publicum bonum curare docet, ut tamen potiori loco Deum habeat, & causam religionis omnibus profanis utilitatibus anteponat.


DE POLITICA
HOMINUM
SOCIETATE,

Quæstiones Prooemiales.

QUia, ſicut in omnibus aliis ſcientiis, ita in Politicis quoque, initium à fine fieri natura rei expoſcit, operæ pretium eſt, in primo operis noſtri veſtibulo conſiderare, in quonam finis humanus, id eſt, Beatitudo & bonitas, quam quilibet mortalium expetit, conſiſtat, ſiquidem ante cognitum finem & terminum, nec ipſius ulla cupido haberi, nec via ductrix ad ipſum inquiri poteſt. cognito autem illo faciliùs accingimur ad illa, quorum ope, votorum noſtrorum compotes efficimur. Quoniam autem non unus idemque eſt omnium hominum ſtatus, ac proinde, quod conſequens eſt, nec finis, ideò diviſio hominum juxta varios illorum ſtatus neceſſario eſt prætermittenda, eo potiſſimum conſilio, ut finis uniuſcujuſque hominis, maxime autem in civili ſocietate viventis, clariùs cognoſcatur, quæ cognitio id profecto præſtabit, ut unuſquiſque amplectatur ea, quæ fini obtinendo ſunt utilia, fugiat verò illa, quæ felicitatem & poſſunt & ſolent impedire.

QUÆSTIO I.

Natura Finis deſcribitur.


Mnium rerum, quæcunque in hac immenſa univerſitate reperiuntur, finem aliquem eſſe neceſſe eſt, propter quem ſunt, & ad quem tanquam ſcopum ſuum ordinatur. Is vero finis quoddam eſt, in quod quævis res deſiderio naturæ ſuæ conſentaneo fertur, nec quieſcit appetitu, donec illo potiatur.

Porro ſicut rerum non una eſt natura, nec eadem omnino conditio, ita & ipſis bonis, in quæ eædem res feruntur, multiplex ineſt varietas, quæ diverſitatem appetituum exſaturet. Sed & in modo reſpiciendi bonum, ſeu tendendi in finem, certum diſcrimen eſt. Aliud enim eſt agere propter finem, ſeu in finem, & aliud eſt, agi, duci, ac moveri in finem, aut propter finem. Nam priùs tantummodo competit naturis intellectu præditis, & ex conditione ſua deliberatè operabundis, poſteriùs verò convenit naturis intellectu & libertate deſtitutis, cujuſmodi ſunt bruta animantia, & reliqua inanimata, quorum proprium eſt, ex inclinatione naturali, hoc eſt, quatenus moventur ab auctore naturæ, tendere in ſuum finem, eo modo, quo ſagittæ proprium eſt, dirigi in metam à manu jaculantis.

Sed nos ſepoſitis in præſentiarum rebus aliis hominem hic ſolum cum ſuo fine conſideremus: Qui quidem ~~homo variè poteſt venire in noſtram conſiderationem~~, ſcilicet ſecundum ſuum ſtatum ~~naturalem~~, ſeu (ut vocant) ~~Phyſicum~~, & item ſecundum ſuum ſtatum ~~Ethicum~~, ſeu ~~moralem~~. In ſtatu ~~Phyſico~~ habet quidem libertatem, quæ tamen non ~~omninò perfecta eſt~~, & circa ea præcipuè occupata, quæ ſenſibus placuere, & hujus generis ~~libertas reperitur in pueris, ebriis, & amantibus~~: At in ſtatu ~~Ethico~~, ~~longè nobiliori gaudet libertate~~, illa nimirum, quæ reſpicit ~~honeſtatem~~ & ~~turpitudinem~~, ſeu id, quod ~~decet aut dedecet naturam~~ intellectualem, tam ſecundum ~~ſe & abſol~~utè ſpectatam, quam in certis circumſtantiis conſtitutam. Aliud quip-

quippe est, quod decet aut dedecet principem, aliud quod plebeium, aliud quod virum, aliud quod fœminam, aliud quod senem, aliud quod adolescentem, aliud quod profanum, aliud quod DEo dicatum.

Ultra hæc homo, quatenus (ut proximè diximus) turpe ac honestum intuetur, bifariam iterum consideratur, primò secundùm id, quod ipsi foris advenit, & gratuito Conditoris DEi favore, nempe quatenus ordinatus est ad beatitudinem sempiternam: Et in hac consideratione acceptus, alius est secundùm Theologos fidelis, alius non fidelis, & fidelium alius Christianus, alius non Christianus, Christianorum rursus, alius Catholicus, alius acatholicus, & Catholicorum alius spiritualis, alius non spiritualis, tandem non spiritualium, alius secularis, alius Religiosus. Sed de his Theologi. Secundò idem homo consideratur secundum id, quod ei competit ex insita naturæ suæ conditione, ratione cujus conditus est ad beatitudinem naturalem, sic à Philosophis appellatam, quod sit terminus votorum humanorum in statu puræ naturæ (ut cum Theologis loquar) collocatorum.

Denique homo secundùm istam ultimam considerationem sumptus, alius est Ethicus Monasticè seu solitariè, alius Ethicus Oeconomicè, alius denique Ethicus Politicè. Primus sectatur bonum privatum, & felicitatem proprio metitur commodo, alter refert ad convictum domesticum, tertius ad communitatem, de quibus sigillatim paulo post. Nunc sit

QUÆSTIO II.

De varia Finis Divisione.

POstquam naturam finis explicavimus, ordine ipso monemur, ut & quotuplex sit inspiciamus. Philosophi, quibus solenne est, omnia exactissimè sub calculum vocare, disputant pluribus, plures ne sint statuendi fines actionum humanarum, an vero sufficiat unus, & si unus, utrum sit idem cum fine ratione carentium? Sed hæc subtilior tractatio Philosophis est propria, nos qui populari servimus intelligentiæ, pinguiori

guiori Minervâ ea tantum, quæ ad propositum nostrum conducunt, subjiciemus.

Inprimis ergo duplicis generis finis potest esse, unus ultimus, alter non ultimus: hic ulteriorem adhuc respicit, ad quem comparatus, medii potiùs naturam habet, sed est finis tantùm per respectum ad media, per quæ acquiritur: at verò ultimus finis ejus est prærogativæ, ut supra se non agnoscat ulteriorem.

Deinde alius est finis, qui ex natura rei, cujus est finis, ducit originem, ut ex medicina sanitas, & alius, qui præter naturam ex mero alicujus beneplacito proficiscitur, veluti ex eadem medicina divitiæ.

Tandem alius est finis universalis, ad quem fiunt omnia negotia totius vitæ humanæ, & alius tantùm secundùm partem, hoc est, certorum negotiorum & occupationum certa series, & hic valde est differens, alius quippe est regis, alius pauperis, alius juvenis, alius valde senis, & alius sani, alius morbosi sic & in infinitum.

QUÆSTIO III.

De Fine hominis, tam in statu naturali, quàm supernaturali, considerati.

FInem ultimum omnium humanorum operum; atque adeo ipsorum hominum, is solum non agnoscit, qui sacrorum dogmatum ignarus est. Eleganter de eo divinæ literę loquuntur. *Hæc* (inquit Propheta) *dicit Dominus, Rex Israel, & redemptor ejus, Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus.* 1 Et Sanctus Joannes: *Ego sum, A & Ω, principium & finis.* 2 Ejusdem euphonię est tam illud, *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* 3 quam etiam istud: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.* 4 Imo ne gentiles quidem Philosophi id ignoravêre, qui senserunt providentiâ regi mundum, & in eodem, hominem non casu, sed consilio positum esse. Verum & ultimus finis non est expers varietatis. Alius siquidem est à DEo præstitutus, alius à naturæ inclinatione prefixus, alius denique à privato cujusque libitu propositus. Acutè hic

1 Isaiæ 44.
2 Apoca. 1. & 21.
3 Prov. 16. vers. 4.
4. Rom. 11.

hic Philosophi inspiciunt, qui iterum omnes istos fines dividunt in rem, quæ appetitur, & in ipsam rei adeptionem. Præclarè quidem illi adeptionem seu fruitionem, quæ non potest contingere sine ipsa re, quæ appetitur, collocant in humana beatitudine & finibus desideriorum, at verò res, quæ tantùm appetitui proponuntur, & sunt quasi metæ quædam votorum mortalium, præsertim citra spem illis potiundi, nonnisi scholastico modo loquendi, ob commodiorem videlicet rerum explicationem, possunt finis appellari. Quæ enim beatitudo est, torqueri desiderio alicujus boni, quantumvis maximi, quod nec assecutus es, nec spem assequendi habes: imò pœna est acerbissima, juxta vulgare illud: Videre & non gustare mors est. Certè nemo avarorum beatum se reputat, etiam si videat ingentes auri acervos, aut numero carentem desideret pecuniam, si dominium ipsius non adipiscatur, sicut nec Tantalus censet se beatum esse ob flumina præter labra sua fluentia, quibus non licet ipsi diuturna faucium incendia restinguere. Sed his omissis, finis hominis ultimus, tam ex ordinatione divina, quam ex propensione naturalis conditionis, est felicitas & beatitudo. Quicquid enim agunt homines, præsertim libera atque deliberata voluntate, agunt propterea ultimò, ut sint felices, & non miseri, juxta illud, quod apud Sanctum Augustinum legimus dictum contra illum Philosophum, qui convocato in nundinis populo dixerat, omnium esse desiderium magni vendere, & parvi emere, dictum inquam à Sancto Augustino, longè melius dicturum fuisse Philosophum, si dixisset, neminem velle esse miserum, & omnes desiderare esse felices.

Jam verò beatitudo, pro fine ultimo hominibus assignata, est collectio omnium bonorum saturativorum omnium desideriorum humanorum. A Boethio his verbis describitur: *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: à Sancto autem Thoma his: *Perfectum ac sufficiens bonum, omne malum excludens, & omne desiderium replens.* Tandem Sanctus Augustinus, eum dicit esse beatum, qui habet omnia, quæ desiderat.

Cæterùm beatitudo humana, alia est naturalis, quę nimirum competit homini secundùm ea, quę ipsi insunt à natura, & consistit in naturali contemplatione & amore DEi, ut docent Theologi 5 alia vero beatitudo supernaturalis, quæ competit homini

5 Tract. de Gratia.

mini ſecundùm ea, ad quæ ille gratuito auctoris naturæ favore ordinatus eſt. Et hæc tota ſita eſt in æternâ cœleſtique gloria, in qua beati DEo fruuntur modo ineffabili. Atque hæc locum obtinet in fine ultimo à DEo vel natura præfixo. Alio enim modo philoſophandum eſt de finibus illis, in quos fertur privatum uniuſcujuſque deſiderium, ut ſunt voluptas Epicureorum, divitiæ avarorum, honores ſuperborum. Nam privatæ electionis finis ultimus non eſt omnium hominum unus, ſed multiplex, pro multitudine opinionum, & quæ ex his naſcuntur deſideriorum.

QUÆSTIO IV.

De Fine hominis monaſticè, ſeu ſolitariè conſiderati.

DIxi ſuperiùs hominem alium eſſe Ethicum monaſticè, & alium Ethicum Oeconomicè, & denique alium talem Politicè: de duobus poſterioribus inferiùs, de primo hic agendum eſt. Ut autem meliori ordine procedamus, ſeparandus eſt homo monachus Theologicè & Chriſtianè, à monacho philoſophico ac politico, ſeu potius antipolitico.

§. I.

De Monacho Theologicè ſumpto.

MOnachus venit à nomine Græco μοναςὴς, id eſt, ſolitarius. Μόνος enim idem eſt Græcis, quod Latinis ſolus, & μονὰς quod unitas.

Tria autem hominum hujuſmodi genera fuiſſe olim in Ægypto teſtis eſt Divus Hieronymus: 1 Unum Cœnobitarum, ſeu communiter viventium, aliud Anachoritarum, ab hominibus longè in diſertum ſecedentium, tertium eorum, quos Ægyptii ſuo idiomatè Remeboth vocarunt, quorum bini, terni, nec multo plures habitabant, arbitrio ſuo ſuaque conditione viventes.

1. In reg. Monach.

Anti-

Antiquiores sunt Institutione Eremitæ, qui soli vivunt, eorumque liberior est vita, & verè solitaria ac singularis, 2 nec legibus cœnobitarum tenentur, & proprium possidere possunt, si qui tamen ex cœnobitis regularibus, regulam aliquam professis, in eremum secedant, fiunt ordinis & vitæ arctioris, retinendo propriam professionem, eique eremiticam insuper addendo.

2 Cap. qui verè 16. quæst. 1.

Dignitas & præstantia Monachi Theologicè sumpti facilè summi potest, tum ex prima origine status monastici, qui inchoatus est ab Apostolis, & primis Christianis, quibus omnia erant communia, ut docent Possidius & Eusebius, tum ex ipsa status illius (ut Theologi loquuntur) essentia, quæ consistit in tribus virtutibus maximis, Paupertate videlicet voluntaria, Castitate angelica, Obedientia prompta. Ob quas Sancti Patres, magnificè semper de hoc statu & sentiunt, & loquuntur, quorum unum atque alterum testimonium hic referendum est.
„ Gregorius Nazianzenus ita loquitur. Nihil mihi fortuna-
„ tius eo homine videbatur, qui clausis comprehensisque cor-
„ poris sensibus, atque extra carnem mentemque positus, in
„ seque collectus, nec nisi summa necessitate impellente quic-
„ quam rerum humanarum attingens, atque & secum ipse &
„ cum DEo colloquens, superiorem rebus in aspectum caden-
„ tibus vitam agit, divinasque species & imagines puras sem-
„ per, nec ullis terrenis & errabundis formis permixtas, in se
„ ipso circumfert, ac DEi rerumque divinarum purum omni-
„ no speculum est, in diesque efficitur, lucique lucem, obscuri-
„ ori videlicet clariorem adjungit, ac jam futuri ævi bono frui-
„ tur, & cum angelis versatur, & licet adhuc in terris agens,
„ terram deserit, atque à Spiritu in cœlo collocatur. 3 Et alibi,
„ ubi monachos vocat selectiorem partem ecclesiæ. Ergo in-
„ quit, adversus eum (loquitur de S. Basilio) concitatur eccle-
„ siæ pars selectior & sapientior: si modo sapientiores ii haben-
„ di sunt, quàm reliquum mortalium vulgus, qui se ipsos à
„ mundi congregatione segregarunt, ac vitam suam DEo con-
„ secrarunt. Nazaræos nostrates dico. 4 *Ac infrà.* Eximia res
„ est virginitas & cœlibatus, atque in angelorum naturæque
„ singularis ordine debet censeri. Vereor enim dicere Christi,
„ qui cum propter nos procreatos procreandus esset, ex virgi-

3 In primo Apolog.

4 Oratione in laudem Basilii.

„ ne procreatur, virginitatem lege præſcribens, ut hinc abdu-
„ centem, ac mundum contrahentem, vel potius mundum ad
„ mundum transmittentem, præſentem nimirum ad futurum.
„ Quis igitur vel virginitatem majori honore proſecutus eſt,
„ vel carnem legibus frenavit, idque non ſuo tantum exemplo,
„ ſed etiam ſtudiis, quibus incubuit? Cujus ſunt virginum cœ-
„ nobia, cujus præcepta illa literis conſignata, quibus omnes
„ ſenſus coercebat. Tandem: Hinc inquit ille (S. Athanaſi-
„ um intelligit) ſolum vertit, ac de exilio quàm præclariſſimè
„ ſtatuit. Nam ad ſacra illa & divina Ægypti monaſteria ſe
„ confert, in quibus homines à mundi conſortio diſtracti, ac ſo-
„ litudinem amplectentes, DEo vivunt magis, quàm cæteri o-
„ mnes, qui in corpore verſantur, quorum alii vitam prorſus
„ ſolitariam, ſuiipſorum tantum, & DEi colloquio fruentes,
„ atque hanc duntaxat partem pro mundo habentes, quam in
„ ſolitudine cognoſcunt, alii autem charitatis legem in com-
„ municatione ac ſocietate colunt, ſolitarii ſunt, ac promiſcui,
„ & cæteris quidem hominibus negotiiſque mortui, quæcun-
„ que in civili atque in medio poſita vita volvuntur, verſant-
„ que ſimul & verſantur, ac mutua comparatione virtutem a-
„ cuunt, & extimulant. 7

7 In laudem S. Athanaſii.

Similia ſcripſit & S. Ephrem: Vita monachorum (ait) ange-
lis ſimilis, eorumque inſtitutum divino miniſterio plenum eſt.
„ Continet enim vitam, quæ in præſenti DEo inſeruit, & ante
„ hanc fœnori dat, ut pro uſura vitam æternam recipiat. Mu-
„ tuò dat terrena, & accipit cœleſtia. Soli monachi ſuper terram
„ divini certaminis conditionem atque conſtitutionem no-
„ runt. 8 His addi poteſt S. Hieronymus, ſecundùm quem flos
quidam & pretioſiſſimus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta
monachorum & virginum chorus eſt. 9

8 De perfectione Monachi.
9 Epiſt. 17. ad Marcellam.

Eremitis vel maximè convenit latere, & ab omni humano
conſortio ſegregari, adeò ut ad eos ſolos reſpexiſſe videatur
Antonius, magnus ille Ægypti monachus, cum dixit: *Quod pi-
ſcis in arido, hoc monachus in oppido.* 10 Exiſtimabat enim ſanctiſſi-
mus Pater, ita & monachis exitio eſſe mundanam converſatio-
nem, ſicut piſcibus ſiccam regionem.

10 Niceph. Calliſt. lib. 8. Capite 4. Eccleſ. hiſt.

Et Hugo: *Si monachus inquit es, quid facis in turba, ſi amas ſi-
lentium, cur declamationibus aſſiduè intereſſe delectaris? Tu ſemper
jeju-*

jejuniis & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris. Simplicitas monachi Philosophia est. Sed docere inquis alios volo. Non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies, vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conversationis tuæ, docere debent homines. 11 Et Sanctus quidem Antonius, ut dixi, solos Eremitas videtur monere de custodia solitudinis, at vero S. Hieronymus omnibus Monachis idem fere euangelizat, cujus ista sunt verba ad Paulinum. *Si cupis esse quod diceris monachus, id est, solus, quid facies in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum*: alii tribuunt hoc dictum S. Augustino. Doctrinam hanc Sanctorum Patrum facto atque vita confirmavit Sanctissimus ille monachus, qui, ut refert Theodoretus, 12 totos sexaginta annos, neque à quoquam visus est, neque cum quoquam collocutus. Similis solitudo ab eodem Theodoreto prædicatur Simeonis de Columna dicti, qui in columnis minoribus septem annis, in majoribus quadraginta cubitorum, vitam egit triginta annis, atque cum septum circum circa fieri mandasset, ferream catenam viginti cubitorum comparavit, cujus initium quidem cuidam petræ maximæ appendit, alterum verò dextro pedi adaptavit, ut nec si vellet extra hos limites abiret. Tanta fuit priscorum monachorum observantia, nostra verò ætas quantum abest à sanctitate illorum temporum, solus ille novit, qui omnia novit. Certè Helias Abbas disertè sui sæculi monachos reprehendit: *Diebus*, inquiens, *patrum nostrorum, tres istæ virtutes, in amore & studio apud monachos erant, nuditas rerum omnium, mansuetudo, & continentia, nunc autem avaritia, gula, & intemperantia.*

11 De claust anim.

12 Ecclesf. hist. lib. 4. Cap. 28.

Et S. Bernardus his verbis deflet mores suorum monachorum: *Habitus noster, quod & flens dico, qui humilitatis solet esse insigne, à monachis nostri temporis gestatur superbe? Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Miles & monachus, ex eodem panno, partiuntur sibi cucullam & chlamidem.* Et alibi, *legumina inquis ventosa sunt, caseus stomachum gravat: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: choleram porri accendunt: pisces de stagno, aut de lutosa aqua, meæ penitus complexione non congruunt: quale est hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellulis, reperire vix possis, quod comedas. Puta te quæso monachum esse, non medicum, nec de complexione judicandum, se de professione.*

fessione. Parce obsecro primum quieti, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiæ, non dico tuæ, sed alterius, scilicet qui propè te sedens & cedens, de tua singularitate murmurat, & tua superstitione scandalizatur. 14

12 Sup. Cant. Serm. 30.

His affine est, quod Abbas apud Joannem Moscum dixit: *Patres nostri continentiam & paupertatem ac nuditatem rerum omnium usque ad mortem servaverunt, nos autem ventres nostros & crumenas nostras dilatavimus.* 15 His item adjungi potest Sanctus Bernardus, qui in epistola quadam sic habet. *Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam, nostri autem oculi omne sublime vident, nostri pedes omne forum circumeunt, nostræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis, nostræ manus omne diripiunt patrimonium.*

13 In parr. Spirit. Cap. 130.

Ex his facile conjicere possumus, quisnam sit finis hominis Theologicam solitudinem amplectentis. Si enim non vacuum nomen monachi gerit, totus erit in eo, ut à strepitu vulgi remotus, & curis prophanis expeditus, eo usque animum virtutibus exornet, donec concupiscat rex decorem ejus, qui est Dominus DEus suus. Si vero quis nomen tantum habeat, quod sit monachus, re autem ipsa & desideriis prophanus fuerit, illius tot erunt fines, quot cupiditates, ac inquieti pectoris agitationes, quæ nullum finem admittunt.

§. II.

De Monacho Politico seu Philosophico.

ETsi natura ipsa monachus homo à politico dissideat, attamen nihil impedit explicationis gratia saltem vocetenus illos conjungere: quanquam non eo sensu hic monachum politicum dico, quod existimem posse unum eundemq; simul & politice & solitariè seu monasticè vivere, hoc enim natura rei non suffert, sed quod considerem hic monachum, quatenus ille politico opponitur homini, videlicet politicè viventi, à quo & fine & tota vivendique ratione discrepat. Unde comparatus ad eum politicus, magis elucescit.

Est autem monachus antipoliticus totus sibiipsi deditus, non de patria, non de familia, sed de ipso sollicitus, sibi bonus,

in commune nequam, curarum publicarum expers, de privatis anxius commodis.

Plurimum porro intereſt inter monachum, quo de nunc agimus, & monachum, de quo ſuperius proximè. Etenim Theologicæ conſiderationis monachus homo eſt, Dei & ſalutis cauſa religioſam ſolitudinem profeſſus, quamvis ſit procul negotiis, quæ interturbant quietem mentis circa DEum ſeſe occupantis, optimè tamen cupit patriæ, pro qua ſuperos exorat, & cui ſanctimonia vitæ exhibet exempla: At monachus antipoliticus jam bonus habetur, qui ſicut non prodeſt, ita nec noceat patriæ, quæ in beneficia refert hominis in nocendo negligentiam.

Duplicis autem claſſis eſt monachorum iſtiuſmodi genus, alterum reipub. inutile, alterum pernicioſum, illud oblivione patriæ contentum eſt, hoc verò in damna ejuſdem natum, impia adverſus communem matrem ſuſcipit conſilia.

Ad primam claſſem referri poteſt Ezechias rex, alioqui optimus, qui cum intellexiſſet ex propheta, Dominum DEum gravia mala ſuper regnum ipſius immiſſurum, ſic (de ſe ipſo tantum ſollicitus) prophetæ reſpondit: *Bonus ſermo Domini, quem locutus es, ſit tantum pax & veritas in diebus meis.* 1 Si enim illâ ſaltem vice non fuiſſet monachus rex ille cætera (ut dixi) optimus, deprecatus utique fuiſſet Dominum, exemplo Moyſis & Davidis, quorum alter his verbis pro populo ſuo orabat Dominum DEum ſuum: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terrâ Ægypti in fortitudine & manu robuſta? Ne quæſo dicant Ægyptii, callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terrâ: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens, multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, & univerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* 2 Alter verò, cum vidiſſet Angelum cædentem populum, dixit ad Dominum: *Ego ſum, qui peccavi, & ego inique egi, iſti quia oves ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* 3

1 4. Regum. 10.

2 Exodi. 32.

3 2 Reg. 24.

Et quidem Ezechiæ regi ſemel tantum majori curæ erant

propria

propria tempora, quam regni sui incolumitas, DEus immortalis, quot fuerunt, quotque sunt, tam reges, quam regnorum senatores, quibus res privatæ publicis commodis sunt cariores. Possem hic ex annalium vetustate infinita hac super re eruere exempla, sed quia ut sunt nimis crebra ita & obvia, unicum tantummodò, quod non ita pridem contigit, referam, nomina tamen tacebo, ne familiæ notentur. Bellum erat inter duas respublicas gravissimum, in quo uti fit, alteri fuit æqua, alteri fortuna iniqua. Et quia pars victa non judicabat sibi expediens esse, simul & adversus hostem, cui continuatæ victoriæ vires animosque faciebant, & adversus ipsam fortunam pugnare, pacem cum hoste æquis conditionibus inire constituit, atque ad id negotium expedivit oratores, viros primæ auctoritatis, & nominis illustris: erat in eorum numero Prælatus, aulicis famulitiis commendatissimus Principi, à quo sub id tempus ditissimum beneficium ecclesiasticum accepit. Is fuit caput legatorum, & princeps, ac respublica tum prudentiæ ipsius, tum fidei, se salutemque suam credendo, omnem ei constituendæ pacis potestatem concessere. Spes erat pacis nequaquam ignominiosę. Nam & pars victa nondum fuit ad ultima consilia redacta, & victrix partim inconstantiam fortunæ pertimescebat, partim à novo hoste alio vocabatur. Interea ad Neo-episcopum legatum mittit literas alter Episcopus, per omnia sacra obsecrans, ut omnino & quantocyus pacem, quantumvis iniquissimis conditionibus, nomine reipublicæ cum hoste concludat. Res hosti innotescit, qui inde fit in conditionibus proponendis durior, episcopus orator in illis acceptandis facilior, tum suâ causâ, quia ad Episcopatum, quem (ut dixi) noviter adeptus erat, properabat, tum propter magnas preces alterius Episcopi, qui ut suum Episcopatum illæsum servaret à militibus, pacem cum Reipublicæ detrimento poscebat. Ita duo Episcopi facti antipolitici monachi, publicis detrimentis propria commoda promoventes, & ut tantùm esset pax in diebus suis solliciti, miseram rempublicam non modo turpem, sed etiam damnosam pacem pati coegerunt, per cessionem videlicet hosti provinciæ opulentissimæ. Quanquam hoc exemplum etiam ad alterius classis monachos pertinet. In duas enim classes paulo superiùs monachos istos distribui, ad alteram spectabant, qui sunt rei-

publicæ

publicæ inutiles, ad alteram (de quibus hoc loco) perniciosi. Sunt autem ii omnes, qui aut oppressione aut tyrannide, aut proditione, aut quoquomodo nocent patriæ. De tyrannide alio loco commodius, hic aliquid dicendum est de proditione, cujus exempla & sacri libri continent non pauca, & prophanæ historiæ plurima: tritissimum est, ac ipsis etiam Grammaticis notum, Æneæ atque Antenoris, qui Troiam patriam suam Græcis, cum illos per portam, quæ equinam habuit effigiem, introduxissent noctu, prodidisse dicuntur. 2 Dies certè deficeret, si sigillatim vellem recensere, cum nihil frequentius spectare liceat in hoc mundi theatro, nefariis proditionibus, regum regnorumque pestibus. Sive enim nostram sive patrum memoriam viderimus, occurrent oculis tot principes à sceptro ad ferulam dejecti, tot regna vastata, tot provinciæ captivæ, tot civitates deletæ, fraude & avaritiâ solitariorum. Nihil autem isto hominum genere scelestius, nihil est apud omnes mortales abominabilius. Quod sunt inter sanctos ac religiosos monachos proprietarii, id sunt inter homines politicè viventes isti monachi antipolitici. Religiosa servorum DEi Societas tanto odio eoque sanctissimo suos proprietarios detestatur, ut & vivorum umbras horreat, & mortuorum cadavera in sterquilinium abjiciat. 3 At boni politici suos monachos inter feras bestias reponunt. 4 Sceleri istorum hominum adjuncta est insignis stultitia: quid enim stultius est, quàm in ruina patriæ, quærere suam exaltationem, & ex communi universorum clade privatam sperare salutem? Quis non summè dementem judicaret illum piratam, qui navem multis mercibus atque hominibus onustam ingressus vellet eam in medio mari submergere, ut ex naufragio posset aliquid rapere? Jam quid piratæ terrestres de quibus nunc agimus, quid inquam aliud faciunt, quam ut naufragia rerum publicarum in quibus & ipsi degunt, proprii commodi causa, quantum est in ipsis procurent? ignari mortalium amentissimi, iisdem fluctibus, sibi ipsis simul cum patria esse pereundum. Profectò vix est quenquam reperire, cui publica calamitas fuit privata felicitas. nam seriùs aut citiùs culpam pœna pressit comes; aut mors, aut odium cum æterna infamia. invisa enim talium hominum & quibus nocuit, & quibus profuit perfidia.

2 Sabel. lib. 7. En. 1.

3 Cap. cum ad monast.

4 Arist. 1. Polit. cap. 2.

Philippus Macedo interrogatus, quos amaret præcipuè &

 quos

5 Stob. Serm. 52.

6 Cœlius lib. 8. cap. 3. antiq. lect.

7 Phil Cominæus lib. 10. hist.

8 Aimon. lib. 4. cap. 6.

9 Sozom. lib. 6. cap. 8.

quos maxime odisset, respondit: Prodituros quidem inprimis amo, eos verò qui jam prodiderunt, odi maximè. 5 Eidem Philippo prodiderat Olynthum quidam Lasthenes, quo nomine quia passim ab amicis Philippi infamabatur, questus est apud Philippum, cui Philippus Macedones inquit natura rusticiores sunt, ac rudes, & scapham, dicunt scapham. 6 Mahometes proditionem magna vi auri & unius filiarum nuptiis pactus erat, post acceptam tamen proditione Constantinopolim, proditori qui Christianus erat, ut idoneus thoro filiæ esset, loco circumcisionis, pellem detrahi illudens præcepit. 7

Agilulpho Longobardorum regi Romilda Ducis Gisulphi vidua, quæ eum deperibat Forojulium prodit, Agilulphus, data libidini promissæ nocte, prostitutam militibus palo transfixit. 8

Valens, Agelonem & Gomanum proditores, quorum opera Nacoliam urbem Phrygiæ ceperat, serrâ medios dissecuit. 9

Infinita sunt pœnarum quas isti antipolitici monachi luunt exempla, quæ brevitatis gratia prudens prætereo, ac ad finem festino, ad quem istius generis monachi collimant, & qui nihil aliud est, quam sola, & ad solos ipsos pertinens utilitas, si utilitas dicenda est, quam meritum sequitur exitium.

QUÆSTIO V.

De Fine hominis Oeconomicè sumpti.

OEconomia quæ est domestica quædam respublica, ac Monarchia privata, accipitur à politicis aliquando latiùs, & sic alia est Oeconomia Regia, alia Satrapia, alia Politica, alia Privata: aliquando verò pressiùs sumitur, & tunc significat solam privati hominis domus administrationem, de qua & nobis hic sermo est. Est autem *Oeconomia* Græcum vocabulum: quod Latinis dispensationem ac gubernationem domesticam significat, unde qui ejusmodi gubernationi attendit œconomus appellatur. Porro prima istius hominis cura ac diligentia est conjugium. Nam societas maris ac fœminæ ab ipsa natura conciliatur, & necessitate constituitur, non inter homines

nes tantum, sed etiam bestias; idque non naturæ solùm, sed utilitatis causa. Siquidem imbecillitas prolis habet præsidium in validis viribus parentum, qui vicissim viribus ac ætate defecti, ab iis quos genuêre plerumque sustentantur. Huc etiam spectat quod quando numero prohibemur à natura, saltem specie perpetuos esse affectamus. Diversa tamen juxta Philosophum 1 condítione procreati simul junguntur ad stabiliorem vitæ usum. Nam fœminis timiditas major ob res domi custodiendas, viris audacia ob fortitudinem, & res foris parandas. Fœminis item caritas major ac patientia ad filios nutriendos: viris sapientia ad eosdem erudiendos. Secunda post conjugium hominis Oeconomici cura est possessionum atque proventuum. Proventus porro ille maximus Aristoteli probatur, qui de terra colligitur, huic proximus, qui ab aliis in orbem redeuntibus rebus, tertius qui ex argento. 2 Præter hæc autem quod omni domesticæ curæ tanquam fastigium imponi debet, ejus ratio monente Philosopho 3 in cæteris quidem generibus, est habenda non negligenter, in hoc autem ipso præcipua, ut proventibus ipsis majores sumptus non fiant. Atque hæc ostendunt, quod finis hominis œconomi non alius sit, quam bonum, administrationi familiæ utile, & beatitudo quædam domestica, conferens plurimum ad publicam felicitatem, tum quod ea constet ex singulorum Civium felicitate, tum quod teste Platone, 4 publica ferè quisque curemus propter privata, ut hæc salva habere liceat; privata, exaudi œconomicè non verò monasticè.

1 In Oeconomicis.

2 Lib. 2 de re famil.

3 Ibidem.

4 3. De repub.

QUÆSTIO VI.

De Fine hominis Politicè sumpti.

HOmo politicè acceptus est pars totius cujusdam nobilissimi, reipublicæ nimirum, cujus membrum est: longe autem & à monacho & ab œconomo diversus est; ille enim omnia ad seipsum tantum, hic ad seipsum, & ad propriam familiam refert, at verò politicus bonus, non propria solummodo personæ aut domus privatæ commoda cogitat, sed parem imò majorem curam habet de illo quod est publicè utile.

 Omni-

Omnibus quippe bonis expedit salvam esse rempublicam, teste Romano Oratore. 1 Et omnibus non aliud inprimis votis debet esse quam patrię salus atque incolumitas, tanquam unica civilium desideriorum meta.

1 Philippic. 13.

Explicato triplici fine hominis, in triplici statu considerati, posset jam fortasse non incommodè de quovis prædictorum statu, sigillatim longior fieri disputatio. Verum quia homo monasticè acceptus nullam potest sustinere in republica personam, & nostrum præsens institutum non aliud est, quàm de iis disserere, quæ spectant ad politicam hominum societatem: ideo monacho homine prætermisso, sequentibus libris de homine œconomicè & politicè sumpto, disseremus.

DE POLITICA HOMINUM SOCIETATE,

LIBER I.

DE DOMO.

HOC libro præcipuè agemus de Oeconomia tanquam præcipua reipublicæ parte: quæ quid esset, quæstione quinta proœmiali explicui, ubi etiam breviter insinuavi officium hominis œconomi maximè consistere in domo, uxore, liberis ac servis gubernandis, de quibus nunc pluribus est disputandum, ac inprimis de marito & uxore. Sit igitur.

CAPUT I.

DE CONJUGIO.

In quo referuntur Calumniæ adversus Conjugium: explicatur status conjugalis, & adversus calumnias defenditur.

§. I.

Referuntur calumniæ status matrimonialis.

NIHIL est tam sanctum, quod non pateat calumniis malevolorum. Si cœlum ipsum imo & Deus stultis ac malis hominibus non placent, quid miramur legitimam viri ac mulieris carpi à multis societatem. Qui primo conjugium gravissimam appellant servitutem, utpote eam quam ubi quis semel subivit, manumissionem non sperat. Et cum omnis omnino servitus sit misera adverseturque naturæ, quæ hominem libertatis avidum produxit, tum verò (inquiunt ipsi,) illa est miserrima, qua coguntur viri inservire mulierculis, affectione non ratione viventibus. Accedit & id malum, quod eas ipsas miseri mariti sustinere co-

 gun-

guntur & alere, quibus inserviunt, contra morem aliorum servorum, qui pendent ex suis dominis.

Deinde perpetuam mentis inquietudinem dicunt nasci ex matrimonio, idque ista suadent ratione : aut enim uxor, quam quis sibi accipit, eleganti scitaque forma est prædita, aut parum propitiâ Venere, in communem hanc lucem edita, damna sentit venustatis : tum si hoc posterius contingit, pœna cruciatur maritus perpetua, si verò illud prius, tunc aut timet ne communem illam habeat, nam

Lis est cum formâ magna pudicitiæ,

aut certè crudeli tyrannide vitam exigit. Herile namque imperium amoris imperio obnoxium est. 1 cujus rei testes sunt reges & dynastæ ad infinitatem muliebrium obsequiorum adacti. Itaq; & pudica & impudica mulier, semper est viri tormentum. Si enim impudica fuerit, quomodo marito jucunda poterit esse vita, si vero pudica (quod raro amat fieri) semper in metu est, ne non satis se amet, ne corrumpatur, ne mutet animum. Rursus sive vir amet uxorem sive non, infelix est. Si non amat, miserè cum ea quam non amat vivit; si amat, in amore etiam non est sine dolore. multa enim incommoda secum affert amor, suspiciones, injurias, jurgia, rixas.

1 Eustachius de Ismeniæ & Ismenes amoribus lib.

Et quæ præterea longa referre mora est.

Et deniq; non odio tantùm sed & amore suo nocet uxor marito. cujus generis exemplis scatent omnes ferè historiæ, unum hic subjicio Herculis monstrorum domitoris, quem amans Deianira conjunx, dirum in modum perdidit. Metuens namque illa, ne Hercules, quem summè diligebat, in Eubœa, amore Ioles Euryti filiæ caperetur, misit ipsi vestem, cui credebat inesse vim singularem ad castitatem conjugalem sanctè integrèque servandam quæ cum revera tincta fuisset pestilentissimo Nessi Centauri sanguine, Herculem, dum ea indueretur ad furorem & mortem adegit, 2 antequam quas ille voces edidit audiamus.

2 Cicer. Tuscul. quæst. lib. 2.

O multa (inquit) dictu gravia perpessu aspera
Quæ corpore exantlato atque animo pertuli
Nec mihi Iunonis terror implacabilis
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali
Quantum una vecors Oenei partu edita.
Hæc me irritivit veste furiali inscium

Quæ

Quæ lateri inhærens morsu lacerat viscera,
Vrgensque graviter, pulmonem haurit spiritus.
Iam decolorem sanguinem omnem exsorbuit,
Sic corpus clade horribili absumtum extabuit,
Ipse illigatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non terrâ edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori infixit meo.
Non Graia vis, non Barbara ulla immanitas,
Non sæva terris gens, relegata ultimis
Quas peragrans undique omnem hinc feritatem expuli,
Sed fœmineâ vir, fœmineâ interimor manu. 3 — 3 Sophocles in Trachiniis.

Augent præterea hoc vituperium matrimonii ex calumniis in fœminas factis, quibus istas tribuunt proprietates; quod illæ in domo sint dæmones, bubones in fenestra, picæ in porta, capræ in horto, fœtor in lecto. 4. Multa etiam ex philosophorum responsis, ex sacrorum Canonum rescriptis, & ipsis divinis literis, contra matrimonium proferunt: ex quibus pauca attingo. Primo jactant responsum Simonidis, qui interrogatus, quid sit uxor? respondit, viri esse naufragium, domus tempestatem, quietis impedimentum, vitæ captivitatem, pœnam quotidianam, pugnam sumptuosam, bestiam contubernalem, canem ornatam, malum necessarium. 5. Deinde ex Iuribus Ecclesiasticis producunt Divi Augustini Epistolam, qui ad Bonifacium Comitem in hæc verba scripsit. *Nos novimus, nos testes sumus, quod omnes actus publicos, quibus occupatus eras relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei monachi vivunt; cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxoremque duxisti.* 6. Quibus verbis Sanctissimus Pater, onera matrimonii periculis navigantium æquiparat. Etenim quemadmodum navigantes subjiciunt se variis maris periculis, nec proprio motu reguntur, ita qui habent uxores, non amplius suo vivunt arbitrio, sed sub fœminino dominatu tristem patiuntur servitutem, & potentissima mulierum impotentiâ sævius agitantur, quam navigia furentis pelagi tempestatibus.

4 Iohan. Neviz. in Sylv. nup.

5 Ravis. Ep. 70.

6 Cap. Nos novimus caus. 17. quæst. 2.

Tandem in divinis scripturis, malè ajunt fœminas ipsarumque societatem audire. Afferunt illa Ecclesiastę verba, ubi dicit. *Iuveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est & sa-*

gena cor ejus vincula sunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa. 7.

7 Eccles. 7

Sunt & alia plurima, quæ huic sacrosanctæ necessitudini passim conjugii osores objectant, quæ omnia si vellem referre merito essem molestus: nonnulla tamen ex illis sparsim inferius attingam atque diluam. Antequam autem ad ea quæ objiciuntur respondeam, necesse est statum conjugalem definire, natura enim illius perspecta, difficiliùs fidem impetrant ea, quæ adversus illum dicuntur, quamvis nullius patrocinio defendatur.

§. II.

Societatis conjugalis explicatio.

VOX conjugii deducta est à jugo, quo par hominum ad mutuam fidem castitatem & auxilium devincitur. Nomen vero connubii & nuptiarum à prisco ritu manavit, quo sponsa caput nubebat, id est velabat, in pudoris & subjectionis symbolum. 1. Divino enim pariter & humano jure, uxor maritali imperio subjicitur. Matrimonium denique dicitur, quia illo voto mulier nubit, ut mater efficiatur. Atque hæc est nominis explicatio.

1 Tertul. lib. 2. de Virg. Velan.

Quantum ad rem pertinet. Nuptiæ non aliud quidpiam sunt, quàm viri & mulieris conjunctio, ad individuam vitæ consuetudinem 2. id est ad consortium prosperæ & adversæ fortunæ. 3 & ad convictum perpetuum. Vera hæc societas Romanis olim incognita fuit, tantumque obtinuit, mutua ad promiscuum usum communicatio.

2 §. 1. Instit. de Nuptiis.
3 Lege 1. D. de ritu Nupt.

Neque obstat huic definitioni, quod conjugia divortiis aliquando dissolvantur, jure civili potissimum: ex inopinato enim id & quasi fortuito accidit, ideoque non erat habenda ejus ratio in definitione, cum nuptiæ hoc animo contrahantur, ut perpetuæ sint, adeo ut hac destinatione animi, tanquam propria nota, à concubinatu distinguantur. 4. Conjunctio autem intelligi debet, animorum magis quam corporum, juxta regulam juris, *Nuptias non concubitus sed consensus facit.* 5.

4 l. 4. D de concubinat.
5 Leg. 31. D de regul. jur.

Nec vitiat hanc interpretationem, quod finis nuptiarum sit procreatio liberorum: considerandum enim est, quod consensus sit causa efficiens, cujus utique major est vis & potestas: etenim

nim absque consensione neque intelligi quidem matrimonium potest: ante concubitum vero,imo sine eo consistit aliquando, si videlicet conjuges postea mutuo consensu se contineant; non vero ex conventione ab initio apposita matrimonio, per eam quippe impedirentur nuptiæ,tanquam earum fini repugnantem. 6. Adeo autem consensus perficit nuptias.ut nec hodiè verba requirantur, sed sufficiant signa, nutus, etiam in fandi potentibus. 7. Adeoque si parentibus verba pactionis conjugalis exprimentibus nomine liberorum, ii tacuerint,valebit matrimonium etiam non aliis per eos signis editis, quamvis diversum erit, si extraneus verba consensus expresserit. 8. Ex adverso, si quis solenniter matrimonii fidem afferat, sed simulatè alioque proposito,puta potiendi concubitu,ne quidem eo secuto matrimonium erit. 9. Sed difficultas erit in probatione talis propositi. Nam licet alias, ea quæ animi motu finiuntur, probentur juramento, 10. id tamen in præsenti negotio non patitur matrimonii favor. 11. & suam ultro imposturam confitentis nequitia.

6 Couvar.de Sponſ.part. 2.cap.3 § 1.
7 Mascard. de Prob. concl.1023.
8 Couvar.ib. Num.4.
9 Couvar.ib. sup. c.2
10 Vivius dec. 478.
11 C. in literis de testibus.

Duplex autem est finis perpetuæ hujus virum inter ac mulierem societatis. Primus præcipuusque liberorum procreatio: secundus post illum illicitæ concupiscentiæ remedium. Quod facile attenditur ex sancto Augustino. 12. juxta quem triplex est bonum conjugii, proles videlicet,fides, & sacramentum.

12 de Nupt. & concupiscent.lib.1. cap 2.

Hostes conjugii negant in conjugio finem illum secundum, dicuntque quemadmodum adversus ebrietatem ex furtivo vino contractam,non est remedium potatio vini proprii,quia utrumque æqualem vim inebriandi continet: ita & usus conjugii non est efficax medicina ad extinguendam concupiscentiam, qua quis ad vetitum amorem accenditur, quia idem omnino est ignis in utroque.

C. omne.itaque 27 quæst. 2.

Verum longe alia est ratio ebrietatis & usus conjugalis: nam cum lex divina omnem omnino prohibeat ebrietatem, merito non tantum furtivo sed etiam nostro vino fugimus inebriari: at vero quia eadem lex, non quamlibet viri cum fœmina consuetudinem improbat,sed aliquam etiam probat ac mandat, ea vero est conjugalis,sanctissimè utique quivis illâ fruitur,ut satiatus non esuriat id quod est prohibitum. Addo majorem culpam esse furtivo potu, quam suo inebriari, hoc enim solius intempe-

 ran-

rantiæ malum continet ; illud verò & intemperantiæ& simul injustitiæ.

§. III.

Refelluntur ea quæ conjugali Societati sunt objecta.

HIC ad ea,quæ paragrapho primo adversus conjugium dicta sunt,respondendum est. Et in primis injuste Matrimonium servitus ab illis esse dicitur. Servitus,si Iustiniano credimus, est constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. 1. at matrimonium, eodem imperatore teste, non est mera juris gentium aut juris civilis constitutio,sed naturæ rerum parentis sanctio. Ius naturale (inquit Imperator) est illud,quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium,quæ in cœlo quæ in terra quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio,hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia istius juris peritia censeri. 2. Hæc Imperator,quo etiam tacente quis non videt,naturâ generi animantium esse insitum,ut procreandi causa conjunctionis sit appetens, & salutem suam putet in his quæ procreata sunt contineri.

1. Institut.de jur.Ser.

2 Instit. de Jur. Natur. gent. & civil.

Nam sensus generandi in bestiis quoque perspicuus est; siquidem volatilium (ne si de cæteris dixero longior sim) nidificandi studium omnes videmus , in quibus in promptu est, quædam conjugiorum similitudo,ad similes procreandos atque enutriendos. Hoc modo veluti corpus cibo , sic hominum & belluarum genus perpetuum fit. Vnde nulla unquam gens tam barbara fuit,adeoque extra leges mores projecta, tam ab omni humanitate aliena , apud quam non sanctum ac non venerabile sit nomen conjugii.Hoc Thrax,hoc Sarmata,hoc Tartarus,hoc Indus & quicquid usquam est agrestium populorum; hoc Græcus,hoc Latinus, hoc vel toto divisus orbe Britannus habet religiosum. Quare nescio qua audacia mortalium improbissimi damnant in servitutem illum statum,quem Deus instituit, natura sanxit,ratio suadet, divinæ pariter & humanæ leges jubent, sacra & profana pagina laudat,omnium gentium consensus approbat,optimi cujusque exemplum commendat ? Nescio qua fronte hanc dul-

dulcissimam societatem, omnium servitutum miserrimam contendunt, cui (ut verus ob suam facundiam Mercurius Batavus 3 loquitur) inest acris & penetrans voluptas, & omni naturæ necessitudine potentior, animorum corporumque conjunctio, quę duos sic devincit, ut recte æstimantibus neutiquam plures esse videantur.

3 Jacobus Crucius Epist. lib. 2.

———— Sic nutrit amorem
Alterius vicinus amor, sic ignis ab igni
Pabula læta capit.

Quo nihil dulcius, nihil optatius, homini accidere potest. Quid enim suavius, quid dulcius? quam cum ea vivere, cum qua sis non tantum animorum conjunctione, & interiore affectu, sed & corporum mutua communione arctissimè copulatus, quî cum animi tui secreta communices; omnes curas omnes cogitationes misceas: quî cum perinde ut tecum loquaris, cujus conscientiam minus quàm tuam timeas, & quæ ea quæ tibi contingunt, sibi quoque evenire deputet. Cum cæteris amicis amoris tantum & benevolentiæ vinculo jungimur, cum uxore & summa caritate, & mutua corporum fruitione, inviolato sacramenti fœdere, & fortunarum omnium societate. Ad hæc in aliis amicitiis, quot quantisque simulationum involucris fucata omnia? Frons oculi vultus quoties mentiuntur? quoties latentem in animo perfidiam celant? Quanta in hís vel levi de causa mutabilitas & inconstantia? At in uxoria caritate, quanta firmitas, quanta constantia? in constantia quanta integritas? in integritate quantus ardor? qui nulla rerum vicissitudine minui, imo, ne ipsa quidem morte divelli potest, aut extingui. Vxor parentum pietatem præ mariti amore contemnit, lares patrios deserit & consanguineos, unum maritum respicit, illum spirat, ardet, cogitat, ex illo uno & solo pendet, cum illo vivere, cum illo mori desiderat. Fortunæ marito splendidæ & lautæ? habet quæ cura tueatur, quæ parcimonia sua augeat. Rerum premitur angustia? habet quæ ampliet, & dilatet. Si res illi ex voto fluant, erit quæ felicitati ejus gratuletur, sin minus? quæ aflicto condoleat, tristitiæ solamen adferat, quæ assideat, inserviat, & illius malum suum esse cupiat. Ita si quid acciderit læti, gemina fit voluptas, si quid mali, societas adimit dimidium ægritudinis. ita

Ænea ———— Lavinia curas

Diluit,

Diluit, & Phrygius tepidis amplexibus heros
Hæsit, & adversos æquarunt basia casus.

Si domi agat adest quæ præsentiâ sua, quæ hilaritate vultus, quæ alloquio, quæ verbis amoris & obsequii plenis, quæ argutiis, ad jocum & risum natis, graviores animo curas, gratâ diversione eximat, & solitudinis tædium dispellat. Quis istiusmodi festivitate non capitur? Si foris, est quæ abeunti osculum figat, egressum oculo comitetur, absentem desideret, redeuntem læta excipiat. Paucis dulcissima viri juventæ socia, & gratum venturæ aliquando senectutis solatium.

Hæc omnia felicitatis ac voluptatis potiùs quàm servitutis sunt argumenta apud viros civiles, civiles, inquam. nam si loqui velimus subtilitate Stoicorum (secundum quos, etiam illa cura, quam de corporis vitæque nostræ conservatione habemus, servitus est gravissima) servitutem quandam esse dicemus, sed honestam, utilem, jucundam, & necessariam, libertatique politicè minimè repugnantem. Quemadmodum enim servitus illa, qua quis obedit legibus, aut rectæ rationi obtemperat; nullatenus convellit illius libertatem; ita & hęc, cui ex ipsius naturæ conditione sumus obnoxii, salvam atque incolumem nobis relinquit civilem atque humanam libertatem. Qua liberi, libertatem illam Stoicorum, ut & illos ipsos non curamus, qui ineptè conantur, quod diis convenit, hominibus tribuere; Qua in parte, dum admirabiles se videri putant, & falsi quod ipsi alio more vivant, quam doceant; & inanes, quod facta verbis non respondeant; & impii, quod ea quæ Deorum sunt mortalibus adscribunt, deprehenduntur. 4.

4 Hieron. Cardan. de arcan. prud. civil. cap. 1.

Ex dictis ergo perspicuum fit, viros nequaquam per conjugium effici servos mulierum, neque eos dominas suas (quod esset durissimum) alere, sed conjuges, rerum omnium consortes, individuas lætorum omnium atque tristium socias.

Illis qui dicunt deformes uxores maritis esse pœnam, venustas autem, communes; jam pridem eleganter à quodam est responsum, qui hac argutia conjugium sibi dissuadentibus respondit: Si duxero deformem, nequaquam erit communis, si vero formosam, non habebo tormentum: Addo ego nec tyrannidem. tyrannis enim gravis est, & invisa, at elegantis fœminæ conjugium, suave est & amabile.

Qui

Qui dicunt,æque pudicitiam atque libidinem uxoris exhibere marito molestiam, æque impudentes atque imprudentes sunt.Existimant enim æque infelicem fuisse Vlyssem ex sua Penelope,quæ in fide semel data,post rerum acerba discrimina, & spes lautissimorum matrimoniorum objectas, constanter perseveravit, atque Menelaum ex Helenâ, quæ lascivum amorem fide conjugali potiorem habens,cum peregrino adultero, adultera ipsa fugiens,conjugem,regnum, & patriam reliquit. Certe ut non est dolor major illo, quo corpus suum quis videt aliena libidine pollui, cum uxor sit os ex ossibus, & caro de carne mariti.5.Ita non est major voluptas & beatitudo quam habere con- 5 Cap. Ad-
jugem incorruptæ fidei, inviolatique pudoris. Nam teste scri- monere.caus.
ptura, *Qui invenit mulierem bonam,invenit bonum,& haurit bene-* 33. quæst.2.
dictionem à Domino.6.item *Mulieris bonæ beatus vir,numerus anno-* 6 Prov.18.
rum illorum duplex.7.& paulo inferius.*Gratia super gratiam mulier* 7 Eccl.26.
sancta & pudorata: omnis autem ponderatio non est digna continentis
animæ.8.Denique Salomon in Proverbiis mulierem vocat coro- 8 Eccl.26.
nam viri. 9.Et Paulus gloriam viri. 10.Definitur autem gloria, 9 Prov.12. 10 1Cor.11.
consummatio & perfectio rei quiescentis & delectantis in suo fine:quando videlicet rei nihil addi potest,ut crescat ejus perfectio. Mulier itaque consummatio perfectio felicitas benedictio &gloria viri existit,atque ut ait Sanctus Augustinus,prima humani generis in hac mortalitate societas. Habuit enim prius vir uxorem, uxorque virum, quam patrem, quam matrem, quam fratrem, quam liberos. Verum ut unde digressus sum redeam, maximam optimis mulieribus faciunt injuriam, qui in eadem mariti infelicitate ponunt castam atque incestam mulierem: sicut & in matrimonium sunt iniqui,illud ob quorundam conjugum culpam improbantes, & hominum vitium in divinum institutum derivantes.

Commemorant præterea tragœdias nescio quas, quibus odia adversus fœminas, illarumque societatem concitent: at non commemorant historias, quibus laudes illustrium optimarumque mulierum continentur. Et licet ego quoque,ne sim longus & in re clara nimis multus, nolim sollicite illas hic referre; quia tamen multos video, & verbis & factis impurum suum cœlibatum castissimis atque sanctissimis nuptiis præferre, uxoresque tanquam funestam virorum pestem fugere, ideo aliquas mulierum laudes, in brevissimum compendium, ab

11 de Nobilit. & præst. Fœm. sex. Henrico Cornelio Agrippa 11 conclusas subjiciam.

Ac per singula virtutum genera eundo, ubique amplissimum locum fœminæ tenuisse inveniuntur. * Mulier fuit, quæ primo virginitatem Deo devovit, ipsa Virgo M a r i a, quæ ex hinc meruit esse mater Dei. Mulieres in prophetia divinissimæ extiterunt: quod testibus Lactantio, Eusebio, & Augustino, de Sybillis notum est. Maria Moysis soror erat prophetissa, & captivo Heremia uxor avunculi ejus nomine Holda perituro populo Israel prophetis suscitatur. Scrutemur Sacras Scripturas, & videbimus, mulierum in fide cæterisque virtutibus constantiam supra sexum commendatam. Testis Iudith, Rhut, Hester, quæ tanta gloria celebratæ sunt, ut sacris quoque voluminibus nomina indiderint. Abraham ille, quem ob fidei firmitatem scriptura justum vocat, quoniam credidit Deo, voce Domini jubetur, ut recta monenti uxori suæ Saræ obediat. Omnia (inquit Dominus) quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus. Rebecca firmiter credens, pergit ad interrogandum Deum, & ex ejus responsione audit miraculum : Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur. Vidua Sareptana credidit Heliæ, licet rem difficilem sibi dixerit, Zacharias ab Angelo de incredulitate redargutus obmutuit, at Elizabeth uxor sua, utero & voce prophetat, ac commendatur. quia fideliter credidit, quæ deinceps commendat Beatissimam Virginem dicens, Beata quæ credidisti, quæ dicta sunt à Domino. Anna prophetis post Simeonis revelationem confitebatur Deum, & loquebatur de omnibus volentibus audi: e, qui expectabat redemptionem Israel. Erant & Philippo quatuor filiæ Virgines prophetantes. Quid dicam de Samaritana illa, cum qua Christus loquebatur ad puteum, & saturatus fide credentis, cibos respuit Apostolorum. Accedit ad hæc fides Chananeæ, ac mulieris illius, quæ fluxum sanguinis patiebatur. Nonne etiam fides & confessio Marthæ fuit admirabilis. Et in Maria Magdalena quanta fuerit fidei constantia ex Euangeliis nobis notum est. Ipsa namque dum sacerdotes & Iudæi Christum crucifigunt, plorat ad crucem, unguenta portat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Deum recognoscit, pergit ad Apostolos, resurrexisse nunciat, illi dubitant, ista confidit.

Adde insuper illas etiam, quæ martyrii patientia & mortis con-

contemptu fidei suæ constantiam testatæ sunt, esse plurimas: una pro cunctis non est hic silentio prætereunda mater illa mirabilis & bonorum memoria digna, quæ in conspectu suo pereuntes crudeli martyrio septem filios non solum bono animo ferebat, sed fortiter etiam hortabatur ad mortem; atque ipsa per omnia in Deo confidens post filios, pro patriis legibus consumpta est.

Præter hæc claruerunt etiam mulieres olim apud gentes in sacerdotio, Melissa, Cybeles, à cujus nomine cæteræ Deæ sacercerdotes Melissæ postea dictæ sunt. Item Hypocaustria Sacerdos Minervę, Mera Veneris, Iphigenia Dianæ. Fuerunt & fœminæ Bacchi sacerdotes multis nominibus claræ, ut Thyades. Mænades, Bacchæ, Eliades, Mimallonides, Ædonides, Eubyades, Bassarides, Triaterides. Apud Iudęos quoque Maria Mosis ac Aaronis soror, quasi sacerdos habita est. In nostra vero religione licet mulieribus sacerdotii functione interdictum sit, sacerdotum tamen reverentiam habent, Sanctissimæ Abbatissæ & Moniales, quas antiquitas non dedignatur vocare Sacerdotes.

In Philosophia præclarę extiterunt, Theana Vxor Pythagorę, ejusque filia Damani exponendis paternis sententiarum involucris celeberrima. Item Aspasia & Ditima Socratis discipulæ, & Mantinea, & Philesia, Axiochia Platonis discipulæ. Extollit denique Plotinus Geminam atque Amphicleam; laudat Lactantius Themisten; exultat Christiana Ecclesia in Diva Catharina, quę sola puella omnem illius ęvi sapientum doctrinam longe superavit. Nec nobis hoc loci Zenobia regina Longini Philosophi discipula memoria excidat, quæ ob effusam & candidam literarum peritiam, Ephinissę accepit appellationem, cujus sacro sancta opera Nicomachus Græca reddidit.

In oratoria & Poësi offerunt se nobis insignes Armesia, cognomento Androgenia, Hortensia, Lucretia, Valeria, Copiola, Sapho, Corinna, Cornificia Romana, & Erimna, Telia seu Tesbia, quę Epagrammista fuit cognominata. Et apud Sallustium Sempronia, apud Iurisconsultos Calphurnia. Gracchorum eloquentissimam linguam mater Cornelia formavit, & Sylem Aripithi Scythiæ regis filium, Istrinei mater Græcam linguam docuit.

Quod si & prudentiam in fœmineo sexu requirimus, abunde

est exemplorum. Opis inter Deas relata, Plotina Trajani uxor, Amalasuntha Ostrogothorum regina. Æmilia Scipionis uxor, quibus accedit Debbora mulier prudentissima, uxor Labidoth, quæ ipsa, ut legitur in Libris Iudicum, aliquamdiu super populum Israël judicavit, ascendebantque ad eam filii Israël in omne judicium, illaque judice Israeliticus exercitus, hostibus cæsis fugatisque victoriam reportavit. Semiramis post mortem Nini regis judicabat populos quadraginta annis. Et omnes reginæ Candaces Æthiopiæ prudentissimæ potentissimæque regnarunt, de quibus mentio fit in Actis Apostolorum. Mira autem de illis narrat fidus ille antiquitatis scriptor Iosephus. Huc etiam accedit Nicaula regina Sabæ, quæ veniens à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Fuit & Thecuitis quędam sapientissima mulier, quę David regem interrogatione conclusit ænigmate, exemplo Dei mitigavit. Nec hic prætereundæ sunt Abigail & Bethsabea, quarum illa virum suum liberavit ab irâ David, & post mortem viri sui facta est regina & uxor David: altera autem Salomonis mater, filio suo regnum prudenter impetravit.

Porro in rerum inventionibus exemplo sunt Isis, Minerva, Nycostrata: In condendo imperio & urbibus, Semiramis universi orbis Monarchiam tenens, Dido, Amazones: In bellorum certaminibus Thomiris Massagetarum regina, quæ Cyrum Persarum Monarcham devicit. Item Camilla de gente Volscorum, Valisca Bohemiæ, ambæ potentes reginæ. Item Indorum Pande, Amazones, Candaces, Lemnenses Phocensium, Chiarum, Persidæque mulieres. Legimus de aliis multis illustrissimis mulieribus, quæ mira virtute universæ nationi suæ, in summa rerum desperatione salutem restituerunt, inter quas & Iudith, quam Beatus Hieronymus his verbis extollit inquiens: *Accipite Iudith viduam castitatis exemplum, triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum fœminis, sed & viris mirabilem dedit, quia castitatis remunerator virtutem talem tribuit, ut invictum omnibus vinceret, & insuperabilem superaret.* Legimus adhuc, quia mulier quædam sapiens vocavit Ioab, & dedit in manus suas caput Sibæ inimici David. Et mulier alia jaciens fragmentum molæ allisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus, executrix vindictæ Dei, quia fecerat malum co-

ram Domino, contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus super uno lapide. Sic Hester Assueri regis uxor, non solum liberavit populum suum à morte turpissima, sed insuper summo honore decoravit: obsessaque à Volscis urbe Roma Martio Coriolano duce, quam armis viri urbem defendere non poterant, Veturia magno conatu mulier, ac Coriolani mater, filii objurgatione servavit. Arthemisia irruentes sibi Rhodios & classe exuit, & insulam domuit erecta in urbe Rhodia statua quæ perpetuum illi stigma inureret.

Possem innumeras hic ex Græcorum, Latinorum, Barbarorumque, tam veteribus quam recentioribus historiis præstantissimas mulieres recensere. Sed instituti mei ratio vix & hæc quę retuli patitur.

Venio ad fœdas illas detestandasque proprietates, quas impudentissimi calumniatores in odium sanctissimæ societatis, quæ virum inter ac mulierem intercedit, fœminis attribuunt, dæmones illas esse, bubones, capras, fœtores, & si quid est magis fœdum magisque abominandum, asserendo.

Quæ controversia cum nimis sit clara, longis disputationis ambagibus non eget. Oculorum sensuumque testimonium sufficit. Quis enim in hoc mirabili Dei opificio (mulierem intelligo) non videt, divinum quendam splendorem relucere, omnemque munditiam & pulchritudinem locum ac sedem suam habere. Etenim mulieris corpusculum omni aspectu, tactuque delicatissimum, caro tenerrima, color clarus & candidus, cutis nitida, caput decorum, cęsaries venustissima, capilli molles, lucidi, & portensi, vultus augustior prospectusque hilarior, facies omnium formosissima: cervix lactea, frons expedita, spatiosa, & splendida, oculi vibrantiores, micantioresque, amabili hilaritate & gratia contemperati, supra hos supercilia in tenuem gyrum composita, eademque cum decora planitie decenti distantia divisa, è quorum medio descendit nasus, æqualis & intra rectum modum cohibitus, sub quo os rutilum & tenellis labris conformi compositione venustum, intra quæ tenui risu dentes emicant minutuli, & æquo ordine locati, eburneo candore nitentes, illorumque quam viro paucior numerus, quod neque edax neque mordax sit mulier. Circumsurgunt maxillę, genæquè tenera mollitie, roseo fulgore rubentes, verecundiæque

Henr. Conr. Agrip. de nobil. fœm. sex.

que plenæ, ac mentum orbiculare decenti concavitate jucundum. Sub hoc collum gracile, & longiusculum, rotundis ex humeris erectum, gulaque delicata & albicans, mediocri crassitie fulta, vox & oratio suavissima, pectus amplum & eminens, æquali carne vestitum, cum mamillarum duritie, illarumque simul ac ventris orbiculari rotunditate. Latera mollia, dorsum planum & erectum, brachia extensa, manus teretes, digitique concinnis juncturis protensi. Adhæc incessus illius gressusque modestus est, motus decens, gestus amabilis. Et ut semel dicam, mulier totius corporis ordine atque symmetria, figura ac habitudine, longe lateque in omnibus speciosissima est, nullumque in tota creaturarum serie aut spectaculum adeo mirandum, aut miraculum adeo spectandum esse videtur, ut nemo nisi cœcus, omnino non videat DEum Optimum Maximum, quicquid pulchritudinis sparsim in universo mundo reperitur, in mulierem simul congessisse; ut ob id illam omnis creatura stupescat, & multis nominibus amet ac veneretur. Quod si qui sint, qui illam non amaverint, quique odio habuerint, illos ab omnibus virtutibus & gratiis, nedum ab humanitate esse alienos necesse est.

Ac ut Plato Xenocratem alias generosum & magnanimum sed interim moribus austerissimis hortatus est, ut Gratiis rem sacram faceret: 12 ita & ego non inepte pronubæ illos Iunoni, atque Amori, immolare jubeo, ut propitii iis sint, jucundumque matrimonium efficiant.

12 Plut. in Amotor.

Simonidis responsum nullam habet auctoritatem, utpote morbo non judicio datum. Sacri Canones nequaquam nuptias improbant, sed eas favoribus præcipuis & benedictionibus prosequuntur. Nec Sanctus Augustinus conjugalem vitam facit periculosæ navigationi similem, sed recti sanctique propositi desertorem per verbum *Navigasti* docet periculosum esse, fidem semel Deo datam violare; qui enim in spem pœnitentiæ atque veniæ peccat similis est illi qui ventis & mari fragilem credit ratem, sicut enim ille non potest ferentes sibi ventos certo polliceri, ita neque hic pœnitentiam. Quod autem ista sit illius loci interpretatio inde constat, quod ille Bonifacius supradictus Comes, castitatem suam Domino Deo promiserat, per simplex (ut loquuntur) continentiæ votum, quod violavit uxorem-

que

que duxit. Vnde Sanctus Augustinus primo dixit, *Navigasti*, & postea addidit, *uxoremque duxisti*, quasi dixisset Navigasti, in periculumque te conjecisti, mutando propositum integritatis, & postea uxorem duxisti.

Scriptura quæ dicit inventam esse mulierem morte amariorem, ut malas vituperat, sic bonas mulieres commendat, quod nemini nam constat. Nec mirum est quod mala mulier morte sit amarior, non bona vita est dulcior. Philosophorum est doctrina, earum rerum corruptionem esse pessimam, quarum integritas est optima. Prudens in omnibus meliora eligit, deteriora fugit.

In fine hujus capitis velim illos qui conjugio sunt infensi, meminisse, matrimonii reprehensores, hæreseos ab Ecclesia damnari, tamque honorificum esse matrimonium, quam est infame vocabulum Hæretici.

Caput II.

De iis, quæ ad justas nuptias contrahendas requiruntur.

AD legitimum matrimonium, seu justas nuptias quatuor potissimum sunt necessaria: primo status sive conditio personarum contrahentium; secundo ætas habilis ad contrahendum: tertio consensus: quarto ut absit impedimentum quominus licita sit conjunctio. Hæc quam brevissimè sequentibus paragraphis expediemus.

§. I.

De Statu seu Conditione personarum, matrimonium contrahentium.

LEgibus Romanorum statutum erat, ut Cives Romani (id est liberi) sint, qui nuptias inter se contrahunt & secundum præcepta legum coeant. Vnde apud eos cum servis nuptiæ non contrahebantur sed tantum contubernium 1 & servorum conjuges, non uxores, sed contubernales dicebantur. 2

Hodie etiam inter servos, quos lavit unda baptismatis, jure Canonum constat matrimonium, quia Ecclesia non habet personarum delectum; quamvis id jus civile non admittat, quo servi

1 l. cum ancillis 3. C de incest. Nupt. 2 l. Uxorē 14. § Codicillis 2. D. de legib.

ſervi pro nullis habentur. Error nihilominus conditionis ſervilis, quando liber contrahit cum ancilla, vel libera cum ſervo, irritum reddit matrimonium. 3 Quia hujuſmodi perſonæ non poſſunt fungi officio conjugali, nec ad libitum ſuum, individuam ſecum habere cohabitationem, neque prolem habere, aut eandem religiosè educare.

3 C. 2. & 3. & fin. de conjug. ſerv.

§. II.

De ætate ad nuptias idoneâ.

ALiam ad matrimonium ætatem jura, aliam politici requirunt, & tam illa, quàm hi aliam marito, aliam uxori definiunt. Secundum ergo jura ætas ad matrimonium habilis in maribus eſt quatuordecim annorum 1 in fœminis duodecim annorum 2 illa etenim ætate mares ut plurimum fiunt puberes, & facultas geniturę in illis incipit; fœminæ vero viri potentes ſeu nubiles efficiuntur.

1 Inſtit. quib. mod. tut. fin.
2 Proculejorum hæc ſen. eſt.

Verum quia non ſolius tantum geniture ratio haberi debet, ſed inſuper prudentiæ, quæ ſufficiat regendæ familiæ, uxori & liberis, in quos nimis exiguo ætatis intervallo diſcretos non ſatis auctoritatis habent parentes; & etiam quia præmatura libido vires exhaurit, incrementa impedit, & ſobolem quoque debilem gignit, 3 ideo philoſophi & legumlatores, aliter ſuaſerunt. Heſiodus Poëta Vetuſtiſſimus & Xenophon ſuaviſsimus philoſophus, viro trigeſimum, mulieri quartum decimum annum addixerunt, Lycurgus autem ſeptimum & trigeſimum maribus, decimum octavum fœminis conſtituit. Idem præſcripſit & Ariſtoteles 4 *Puellas* (inquit) *circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradere congruit, maſculos autem, circiter annorum ſeptem & triginta. in hoc enim tempore, & vigentibus corporibus conjungentur, ac procedente tempore ſimul apte deſinet procreare poſſe, & filiorum ſuſceptio partim erit ab initio ætate vigentibus adhuc, ſi recte procedat ſtatim generatio, partim jam vergentibus ad annum ſeptuageſimum.* Hæc Ariſtoteles. Attamen (ut rectè monet Diodorus Tuldenus 5) hæc rationum momenta prudentiæ & libertati relinquenda fuerunt, non verò trahenda ad neceſsitatem juris, quod tam præcoces nuptias non quidem probat, ſed permittit naturę inſtinctui, ne alioqui in vagas libidines effundantur. Qua

3 Ariſt. 7. Polit. cap. 16.
4 Ibidem
5 Comment. ad Inſtit. tit. 10. cap. 3.

ratio-

ratione jus Canonicum, etiam ante hunc terminum nuptias permittit, si vigor genituræ eum prævertit. 6 Atque ita Cassianos hac in parte sequitur, qui ex habitu corporis æstimabant pubertatem. Denique inter reges principesque, quoties matrimonium est pacis stabilimentum, validè contrahitur, & à prorsus impuberibus. Sed cur citius fœminæ ad nuptias admittantur quam viri, cum tamen major sit naturæ vis in sexu virili, à multis quæri video? Et responderi potest, naturam per constitutum procedere, ideoque quia fœminis breviorem quàm maribus vitæ facultatem indulsit 7. etiam citeriorem pubertatis terminum posuit. Acutè & Macrobius, 8 quod fœminæ cito generationi admoventur, naturæ fœmineæ imbecillitati adscribit, ut exilia poma celerius maturescunt, robusta serius.

6 C. de illis & C. fin. ext. de sponsa impub.

7 Arses de diuturnit. & brevit. vitæ c. 1.

8 Lib. 7. Saturn. cap. 7.

§. III.

De consensu ad contractum matrimonii necessario.

DVplex in nuptiis invenitur consensus, alter ipsarum personarum matrimonium contrahentium, alter verò eorum, in quorum potestate sponsus & sponsa existunt. Prior ergo consensus ita est necessarius, ut in eo tota vis matrimonii consistat: quia inter invitos non ineuntur nuptiæ, cum coactæ difficiles soleant habere exitus. Debet autem hic consensus esse certus, & sine errore circa personam cum qua contrahitur; Liber præterea à quovis metu, qui si justus sit, vinculum matrimonii impedit, nisi spontanea cohabitatione purgetur.

Iam verò consensum illorum, quorum potestati sponsi subjacent, exigit matrimonium & naturali ratione, quæ parentibus deferendum honorem dictat, qui potissimum in obtemperando ipsis cernitur: & civili ratione, quia iniquum est invitis parentibus suum hæredem obtrudere, & inconsulto amore, atque impari matrimonio, imminuere familiæ dignitatem.

Sed non minus valida ratio in contrarium etiam est; quod matrimonia liberrima esse debeant, ne si alieno arbitrio dirigantur conjuges, non satiatis votis foras spectent, cum damno concordiæ, fidei, & castitatis. *Quod si licet aliquando* inquit Fabius 1 *etiam contra parentis voluntatem, ea quæ alioqui reprehensionem non merentur filio facere, nusquam libertas tam necessaria quam*

1 Declam. 257.

in matrimonio est. Quæ ratio Pontifices movit, ut in hac parte jus civile abrogaverint 2 Accedit quod cum patris voluntati non adstringatur filius familias in iis, quæ juris publici sunt, idem dicendum sit de matrimonio, quod juris divini est. Et jus divinum parentum auctoritatem exigens, liberos quidem, qui contra eam sine causa ineunt nuptias obstringit peccato, sed non & nuptias suo vitio irritas declarat, aut dissolvit. 3

2 C penult. ext. de rap-torib. C suf-ficiat 27. q. 2.

3 arg. Gene-seos 36. Gro-tius de jur. libel. 5 Num. 10.

§. IV.

De impedimentis matrimonii.

VAria matrimonii impedimenta à Theologis & Canonistis late referuntur, nos paucis attingimus.

Primo impedit matrimonium *sanguis*; personæ enim junctæ sibi sanguine, nequeunt vinculo conjugali copulari, idque vel jure naturali, vel civili, vel Pontificio. Nam in primis naturalis verecundia damnat inter parentes liberosque quantocunque gradu etiam disjunctos conjunctionem, quæ nefaria dicitur, quia contra fas naturæ est, cujus ordo turbatur confusis pietatis nominibus, & violata reverentia sanguinis. Deinde jura civilia detestantur, & incestam judicant in certis sanguinis gradibus conjunctionem, qualis reperitur inter eos, qui sunt ex fratre vel sorore geniti, aliasque similes personas. nam cum patruus & amita loco parentum sint, propemodum contra fas naturæ est illa conjunctio, & merito incesta dicitur. Adeo ut cum Claudius Imperator ducta in uxorem Agrippina, cujus avunculus erat, id genus nuptias omnibus lege lata permisisset, unus tantum extiterit, qui tam impiæ legis indulgentiâ uteretur, & ne is quidem sponte, sed in Agrippinæ gratiam, vel ab ea subornatus, tanquam dedecore ejus minuendo, si plures fœdasset. 1 Denique Sacri Canones prohibent nuptias inter eos, qui per transversam (ut vocant) lineam sanguine se contingunt, adeo ut non aliter quam in quinto usque gradu licita sit conjunctio. 2

1 Tacit. lib. Annal. Liv. 2.

2 C. non de-bet. ext. de consang. & affin.

Secundum matrimonii impedimentum est *Affinitas*. Pari namque modo, eundemque in gradum prohibentur nuptiæ ratione affinitatis, quæ nihil aliud est, quam necessitudo intercecedens cum conjugis cognatis, matrimonii societate eos invicem communicante 3 Adeo ut quo gradu & genere quisque uxori

3 L. 4 §. affi-nes D. de gra-dib.

ri alicujus cognatus est, eodem & marito affinis existat. Vnde liquet, quod cognati uxoris, & vir affines quidem sint, & vicissim; quia huc optimè referri potest illud vetus: *Si amicorum res communes, etiam amicorum amici communes.* At vero inter cognatos hinc uxoris, inde mariti, nulla affinitas existit. Cui consequens est, quod duo fratres unius familiæ, cum duabus alterius familiæ, sororibus ritè conjungantur. Item filia Novercæ, quam illa non ex privigni parente habet, recte privigno copulatur. Iure Canonum non tantum ex nuptiarum societate, sed ex confusione sanguinis per illicitam corporum commixtionem oritur affinitas 4 propter quam, quemadmodum quis defunctæ uxoris suę, ita & à se vitiatæ sororem, ducere uxorem non potest.

4 c.2. extra de consang.

Tertium impedimentum consurgit ex *cognatione legali*, quæ per adoptionem contrahitur. Atque ita filius naturalis impeditur ducere sororem adoptivam, propter potestatem, cui simul subjiciuntur, & ex qua oritur propinquitas. Frater quoque fratris filiam adoptivam non ducit, cùm sit loco patrui, nec soror filio adoptivo fratris recte nubit, quia amitæ instar est.

Quartum impedimentum nuptiis ponit *Publica honestas* ratione cujus, non potest quis eam in matrimonium accipere, quam uxor sua, post justum divortium, ex alio procreavit, licet talis mulier, nequaquam sit privigna viri, à quo sua mater per divortium separata est. Ex eodem impedimento sponsa patris non nubit filio, nec sponsa filii parenti. Neque enim conveniens est, ut quis eam uxorem habeat, quam loco matris, aut filię fere habuit.

Quinto impediuntur nuptiæ *cognatione mystica* inter baptizatum ejusve parentes, & baptizantem, vel eos qui de sacro fonte susceperunt. Idem contingit per sacram Confirmationem, qua de re accurate Theologi.

Idcirco autem jure hæ prohibitiones sancitæ sunt, ut plura necessitudinum genera charitatem generis humani continuarent, diversis familiis, per nuptias conjunctis, quæ si permissæ inter cognatos essent, intra naturę limites, benevolentię fœdera arctarentur, cum illæ sæpissime familiam non egrederentur, conciliante illecebra & propinquitatis, & ab ineunte ætate familiaritatis. 5

5 D. Aug. de Civit. Dei lib 15. cap. 16.

Sexto impedit matrimonia *Perpetua impotentia exequendi officium conjugale*, ſive illa à natura, ſive à caſu contingat, modo ante matrimonium eveniat. nam ſi poſt contractum matrimonium ſuperveniat, nihil prorſus officit vinculo conjugali.

Septimum impedimentum ad matrimonium ineundum eſt *Sacerdotium*, ob quod clerici conſecrati, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, nequeunt uxoribus conjungi, non quod eam conjunctionem naturæ ſenſus damnet, aut jus divinum prohibeat, ſed quod vetet Eccleſia, mota maximâ convenientia, cum eos qui rerum ſacrarum functioni mancipantur, omnis mundicies condeceat. Quanquam & conjugium clericorum nihil in ſe habet turpitudinis aut dedecoris, ubi non urget Eccleſię de continentia præceptum, uti non urget in Græco ritu, in quo ſacerdotium cum conjugio conſiſtit. Quod etiam in ritu Romano multi optabant, & Pius Pontifex dicebat, Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majore reſtituendas. 6 Si id Pontifex ſenſit, credo ad id reſpexerat, quod nunc is rerum ac temporum ſit ſtatus, ut nuſquam reperiatur minùs inquinata morum integritas, quam apud conjugatos. Eccleſia verò cælibatum ſacerdotibus præſcribens illa tempora potiſſimum videtur conſideraſſe, quibus oportebat eccleſiaſten ab omnibus mundi negotiis quam maximè expeditum eſſe. Curſitandum enim erat per omnes mundi regiones, doctrina ſalutis omnibus gentibus erat prædicanda, imminebat undique perſecutor, nullibi fixum aut ſecurum domicilium habere licebat.

6 Auctorem citat Joan. Nevizian. in Sylva Nuptiali.

Pręter dicta impedimenta fuerunt & alia, quæ jam in uſu eſſe deſierunt. Vt propter dignitatis inæqualitatem, Senatores, & ex iis geniti, libertinas, aliaſve viles fœminas non rectè ducebant. Propter ætatem quoque viri ſexagenarii fœminas ſexagenarias prohibiti fuere ducere. Propter metum concuſſionis & fraudis, Præſidibus provinciæ uxorem ducere provincialem non licebat; neque tutori, ejuſve filio eam, quæ in ipſius cura erat, non redditis rationibus. Quæ impedimenta hodie non obſtant. Denique propter flagitii enormitatem. Vt raptor raptam ducat, jus civile non permittit. Secus Canonicum, ſi rapta loco tuto & libero extra poteſtatem raptoris conſtituta, in nuptias cum eo conſenſerit.

CAPUT III.

De pœnis illegitimarum nuptiarum & præmiis legitimarum.

SAcratiſſimus princeps Iuſtinianus imperator præſcripto nuptiis ritu, & numeratis iis, quæ obſtant matrimonio, tandem ſubjicit: *Si adverſus ea quæ diximus aliqui coierint nec vir nec uxor nec nuptiæ nec matrimonium nec dos intelligitur.* 1 Quæ omnia civiliter intelligenda ſunt. Vir & uxor nomina ſunt dignitatis, & nomina perſonarum, quę nuptiis conveniunt. Nuptiæ & matrimonium civilia quoque ſunt nomina. Dos verò ſine matrimonio juſto conſtitui non poteſt. Nati proinde ex tali conjunctione nec in patriâ ſunt poteſtate, ut quę ſolum ex juſtis deſcendat nuptiis: nec patri ſuo hæredes eſſe poſſunt; nec de patris familia intelliguntur, ſed ſunt tales, quales ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum & his pater incertus ſit. Vnde ſolent ſpurii appellari, quaſi ſine patre filii. Et pœnæ quidem ſunt iſtæ. 1 § Si adverſus Inſt. de Nuptiis.

Præmia autem juſtis nuptiis (præterquam quod Imperatores annum ad immunitatem conceſſerunt, & præmium è publico ſtatuerunt ei, qui de novo uxorem duxiſſet) plurima fuerunt antiquitus conſtituta. Vt qui liberos procreaſſent, in ſententiis dicendis eſſent primi, & in petitione magiſtratus, aut officii alicujus, liberorum numerus prævaleret. 2 In theatris ac ſpectaculis honoratiorem iidem locum occuparent. 3 Singulis annis acciperent munera. 4 Liberi eſſent ab excubiis apud Spartanos maxime, ſi tres haberent filios, immunes ab omnibus publicis officiis, ſi quinque. 5 Liberarentur à tutela & cura, qui tres liberos ſuperſtites haberent Romæ, vel in Italia quatuor, vel quinque in provincia. 6 Cauſa præmiorum illa eſt. Quia uſu compertum eſt, nuptiis legitimis aptiores ad honeſtatem filios naſci, gravius educari, meliores denique cives effici, ex quibus conſtans civitas, amicis, juſtitia charior eſt, hoſtibus, virtute terribilior; ſicut etiam exploratiſſimum magiſtra fecit experientia, illos qui illegitime ac intemperanter procreati ſunt, ut plurimum flagitioſos ac improbos, & ad turpitudinem propenſiores eſſe. Honeſto loco natos paternæ gloriæ lumen obſcuros eſſe non patitur, qui parentum imagines ſibi plus oneris quam ho-

2 Appian. lib. 2. de Bello Civil.
3 Sueton in Aug.
4 Herodot. lib. 1.
5 Ariſt. 7. Polit. c. 7.
6 Inſt. de Excuſ. tutorum vel Curatorum.

7 Franc Barbar. De re uxor. lib. 1. cap. 1.

honoris afferre intelligant, nisi sua virtute majorum dignitati, ac amplitudini respondeat. 7

His pœnis unusquisque ad justas nuptias adigitur, his premiis invitatur: quanquam ipsæ nuptiæ amplissimum sunt sibi ipsis præmium, sicut & cęlibatus pœna. Nam ut recte differit Henricus Cornelius Agrippa 8 qui uxore caret, domum non habet, quia domum non figit: & si habet, moratur in ea, tanquam peregrinus in diversorio. Qui uxorem non habet (etiamsi ditissimus sit) nihil fere habet quod suum est, quia nihil habet tutum ab insidiis, nec habet cui posset relinquere, nec cui confidere. Qui uxorem non habet caret familia, caret propinquis, & sine posteritatis spe, semper desertus & destitutus est: Furantur eum servi, defraudant socii, contemnunt vicini, negligunt amici, propinqui insidiantur. Filios si quos habet naturales, sunt sibi ignominię, ac testes iniquitatis suæ, nec potest illis opes suas, nec nomen familiæ relinquere, sed ut manet in vita sine nuptiis, ita mortuus perit sine nomine & sine memoria. Quis jam non videt, cælibatum sibi ipsi pœnam esse gravissimam. Iam verò, quemadmodum nuptiæ suum in se ipsis contineant præmium, supra ostendi, ubi bona conjugii recensui, hic tantum addo, nuptias vel eo solo nomine esse expetendas, quod per illas homines modesti pacatisque moribus reddantur, quam rem præter multa alia quæ hic non commemoro, certam efficit etiam vulgare proverbium, quo dicitur; *si lupus uxorem haberet castigaretur, & si mare duceret uxorem non esset ita procellosum.* Quamobrem cuicunque prędicta matrimonii bona cordi sunt, & quicunque homo esse, quicunque officio humanitatis fungi, quicunque pius in patriam, in familiam, in rempublicam esse vult, legitimum matrimonii vinculum non fugiat, necesse est, indissolubilem vitæ consortem diligat, genus hominum adaugeat, filiosque sibi similes procreet, prudenter educet, & gubernet, ad gloriam Dei & reipublicæ stabilimentum. Nisi illum aliquid minus homine natura impedita produxerit, vel aliquid majus homine, humanas vires transcendendo, angelicam castitatem perpetuo servare delegerit.

8 Lib. de Sacr. Matr.

CAPUT IV.

De iis quæ in marito consideranda sunt.

TRactare de his multis fortaſſis ſuperfluum videbitur, cum hæc viris, non fœminis, quæ latinè non legunt ſcribamus. Quia tamen non ſolæ fœminæ viros ſibi eligunt, ſed ſæpe eas patrum auctoritatem & amicorum conſilium in hoc negotio ſequi neceſſe eſt, ideo nihil extra rem erit adſcribere ea, ex quibus patres filiabus & amici puellis ſanguine junctis, idoneos maritos poterunt judicare. In hoc enim plurimum eſt momenti, & res etiam parentum agitur, qui elocando filias, aut filios acquirunt, aut filias perdunt: filias acquirunt bonos, filias perdunt malos nacti generos.

Exiſtimo autem quinque potiſſimum in viris eſſe ſpectanda, patriam videlicet, genus, ętatem, prudentiam, & induſtriam. Et inprimis patria non parum facit ad virtutes proboſque mores, quos tantâ diligentia uxor in marito, & ſocer in genero debet requirere, ut omnia his inferiora ducat. Vnicæ filiæ pater Themiſtoclem conſulebat, utrum eam pauperi, ſed ornato, an locupleti, ſed parùm probato collocaret? Cui præclare Themiſtocles; Malo inquit virum pecuniâ, quam pecuniam viro indigentem: 1 Et Themiſtocles quidem id dixit. Marcus verò Imperator fecit, qui filias cum adoleviſſent optimis ex ordine ſenatorio viris collocavit. Neque enim qui longam generis ſeriem præferrent, aut qui opes nimias oſtentarent, ſed qui morum probitate atque modeſtiâ vitæque innocentia præcellerent, eos ſibi generos deligendos putabat. Hæc enim ſola animi bona certa eſſe, ſtabiliaque ducebat. 2 Quod verò ex patria non levis fiat conjectura ad cujuſquam mores, teſtis eſt Sacra ſcriptura, in qua ut legimus Abraham ſenex dierum multorum, noluit niſi ex optima gente uxorem filio ſuo Iſaac accipere. *Dixitque* (ait ſacer ſcriptor) *Abraham ad ſervum ſeniorem domus ſuæ qui præerat omnibus quæ habebat: pone manum tuam ſubter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo, de filiabus Chananeorum inter quos habito, ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem Filio meo Iſaac.* 3 Filii quoque Iacob noluerunt dare in uxorem

1 Valer. Max. lib. 7.

2 Herodian. lib. 1.

3 Gen. 24.

Di-

Dinam sororem suam Sichem filio Hemor Hevęi principis Sichimorum, licet propter eam princeps cum toto suo populo
4 Gen.34. circumcisionem solis Hebræis usitatam libenter subierit. 4 Apud Germanos quoque ex patria homines æstimari observatum est, apud quos etiam nunc in quibusdam civitatibus moris est, ut literis quas fide publicâ dant peregre abeuntibus ista verba inserant: *Testamur prædictum Dominum N. N. non esse Bohemum aut Carniolum* (sunt enim isti homines Germanis invisi) *sed verum & genuinum Germanum.* Quod de patria idem & de genere mariti sentiendum est. Nam illud & æque ac patria spondet pro virtutibus illius, & insuper pertinet aut ad decus & honorem nubentis, si fuerit nobile vel illustre; aut ad dedecus ejusdem; si humile & obscurum.

Ad decus inquam aut dedecus nubentis, non autem mariti, quia non sicut nobilitate mariti illustratur nomen uxoris, ita viliore sanguine uxoris contaminatur sanguis mariti, cum non vir in familiam uxoris (si antiquos Persas excipimus) sed hęc in illius per nuptias transeat.

Ætatis quoque non exigua ratio habenda est in marito, quæ neque minima neque maxima debet esse, sed recte commensurata ad ętatem uxoris, quę recto euntibus ordine rebus, annis viginti circiter viro debet esse junior, ob causas quas insinuavi, quando egi de ætate ad nuptias idonea. Iuniori viro fœmina natu grandior nec reverentiam, nec obedientiam debitam facile pręstat: nimis autem senem ac decrepitum maritum adolescens uxor fastidit, & si non machinatur ipsi mortem, saltem expectat; tormentum sibi cum tali esse non conjugium judicans. Quare parentes decrepitis atque edentulis senibus immaturas filias desponsando, crudeles sunt in suum sanguinem, & Mezentium illum imitantur, qui

Mortua (ut inquit Maro) *jungebat corpora vivis,*
Componens manibusque manus atque oribus ora.

Cæterum hęc intelligenda sunt de illo tantum conjugio, in quo alter est decrepitus, altera primi floris; non autem de illo, in quo ambo sunt putridi; aut in quo fœminę feliciores quidem sunt anni, sed & viro cruda viridisque senectus. Sed de his paulo post nonnihil dicemus, ubi quæremus, utrum seni ducenda sit uxor.

Pru-

Prudentia in marito est id quod caput in corpore, cum ille sit caput mulieris, cui & præest imperio, & consilio adest: præterea domus tota, quam gubernare, & filii, quos instituere lege naturæ jubetur, summam ab illo prudentiam exigunt.

Tandem industria, sub qua etiam opes intelliguntur, necessaria est marito ad uxorem alendam, prolem educandam, & familiam sustentandam. In his enim tribus omnis stat domus & sine his ruit. Prudentes ergo patres auribus potius sibi quam oculis generos quærant: nam frons, vultus, oculi, persæpe mentiuntur: & (si Erasmo credimus) nulla candidorum virorum utilitas est. 5 quia forma intensis studiis, aut continuis laboribus perditur. (5 In Proverbiis.) Hinc laudanda est illa consuetudo, quam in Mazovia regni Poloniæ provinciâ, tenuior servat nobilitas. Nam cum primum proci veniunt puellas illius provinciæ in matrimonium petituri, patres puellarum, hospites generosque futuros salutando, dextris suis dextras illorum prehendunt, ac siquidem duras ipsorum manus deprehendunt, non gravate dant illis filias: persuasum enim habent eas manus labore opum genitore esse induratas. Si verò in molles incidunt, eis nequaquam suum credunt sanguinem, otiosos illos atque inertes ex mollitiè judicantes. Et merito. Nam ut recte non nemo 6 dixit. (6 Bahusius in Epig.)

Pulchra quidem est virtus, sed sole & pulvere fusca
Diva sudatrix, otiaque alba fugit.
Ipsi cœlicolæ vendunt sua cuncta labore,
Nec nisi callosis præmia dant manibus.

CAPUT V.

De iis quæ in ducenda uxore spectanda sunt.

QVæ maximè in viro conjugium petente requirantur, proximo capite mediocriter mihi dixisse videor, jam quæ in muliere matrimonio idonea attendenda sunt, videamus. Sunt autem potissimum ista, conditio, mores, nobilitas, forma, dos, & divitiæ.

§. I.

De Vxoris ducendæ conditione.

Conditio de qua hic agimus, non est status hominum secundum quem in hac civili societate quisque regitur, quique in tribus maximè consistere dicitur, libertate nimirum, civitate, & familia: nam de istiusmodi conditione egimus superius. 1 Sed conditione mulieris virginitatem illius aut viduitatem intelligimus. Atque ita quærimus, utrum sola virgo ducenda est, an verò etiam vidua?

1 cap. 2. §. 1.

Virginum conjugium omnes laudant, viduarum plurimi improbant, pauci defendunt. Quia puellæ, non grandiores natu, & ea quę necessaria atque commoda sunt facilius addiscunt, & si quę vitia semel insederint, celerius dedocentur. Quemadmodum enim mollibus cæris imagines facile imprimuntur, duris verò ac solidis impressæ vix possunt deleri: Sic teneræ Virginum mentes, nullo negotio bonorum morum doctrinam à viris recipiunt, at viduæ, tum suis tum alienis moribus assuetæ, non minori difficultate ad novorum maritorum vivunt consuetudinem, quam annosæ arbores transplantantur.

Afferunt huc auctores & illam rationem, quæ usu probatur, & ex media natura petitur. Docent enim hi qui reconditas rerum causas rimantur, naturam ipsam quod optimum sit semper intendere, quod in generatione hominis mas est, eandemque cum marem efficere nequeat, fœminam gignere, quæ maris applicatione & nobilitatur & perficitur. Ideo mulieres eos omnium maximè diligere quibus primo congressu conjunctæ sunt. 2 Quorsum hęc? Quia virgo probos primi mariti mores facilius induet, suos depravatos exuet, & illum vehementius amabit. Postremum istud docent illa Didonis apud Maronem verba, quibus Sichæo primo suo marito, totum suum amorem devovet. dum dicit.

2 Franc. Barb. de re Uxor. lib. 1. Cap. 3.

Ille meos primus qui me sibi vinxit amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulchro.

Præterea viduarum matrimonium apud Romanos infame fuerat, & levitatis ac impudentiæ damnatum: apud quos è contra coronâ pudicitiæ donabantur illæ, quæ unico viro fuerunt con-

contentę. Nolebant enim prudentiſſimi homines ſua laude matronas defraudare, quæ animum ſuperiori viro dedicatum, etiam mortuo, ſincera fide, incorruptèque ſervarent. 3

3 Idem ibid.

Leges quoque civiles ſecundas nuptias in mulieribus certis pœnis coërcent, cum ob multa alia, tum quod credant ex ſecundis nuptiis contriſtari animam defuncti mariti, & primam ſobolem 4 Sunt qui exiſtimant, Deo inſuper repetita viduarum matrimonia diſplicere: idque inde confirmant, quod mater Beati Simonis Tridentini antequam ad ſecunda vota tranſiſſet, plurima à Deo beneficia, ſibi ac ſuis amicis ad dicti filii preces, obtinuiſſet: at poſtquam ſecundo nupſit, cœleſtem illum favorem perdidit. 5 Hæc contra viduas.

4 §. Nos igitur. Volentes in Auth. de Nupt.

5 Ioan. Neviz Sylv. Nupt. lib. 2. fol. 144.

Pro viduis iſta patroni illarum adducunt, quod illæ magis didicerint parere imperiis maritorum, regere familiam, domumque gubernare, quàm virgines, quarum tota vita in comptu formæque cultu occupata eſt. Adhæc viduarum mores facilius eſt cognoſcere ex præteritis matrimoniis, & libertate, quam poſt funera primorum maritorum habent; virginum vitia occultant parentes, vel timor eorum ſub quorum ſunt poteſtate. Sed & ad divitias expeditiſſima via eſt, pecunioſarum viduarum matrimonium, multique ab extrema egeſtate ad ſummas opes dotibus viduarum pervenerunt.

Ego nec omnium viduarum conjugium probo, nec omnium damno, ſunt etenim quædam pejores, quædam meliores virginibus, ſola virginitate ſuperbientibus, de quibus illud eſt memorabile Auguſtini: *Melius eſt humile conjugium, quam ſuperba virginitas.* 6 Et in primis nemini ſuaſerim eam capere viduam, quæ ſæculo ferme ſuperat annos mariti, & matris potius honorem ætate meretur, quam conjugis amorem. Ingrati quoque ſunt juveni viro aniles complexus, & corpori nocivi. Hinc Philoſophus quidam dixit. Vetulam non cognovi, cur debeo mori? 7 Et juxta proverbium capra juvenis ſal comedit, antiqua & ſal & ſaccum devorat.

6 in Pſal. 17.

7 Joan. Neviz in Sylv. Nupt.

Poſt annoſam, cavendum etiam eſt ab illa vidua, quæ poſt fata mariti diu à nuptiis abſtinuit, & jucundè ſuaviterque vixit. Quia hujuſmodi fœminæ & ſuſpectam habent pudicitiam, & imperare potiùs quam ſubeſſe maritis, aptæ ſunt. Cum his vitanda eſt grandiori viro vidua, quæ adoleſcentem priorem ma-

ritum habuit; deformi, quæ ſpecioſo nupta fuit; ſevero, quæ blanditiis prioris conjugis aſſuevit.

Reliquarum viduarum conjugium omnino eſt expetendum, maxime divitum, juvenum, formoſarum, liberos prioris matrimonii non habentium, nec non earum, quæ ignavos, ignobiles, ſenes, duros, aut moroſos priores maritos habuerunt. Nam odium præteritorum faciet, ut hujuſmodi uxores ardentius amore pręſentes viros complectantur, & concors ac tranquillum habeant matrimonium. Cæterum negare ſecundas mulieribus nuptias nimis durum eſt, cum viris non ſit turpe plura experiri matrimonia, non tantùm ad procreationem ſobilis, ſed etiam ad incontinentiæ medicinam: in quibus tamen major eſt, quam in mulieribus virtus ad voluptatibus reſiſtendum; id quod nemo dubitat; & fatetur apud Naſonem Hero venuſtiſſima illa ex Seſto puella, dum ad Leandrum Abydenum adoleſcentem ſcribens dicit:

Vrimur igne pari, ſed ſum tibi viribus impar,
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.
8 Epiſt. 19. *Vt corpus teneris ſic mens infirma puellis.* 8

Omnes libri una voce clamant, nihil ardore amoris eſſe vehementius, quem certè intra debitos limites coërcere philoſophicum eſt non muliebre. Nam.

Igneus ille furor neſcit habere modum.

Barbaræ imperatrici (erat illa Sigiſmundi Cæſaris uxor) ſuggerebant amici, ut turturis exemplo cęlibatum, poſt primum è vivis ſublatum maritum amplecteretur: Quibus illa, quid mihi turturis exemplum proponitis? ſi volucres libeat imitari, cur non potius paſſeres, aut columbos elegero. 9

9 Æneas Sylv. de Sigiſm. & Frider. imp.

Pœnę quarum ſuperius fuit mentio, à legiſlatoribus, non tam ſecundis, quam feſtinatis fœminarum nuptiis conſtitutæ ſunt, ne videlicet dubium ſit utrius parentis ſit proles. Nam dum nimis cito convolant ad ſecunda vota mulieres, incertum ſit, cui patri tribuenda ſit proles, nono aut decimo menſe, poſt prioris mariti obitum edita. Quod ſiquis omnino contendat, pœnas legibus politicis, in ipſas ſecundas mulierum nuptias, & non in earum celeritatem eſſe ſtatutas, ei reſpondendum eſt, leges civiles, libertatem matrimoniorum conſtringentes, ſublatas eſſe per ſacros canones, quibus ſtandum eſt in rerum ſacrarum negotiis.

Igi-

Igitur nec lex, nec ratio, nec utilitas prohibet quarundam viduarum conjugia. Virginum tamen nuptiæ, si cætera paria habuerint, viduarum meritò præferendæ sunt.

§. II.

De Vxoris ducendæ moribus.

QVantum in virtute, & bonis moribus mulieris situm sit, sacri libri nos docent. *Mulieris* (inquit Ecclesiasticus) *bonæ beatus vir. Numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona timentium* DEUM, *dabitur viro pro factis bonis.* Et Paulo post. *Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est. Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Omnis autem ponderatio, non est digna continentis animæ.* 1 Vir ergo bonus ante omnia cum uxore virtutem quæret, 1 Eccl. 26.
cujus ea vis atque dignitas est, ut si cætera desint, nuptiæ tamen gratæ sint, sin adsint, jucundissimæ certo fiant. Mali hominis & pessimi moris est, nihil de moribus, deque optimis fœminæ dotibus, de prudentia, fide, verecundiâ, castitate, modestia cogitare, & solum nuptiis dotem & formam, quæ sunt avaritiæ & libidinis nutrimenta, quærere. Profectò, (ut cætera sileam) res domestica optimè se habet, quæ mulieris principis prudentiâ, cura, industria instituitur & gubernatur. Qua in re non referam exempla Penelopes, Lucretiæ, & sexcentarum aliarum, quæ & laude pudicitiæ floruerunt, & imperio in familiam memorabiles fuerunt. Sufficit testimonium sacrarum literarum, ubi bonitas mulieris, & propter illam felicitas domus describitur. *Confidit* (ait sacer textus) *in bona muliere cor viri sui, & spoliis non indigebit. Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, & emit eum de fructu manuum suarum, plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, & digiti*

ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byßus & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sedebit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit & vendidit & cingulum tradidit Chamanæo. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ & lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus & laudavit eam. 2

2 Prov. 31.

Ex his constat, & quantopere quis sollicitus esse debeat, ut optimis moribus uxorem accipiat, & quæ virtutes matribus familias maximè conveniant. Sed magnæ artis & felicitatis est, in electione non decipi. Nam sunt plurimæ virgines, quæ composito vultu simulant virtutes quas non habent, ut non immerito quispiam miratus fuerit, tot malas uxores reperiri, cum tamen virgines nupturientes malæ non inveniantur.

Itaque conducit plurimum, famam mulieris in conjugium petitæ in consilio habere. Non audio Thucydidem, gravissimum alioqui auctorem, qui primam laudem tribuit ei fœminæ, de qua foris minimus est, vel in bonam vel in malam partem sermo. Censens nimirum, ut corpus ita famam quoque, (quasi quod dicit Tacitus non minus periculum ex magna fama quam ex mala) bonæ mulieris domi inclusam esse, neque in publicum exire debere. Melior enim est in hac causa opinio Gorgiæ, qui ut cujusvis hominis, ita & mulieris famam, vitæ ipsius atque morum incorruptum existimat esse testimonium.

Iuvat & scire quibuscum sponsa quæsita vixerit, & familiaritatem habuerit. Quibus enim convivimus, eorundem & mores combibimus, ut recte Menander: *Corrumpunt* inquit *mores bonos consuetudines malæ.* Et Iuvenalis

——————— grex totus in agris
Vnius scabie cadit & prurigine porci.
Vvaque contacta livorem ducit ab una. 3

3 Satyra 2.

Filiæ Loth patrem habuerunt sacrarum scripturarum testimonio commendatum, à quo fuerunt timorem DEI edoctæ, & ad omnem pietatem institutæ, virgines alioqui pulcherrimi floris, & servati pudoris, quia inter Sodomitas homines in omne genus

genus libidinis projectos vixerunt, ipsæ postea scelere suo vicerunt omne fœmineum genus, imo & ferarum, in quibus non raro generis leges inscius servat pudor, Venerisque nefas prohibet.

Iuvat item genus virginis & parentes nosse. Multum enim quasi quodam hæreditario jure tam virtutum quam vitiorum à parentibus transit ad liberos.

Si genitrix castè, castè quoque filia vivet:
Si mater meretrix, filia talis erit.

Diversos mores Cassandra & Polyxena, Priami & Hecubæ filiæ, ab honestissimis parentibus traxerunt; diversos Clytemnestra & Helena, à Leda matre adultera, adulteræ & ipsæ didicerunt. Diversos casta Penelope, diversos incesta Phædra Hippolyti noverca, quæ dum privignum deperit, amorem, quem naturæ sensus damnat, confitetur, culpamque suam in genus transfert dicens:

__________ me tacitam conscius urit amor.
Forsitan hunc fato generis reddamus amorem
Et Venus ex tota gente tributa petit.
Iuppiter Europam (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphae mater decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suum.
Perfidus Aegides ducentia fila secutus
Curva meæ fugit tecta sororis ope.
En ego nunc, ne forte parum Minoia credar
In socias leges ultima gentis eo.
Hoc quoque fatale est: placuit domus una duobus,
Me tua forma capit: capta parente soror
Thesides Theseusque duas rapuere sorores
Ponite de nostra bina trophæa domo.

Iuvat ad extremum & anteactæ vitæ habere notitiam, quia juxta proverbium,

Rumor de veteri, faciet ventura timeri,

Quandoquidem

Cras poterunt fieri turpia sicut heri.

§. III.

§. III.

De Vxoris ducendæ nobilitate.

IN matrimonio contrahendo non exigua nobilitatis atque familiæ debet esse cura. *Dos* (inquit Poëta) *magna est parentum virtus.* 1 Et pertinet ad mariti, liberorum, & totius domus bonum, genus atque claritas uxoris. Ad mariti quidem, quia vir ante nobilis, fit nobilior uxoris nobilitate, cui non parum splendoris, magnificentiæ, ac voluptatis splendidum adfert matrimonium: ignobilis verò & obscurus uxoria luce ex tenebris emergit. Solet quoque generosa uxor graviores habere mores, & honesti tenacior esse. Hinc Marcus Cato censorius uxorem nobiliorem, quam opulentiorem duxit, existimans æquè utrasque elatas esse, & superciliosas: verum turpitudinis rubore obsequentiores viris ad honesta generosas. 2

1 Horat. lib. 4. Carm. Ode 24.

2 Plutarch. in Catone.

Quod autem ad liberorum bonum materna spectet nobilitas, inde concluditur; quia cum ad generationem liberorum (ut nobiliores Philosophi ac Medici volunt) etiam mulieres suo semine concurrant, semen autem sit ipsissimus sanguis, sequitur, ut quo præstantius est alicujus mulieris semen, ejusdem & partus sit præstantior, quia secundum Senecam, ad semen nata respondent. At nobiliores matronas dubium non est meliorem habere sanguinem, quia (ut cum Medicis loquar) continet in se generosiores spiritus, utpote à generosiori anima productos, & elaboratos. Nec dum generant tantùm, sed & dum nutriunt, & dum præbent lac, quod etiam (si Medicis credimus) sanguis est, proli suum matres impertiunt sanguinem, quem proles in sui corporis substantiam convertit. De quo eodem modo licet philosophari, quo proximè de semine sumus philosophati. Vltra sanguinem, mores à matribus per educationem atque institutionem filiæ accipiunt, quod nemo, nisi qui non considerat, non videt.

Iam vero tota domus ex nobilis fœminæ conjugio istud habet emolumentum, quod splendor familiæ accedat, & domus ipsa, accessione nobilissimę affinitatis, potentiâ quadam adversus vim externam muniatur.

Et

Et quamvis ita se hæc ut plurimum habeant, diligenter tamen cavendum est, ne genus uxoris obsit marito. Recte Plutarchus 3 monet parentes ut filiis suis conjuges quærant, quæ non multum eos claritate generis superant: ducta enim ex potentioribus, quàm maritus sit, uxore, dominos non affines maritus acquirit, qui non desinunt illum exugere, donec in nihilum redigatur. Ergo non tam est quærenda nobilitas parentum, quàm ipsa uxor: quia sunt plurimæ optimis parentibus natæ, quæ improbæ atque impudicæ inventæ. Quin & elatæ tales uxores, ad turbas & bella perniciosa maritos suos excitant. Testis est (ut de aliis multis sileam) Tullia, quę Tarquinium muliebribus suis furiis eo impulit, ut regem ac socerum suum Servium interfecerit, per cujus postea corpus ipsa carpentum egit. Pro conclusione horum sint elegantissimi Satyrographi isti versiculi

3 Lib. de Educat. Liberorum.

Malo Venusinam, quam te Cornelia, mater
Grachorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Hujus enim rari summique voluptas
Nulla boni.

Et illud Nasonis ——*Nobilitas sub amore jacet.* 4

4 Ovid. Epist. 4.

§. IV.

De Uxoris ducendæ formâ.

GRavis est de forma mulieris inter doctos homines controversia. Alii non magnopere censent in uxore expetendam pulchritudinem; alii contra plurimum ei tribuunt. Priores cum Poëta dicunt:

Fastus inest pulchris sequiturque superbia formam. 1
Lis est cum forma magna pudicitiæ. 2

1 Ovid. 1. Fast.
2 Idem Epist. 15.

Addunt, & minore miseria deformem haberi, quam formosam servari, quia deformes uxores similes sunt macellariorum tabulis, quę die noctuque sine amissionis periculo remanent in plateis. At

——*Pulchræ formam vendere curæ est*
Et precium plena grande referre manu.

Ducunt argumentum ex proverbio quoque rusticorum, qui

dicunt, pulchram mulierem destinatam esse ad prostibulum, pulchrum virum ad patibulum. Habent & considerationem, quod rarò Dominus DEus ita det gratias imaginibus pompose pictis, sicut veteribus, & negligenter factis.

Sed sit quantumcunque (quod certe non rarò fit) proba & honesta, simulque formosa mulier, adhuc non sunt omnia salva: suspiciones oriuntur & Zelotypiæ, quæ acriter pungunt ac mordent, liberum atque tranquillum animum ducere non sinunt. Carolus Crassus Imperator uxorem Richardem, Scotię Regis filiam, zelotypus innocentem ac castam à se dimisit: quæ acceptis bonis suis in Alsatiâ monasterium extruxit Sacrarum Virginum, quod hodie Andalauu nominatur. 3 Henricus quoque secundus Imperator conjugem suam Conegundam, quam tum virtutum, tum formæ causâ unicè ante dilexerat, suspectam habuit, quæ tamen pudicitiam conjugalem ferro ignito comprobavit. 4

3 Cuspinianus.

4 Crantzius lib 4. Cap. 5. Metropol.

Denique nonnulli à pulchra uxore deterrentur, quod formosa mulier nomen viro suo auferat & dominium. Nomen quidem, quia passim dicitur, eamus ad domum ejus dominæ, & non ad dominum. 5 Dominium verò, quia teste Erasmo forma mulieris etiam in tyrannos tyrannidem exercet, & Venus Martem domat. Exempla hujus rei plurima notare potuit, qui vitas Romanorum Imperatorum legit.

5 Joan Niviz in Sylv. Nupt.

Rationes quę pro pulchritudine fœminarum militant, istas apud scriptores invenio. In primis eam maximum quid & divinum esse homines existimant, dimidiumque dotis ac rerum omnium pretiosissimam judicant. 6 Et si ad fabulas, quæ partem veri semper habent licet descendere, Dii ipsi atque Deæ magni pulchritudinem æstimabant. Quid Iuppiter, quid Gradivus, quid Liber pater pulchritudine capti fecere, pleni sunt libri Poëtarum. Paridi Priamidæ Iuno divitias, Pallas sapientiam, Venus formosissimam uxorem, si illius judicio reliquis Deabus palmam pulchritudinis præriperet, promiserat. Vt mirum nemini esse debeat, Paridem ipsum, Asiæ imperium bellorumque victoriam contempsisse, ut Helenam, quam formosissimam acceperat, assequeretur.

6 Isocr. in Helena.

Confert & illud ad pulchritudinis æstimationem, quod divinum sit illa donum, & hominibus pro meritis concedatur. Patet

tet id ex Poëta, apud quem sic Iuno loquitur ad Æolum.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole beatum. 7 — 7 Æneid.

Patet ex sacro volumine, in quo legimus, Iobo viro illi sanctissimo, pro innocentia, fortitudine, ac patientia illius (ut ita dicam) prodigiosa, ex benedictione DEi natas esse tres filias, quibus pulcritudine pares mulieres non sunt inventæ in universa terra. 8 Patet denique ex Sancto Augustino, qui diserte dicit, Pulchritudo, corporis bonum, Dei donum est. 9 — 8 Job. 42. 9 De Civit. Dei lib. 15.

Iam si vis est aliqua in exemplis, Cœlestis ille sponsus mirificis encomiis effert suæ sponsæ pulchritudinem, sicut & ipsa sponsa admirabilem sponsi sui formam toto ferè libro, qui Cantica Canticorum vocatur, decantat. Abraham Patriarcha Saram uxorem habuit pulcherrimam; similiter Isaac filius ejus Rebeccam, ac nepos Iacob Rachelem, viri omnes sanctissimi & sapientissimi. Artaxerxes regum potentissimus Estheram Hebræam, ob formæ præstantiam, conjugio suo dignam judicavit. Cyrus minor Aspasiam, Alexander Magnus Rhoxanam, Augustus Cæsar Liviam, & sexcenti alii, alias celebratæ pulchritudinis uxores habuerunt.

Ad procreationem quoque liberorum, quod pulchritudo matrum plurimum conducat, innuit Poëta, dum inducit Iunonem, Æolo pulcherrimam Deiopeiam eo fine promittentem, ut pulchra faciat eum prole parentem. Et Ephori Lacedæmone Archidamum regem gravi pecunia mulctaverunt, cum exigui corporis uxorem accepisset, quod liberos non reges relictum iri cogitasset. 10 — 10 Plutarch. de liberorum educatione.

Denique vitæ jucunditas & domus ornamentum est mulieris bonę pulchritudo. *Species mulieris* (ait Ecclesiasticus) *exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superinducit desiderium.* 11 Nam quod pulchrum, idem charum, ac jucundum habetur, 12 adeo ut ipsæ etiam virtutes, quarum summa pulchritudo est, corporis pulchritudine gratiores reddantur, quandoquidem secundum Poëtam. — 11 Eccl 36. 12 Plato in Lyside.

Gratior est pulchro veniens à corpore virtus.

Domum verò quantopere ornet ſpecioſa matrona indicat ſcriptura, in quâ hæc lego: *ſicut ſol oriens mundo in altiſsimis DEi, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus. Lucerna ſplendoris ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem.* 13

13 Eccl. 26.

Inter hæc auctorum diſſidia, quodnam bellum ſit magis juſtum, non facile quis pronuntiaverit. Ego ſum in partibus eorum, qui pro pulchritudine dimicant, naturamque ducem optimam ſequor, qua imperante deformitatem omnes oderunt, adeò ut deformi obvium fieri infauſti eſſe ominis credatur. Vnde adagium: Augurium capiet, qui te aſpexerit. 14 Eſt porro deformitas eouſque mala, ut virtutibus quoque non parum auferat majeſtatis. Fortes, ſapientes, ac juſtos, ſi deformes ſint, magis multitudo veretur, quam colit & diligit. Hinc Plato Xenocratem, in quo ſingularis corporis deformitas erat, monere ſolitus eſt, ut gratiis ſæpe ſacra faceret. Ejus enim ſapientia membrorum turpitudini conjuncta, plurimis ingrata, non multis admodum per ſe cara fuit.

14 Tiraquel. lege Connub. 2. Nu. 60.

Non raro & deformitatem animi deforme corpus indicat. Nam cujus facies eſt deformis vix bonos habere mores poteſt, 15 quia natura membra componit prout animæ moribus convenit. 16 Inde Therſites monſtroſus corpore, etiam mente degener & ignavus fuit, cujus peſſimum ingenium in deformi domicilio habitavit. Inde deformis Corithus ſimul bardus ac ſtupidus fuit, ut in proverbium quoque abierit: inde infiniti alii fœdâ tetrâque formâ præditi erant, ut à furiis orti viderentur. Quamobrem Lycurgus inter alias leges etiam iſtam Spartæ tulit, ut infantes forma venuſta & liberali præditi educarentur, manci verò ac debiles tanquam dira portenta in vaſta loca exportarentur. 17 Dicant nunc deformium larvarum proxenetæ

15 Raſis. ad Almandorem.
16 Galen. Lib. 2. de Temperamentis.
17 Plutarch. in Lycurgo.

——Sequitur ſuperbia formam, &
Formoſis levitas ſemper amica fuit,

cum tanta vitiorum monſtra in deformibus corporibus alantur. Dicant, & formoſas facies lucro proſtituere ſuas, cum deformes mœchis ſubſtantiam maritorum largiantur. Ego qui ſcio etiam cœcum quendam, cum voluiſſet ſibi puellam deſponſare, ſollicitè quæſiiſſe, an pulchra eſſet, omnibus uxores ducturis ſuadeo, ut

pul-

pulchritudinis non postremam rationem habeant, tum ut constantius amorem conjugibus servent, tum ut prolem pulchram suscipiant. Interea non vanam sibi pulchritudinem obtendant, quæ pudicitiæ perpetua hostis est, sed venustatem potius illam, quę individua est pudoris comes, ea verò est, quam virtus ac modestia simul commendat. Nec summam quęrant, quia forma corporis, ut multa alia, solet paritate gaudere, imparitatem ac dissimilitudinem aspernari. Et nimia omnia nimium exhibent negotium. Nihilque est tutum, in quo totius populi vota suspirant: alius formâ, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat, & semper aliquomodo expugnatur, quod undique oppugnatur. Itaque recte quicunque tandem ille fuit dixit:

Cum media semper gaudebam ludere forma:
Major enim mediis gratia rebus inest.

Cæterum ista eatenus sunt servanda, quatenus datur facultas eligendi, alioqui possunt fieri sagittę de tali nemore, quale habemus, & domus est construenda de lapidibus, qui se offerunt.

Ponunt hic nonnulli quæstionem, quid sit, & in quo consistat corporis pulchritudo! sed quia cœcorum est ista quæstio, scribere responsum nolui, quod ipsi legere non possunt.

§. V.

De uxoris ducendæ dote ac divitiis.

VIx est aliquis, qui faveat doti, quia forma cum dote duo stimuli superbiæ conjugalis esse creduntur. Multum dotata uxore nihil esse importunius, nihil intractabilius, omnes dicunt: nihil sibi non licitum arbitratur, quę suas opes mariti comparat egestati, quæ virum pascit, dominam se putat esse non sociam. Expertus aliquis dixit:

Argentum accepi, dote imperium vendidi. 1 — 1 Plaut. Asin.

Omnes enim divites uxores servitutem exigunt, & volunt in suis regnare divitiis. Insolens malum est beata uxor (ait Arellius Fuscus) cum immensum pondus auri attulerit, cum pecuniis arcas nostras oneraverit, quid aliud quam beatè serviemus. 2 — 2 Controv. Sen. Lib. 1. Contr. 6.
Hinc Martialis

Uxorem (inquit) *quare locupletem ducere nolim*

Quæritis, uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito,
Non aliter fiunt fœmina virque pares

Apud Plutarchum in Amatorio multis disputatur, diciturque cavendum esse viris ab uxorum divitiis, ne in magnum fastum molemque se admiscentes, tanquam in ære stannum aboleantur: magnum autem esse, si viro cum tenuiori atque humiliori muliere conjuncto, masculus sexus (ut vinum aqua dilutum) antecellat. Alioqui præstare, ut quis aureis compedibus ligatus maneat (quod fit in Æthiopia) quam divitiis uxoriis constringatur.

Itaque Lycurgus legem tulerat Lacedæmoniis, quâ cautum fuit, ut indotatæ nuberent, eam potissimum ob rationem, ut uxores eligerentur non pecuniç, severiusque matrimonia sua viri coercerent, cum nullis frenis dotis tenerentur. Apud eosdem Lacedæmonios puniti etiam erant, qui dotis & rei quærendæ causa locupletum affinitatem quærebant. Lysander pulchras habebat filias, quarum nuptias quidam vivente adhuc Lysandro petebant, eo vero defuncto, recusabant, iis Ephori dixere, mulctam, eo quod quem divitem esse credentes coluerant, eundem justum ac probum, ex paupertate agnitum, contemnerent. 3

3 Plut. in Lacon.

Similis Lycurgo Solon, qui Atheniensibus leges præscripsit, nihil adferre secum uxorem voluit, nisi tria vestimenta, & cibum ac potum, non pluris quam obolo constantem. 4

4 Plutar. in Solone.

Monet prçterea Plato, ut in deligenda uxore, si cætera paria extiterint, tenuior semper diviti anteponatur, eò quod & ad Rerumpublicarum, & familiarum, utilitatem illud faciat, cum id, quod est æquabile ac moderatum, immoderato ad virtutem præstet. 5

5 Plato 6. de legib.

Comicus quoque Megadorum quendam introducit, qui laudat consilium suum, quod pauperis hominis indotatam filiam duxerit: idem si faciant cæteri

Opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum,
Fore ostendit,
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur.

Et

Et illæ malam rem metuant, quam metuunt magis,
Et nos minore sumptu simus, quam sumus.

Hæc atque his similia, ut omnium ferè verbis laudantur, ita factis refutantur. Quotus enim quisque est, qui velit carnes sine condimento. Equidem non eos laudo, qui, (ut Olympias Philippi Macedonum regis uxor loqui solebat) digitis tantum uxores ducunt, id est, qui tantummodo dotem sponsæ supputant, & non explorant, qualis in convictu futura illa sit, horum enim matrimonium pronubam habet avaritiam, & illiberalem aviditatem. Sed nec eos reprehendo, qui prius de virtute postea de dote sponsæ quærunt, quia uxorem pauperem alere difficilius est, quàm divitem sustinere. Proverbium quidem est, qui ducit uxorem divitem, ponit in domo suâ tempestatem, sed & aliud proverbium est, qui ducit pauperem, ponit paupertatem, facilius autem (ut credo) est serenare tempestatem, quam fugare paupertatem, quæ est contempta divitibus, invisa pauperibus, & quam homines per mare fugiunt, per saxa, per ignes. Dicunt quidam, pecunia est, quæ auget discordiam, urbes, & terrarum orbem in bellum agitat, humanum genus cognatum natura in fraudes & scelera mutua instigat. 6 Sed facilius est hæc ex Stoicorum paradoxis in pecuniam dicere, quam illa carere. Videmus illos ipsos, qui paupertatem laudant, ac profitentur, necessitate compellente, sollicitè pecuniam quærere, & januas opulentorum, quorum divitias convitiis insectantur, quotidie ferè pulsare. Olim fortassis non erat dos, sicut & pecunia necessaria, quia

6 Fabianus in controv. Senec. Contr. 14.

Quando regna senex cœli Saturnus habebat,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus,
Æraque & argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admorat: nullaque massa fuit:
At meliora dabat, curvo sine vomere fruges,
Pomaque, & in quercu mella reperta cava,
Nec valido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite fossor humum:
Nec freta demisso verrebant eruta remo,
Ultima mortali tum via littus erat. 7

Olim inquam poterat inutilis videri dos atque pecunia, nostris autem sæculis ubique tantus est pecuniæ ex necessitate e-

7 Ovidius Amor. lib 3. Elegia 8.

jus natus honor, ut inter aliquos deliberetur, de ara illi ponenda. Illa enim conservat honorem, rusticitatem & alios defectus cooperit, fide jubet pro futuris necessitatibus, est denique vita, secundus sanguis, & viscera hominis.

Ad multas profecto res opes nunc sunt perutiles, Nam & cuique pro dignitate tribuere nobis licet, & in proximos ac benevolentia conjunctissimos plurimum conferre poterimus, unde opibus ope gratiâ eorum, in quos liberales fuerimus, liberos nostros muniemus. Parentes enim in filiis observantur, ac diliguntur. 8 Quod si quem minus movet decus magnificentiæ ac liberalitatis, quarum virtutum materia sunt facultates, eum commoda vitæ ac necessitas movere debent. Vtile enim est rebus abundare, & consultum est venturæ necessitati prospicere. Multi è re lauta, ad tenuem redacti fortunam, serò damnabant consilium, quo divitias viles habuerunt. Multis domus indiget, multis uxor, multis liberi, sive masculini, sive fœminini generis fuerint. Illi enim egregiis studiis & artibus ingenuis erudiri debent, quibus rebus præditi spectatissimis hominibus parentibus suis digni liberi sint: hæ verò mundum muliebrem & magnas dotes exigunt quę omnia ad opes referuntur. Dos ergo & divitiæ uxoris nequaquam sunt contemnendæ, quę per se non faciunt imperiosas mulieres, ut exempla ostendunt. Alioqui (ut recte infert Plutarchus. 9) optimum esset è foro nuptum ducere Abrotonum aliquam Thraciam, aut Bacchidem Milesiam, quæ eo ipso, quod emantur, spondent se obedientes fore viris. Sed tamen & harum multis novimus viros turpissimè serviviſſe, quando etiam tibicinæ Samiæ, & saltatrices, Aristonica, & tympanum gerens Oenanthe, atque Agatocleia, regiis diadematibus insultaverunt. Semiramis Syra ancilla fuit famuli regii, regisque pellex, quam cum Ninus, rex ille magnus, congressus dilexisset, adeo subegit eum, atque contempsit mulier, ut postulaverit etiam ab eo concedi sibi, uti per unum diem ipsa in solio regio sederet, daretque mandata. Quod ubi rex dedit, imperavitque universis, ut Semiramidi, perinde atque sibi obtemperarent, & jussa capesserent, principio ea stipatorum pertentans animos moderatè quædam jussit: at postquam vidit eos nihil refragari, alacriterque obire mandata, capere eos Ninum, mox vincire, tandem necare jussit: quibus factis ipsa regnum Asiæ splendidè per multos annos administravit.

8 Franc. Barb. de re Uxor. Lib. 1. Cap. 6.

9 in Amatorio. Pag. 321.

Iam Beleſtia an non barbara & empta mulier fuit? cujus templa & fana Alexandrini habent Veneris Beleſtiæ nomine ob amorem rege id permittente. Quæ verò Delphis communi cum Cupidine templo & ſacris fruitur, aureaque ſtat juxta reges & reginas Phryne, quanam dote ſuos ſubegit amatores. Verum ſicut iſti ob ſuam imbecillitatem & mollitiem imprudentes, mulierum præda ſunt facti, ita rurſum alii ignobiles & pauperes, ductis divitibus ſplendidiſque uxoribus corrupti non ſunt, neque de animi magnitudine quicquam dimiſerunt, ſed honorati, & imperantes ipſi amicè cum iis vixere. 10

10 Plut. in Amatorio pag. 3:5.

Sed de his forte jam nimius ſum, præſertim cum ea ſit temporum iniquitas, ut docenda non dedocenda juventus noſtra ſit, pecunias in re uxoria non magni æſtimare. A pueris plurimi ad inanem ſpem quæſtus, ſic imbuti ſic inſtituti ſunt, ut quantum labore & periculis eniti atque efficere poſſunt, nihil prætermittant, quod ad hanc inſatiabilem pecuniæ famem pertinere credunt. Quia tamen paſſim eſt & in libris & in ore omnium illud Satyrographi:

Veniunt à dote ſagittæ. 11

11 Juvenal. Satyr. 6.

opinio minus vera merito fuit refellenda. Alioqui ego inprimis ſemper ſuſpicio eos, maximiſque effero laudibus, qui heroas, heroes & ipſi, in deſpicientia uxorię pecunię imitantur; maximè ſi propriæ ipſorum opes in excelſo ſint, & ſecuro. Deinde eos, qui paupertate ſponſę, à probitate ejus non deterrentur, virginitate & forma commendatâ. Virgo formoſa (ait Lucius Apulejus. 12) & ſi ſit oppido pauper, tamen abunde dotata, affert quippe ad maritum novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum: ipſa virginitatis commendatio, jure merito omnibus acceptiſſima eſt maritis. Nam quodcunque aliud in dotem acceperit, poteſt, cum libuerit, ne ſit beneficio obſtrictus, omne ut acceperat, retribuere: pecuniam renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare; prædiis cedere: ſola virginitas accepta reddi nequit, ſola apud maritum ex rebus dotalibus remanet. Vidua autem qualis nuptiis venit, talis divortio digreditur. nihil affert impoſſibile, ſed venit jam aliò perflorata.

12 De Magia Lib. 2.

Videat igitur juventus. Vtrum Helenæ an Penelopes nuptias expetere expediat. Infirmus eſt amor quem ſtultus impe-

tus decore concitus parit, vel improbus ardor pecuniæ: felices nuptiæ quas pronuba virtus conciliat. Temerarius ille Paris ditissimam habuit Helenam, prudentissimus Vlysses pudicam Penelopem cepit, quâ sui temporis nulla castior fuit, nulla modestior. Hujus nuptias miratur antiquitas, diligit & in cœlum effert laudibus. contra illius conjugium gravissimis ignominiis ad memoriam posteritatis notavit, utpote quæ Asiæ flamma, vastitas, pestis, ac pernicies fuisset. 13.

13 Franc. Barb. de re Uxor. lib I. Cap. 6.

Caput. VI.

Quomodo ea quæ de Vxore diligenda commemoravimus observanda sunt?

DIcent fortassis aliqui, & merito, ea quæ in uxore ducenda spectanda diximus omnes quidem desiderare, sed nonnisi paucissimis contingere. Omnes quærunt probam uxorem, nobilem, & formosam, multi autem & dotatam insuper ac divitem, sed qui omnia simul inveniat.

Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo est.

Aliæ enim sunt laudatissimâ forma, omniumque amorum ac gratiarum lubentiis cinctæ, sed famam habent variis inquinatam fabulis; aliis prospera quidem est fama, sed rerum inopia premuntur; alię nativo decore sunt illustres, sed forma parùm felici. aliæ florentissimis abundant opibus, sed asperis horrent moribus. In summa, vix potest aliqua esse ab omni parte beata.

Haud equidem diffiteor id ita natura esse comparatum. Verum nostra doctrina non cogit quenquam ad anxiam sui observationem, sed suadet quod melius, maximè illis quibus suppetit eligendi facultas. Qui autem non possunt, omnia prædicta in sponsa reperire, illi sapienter facient, si eam capient, quæ superat cæteras rebus ad felicitatem nuptiarum expetitis. In reliquarum electione ordo & præstantia rerum, quæ quibus præferendæ sunt ostendunt. Virtus enim formæ, forma divitiis (si res suo pondere pendamus) debet anteponi.

Sunt qui existiment, etiam sine illis omnibus, quæ in uxore ducendâ requiri ostendimus, felix posse esse conjugium. juxta quos, ne læsa quidem pudicitia, aut molesti fœminæ mores obstare debent matrimonio. Idque suadent istis rationibus.

In

In primis non ignobilitate, nec paupertate sponsæ reddun-tur infelices nuptię. Quia si nobilis atque dives est sponsus, & nobilitatem, & divitias ab illo, sponsa quoque acquirit. Verissimè enim illud est inter conjuges dictum. *Si tu es Cajus, & ego Caja*: si verò obscurus est genere, atque pauper, non turbat ejus beatitudinem, paris sibi per omnia sponsæ, societas.

Ad formam quantum attinet, possunt alia quædam esse, quæ penuriam illius sarciant, ut verum sit illud, quod decima illa Musa Sappho, ad suum Phaonem

Si mihi difficilis formam natura negavit
Ingenio formæ damna rependo meæ
Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes
Est mihi, mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum: placuit Cepheia Perseo
Andromede patriæ fusca colore suæ.
Et variis albæ junguntur sæpe columbæ,
Et niger à viridi turtur amatur ave. 1

Huc spectat, quod (ut multis placet) unumquodquē pulchrum, non natura tale est, sed hominum opinione, qua persuasi, Æthiopes atram faciem candidæ, & è contra Europęi albam nigræ præferunt. Hoc verò admisso. nulla tam turpis est, quę non formosa alicui videri possit. Vir quidam illustris ab amico, quod deformen duxerit reprehensus, festivè respondit: Vxor quidem inquit mea pulcherrima est, sed talis, nonnisi mihi, & illis solis, qui tales sicut ego habent oculos, apparet. Aliter paulo Anacharsis, qui cum quidam ei objecisset, quod uxorem admodum deformem duxisset: idem & sibi videri affirmavit, sed puerum porrigere meracius poculum jussit, ut illam formosam faceret. 2

Mores in fœmina non esse quærendos suo docuit exemplo sapientissimus Socrates, qui percontanti cur Xantippen moribus adeo incompositis fœminam haberet domi, dicebat sic habendam consuetudinem cum morosis uxoribus, quemadmodum qui se ad studium equestre exercent, parant equos, ingenii ferocioris, quos si subegerint, ac perpeti possint, cæteris utuntur commodius. Ita qui morosæ conjugis mores ferre didicerit, multo facilius cum quibus libet habebit consuetudinem. 3 Et Socrates quidem hunc in modum conjugium suum excusabat.

1 Ovid. Epist. 15.

2 Athen. lib. 10.

3 Laert lib 2. cap. 5.

Lucius vere Apulejus, omnino censet, diversa ingenia in matrimonio esse miscenda, ut iracundo tranquilla jungatur & sedato homini in citatior mulier applicetur, ut talibus observationum remediis, soboles natura discrepante confecta, morum proventu meliore coalescat, & ita compositarum domorum opibus civitas augeatur. 4

Denique impudicæ mulieris non esse fugiendum conjugium ex eo defendunt, quod hodie receptum sit, inter opera caritatis esse, etiam meretricem per nuptias à fornicationis consuetudine revocasse, 5 quod enim agitur ita, in remissionem dicitur pertinere peccatorum. 6 *Nec est culpandus* (inquit Divus Hieronymus) *Oseas Propheta, si meritricem quam duxit, ad pudicitiam convertit, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecit.* 7

Hæc illi: quæ quidem speciosa sunt dictu, nemini tamen auctor esse volo, ut malis moribus aut perditi pudoris ducat mulierem. *Non est caput nequius* (ait Ecclesiasticus) *super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Et infra *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam: sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.* 8 Tandem alibi. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* 9 Ecce divinitus monemur, quanti bonos mores, & castitatem in uxoribus facere debemus.

Oseæ factum optimum fuit, qui & singulari Dei jussu sumpsit uxorem fornicationum, & insuper ipse propheta erat. Nobis tamen similes uxores passim ducere non est consultum, quia nec imperio divino ad id adagimur, nec etiam prophetæ sumus, ut sciamus, matrimonium ejusmodi mulieribus, medicinam potius libidinis, quam velum nequitiæ esse futurum. Imo prudens est metus, ne illæ sub titulo matrimonii, plus audeant quam in cælibatu, in quo non tam facile poterant dedecus suum occultare. Et tritum est proverbium. Nec cornix alba, nec meretrix fit munda.

4 Apulejus de Dogmate Platonis.

5 Tolos. Synt. Juris Univ. lib. 9. cap 3.

6 Clement. 3. in cap. inter opera c. 20. de spons. lib. 4. deberet. Titulo, 1.

7 In Oseam 1. & C. non est culpandus 32. quest. 1.

8 Eccl. Cap. 25. Versio. 23. & Ver. 29,

9 Eccl, 9, Vers. . o,

CAPUT VII.

De senum & doctorum hominum conjugio.

VT curiosis quoque satisfiat desideriis, quæstiones, quas rerum politicarum scriptores hoc loco non tractant subjicimus, quia & ab argumento nostro non sunt alienæ, & locum hic qualem qualem habere possunt.

§. I.

Vtrum senibus ducendæ sint Vxores?

SIcut ægris, ita & senibus multi denegant matrimonium. Senectus enim est morbus, & senex minus præsumitur vivere quam æger. 1 Vt locus sit vulgari proverbio, quo dicitur, puellam ductam à sene, posse feretrum secum ferre pro marito tumulando. Poterat profectò illud ferre (ut infinitas taceam) Maria Ludovici XII. Galliarum regis uxor, quam ille ob eximiam ejus venustatem, ætatis & valetudinis suæ penè oblitus duxit, & post non multos nuptiarum dies, edaci febri interiit. 2 Quamobrem præclarè philosophus, consilium cuidam de uxore ducenda petenti respondit. Si dives es, & sanus, potes quandoque uxorem ducere. His similia sentit & Portius Iure-consultus, secundum quem senectus est tantum apta nuptiis, quantum bruma messibus. 3

1 Joan. Neviz, Sylv. Nupt. lib. 2.

2 Jovius Lib, 3, in Leone X.

3 Instit de Nuptiis,

Nec illud leve hic videtur quod senile matrimonium, & subsit uxoris imperio, nam si Aristophani credimus, uxor senis sponsi, domina est: & indicat senum luxuriam; quæ cum omni ætati sit turpissima, tum senectuti fœdissima est. 4 Adolescentes enim luxuriosi peccant, senes insaniunt. 5

4 Cic. 1. offic.

5 Senec, quem refert Curia Tolos.

Græcus Poëta Euripides omnes juvenes hortatur, ne nuptialia gaudia differant in senectutem quæ ætas Proserpinæ magis quam Hymenæo est apta. Senex amator extremum est infortunium, maximè si longe imparis ætatis duxerit adolescentulam, quia fœminæ, solent esse senibus infidelissimæ. 6 inde vero adulteria & ignes furtivi. Quandoquidem ut ait Plautus. 7

Senex edentulus & capularis & decrepitus, est.
Tantundem, quasi sit signum pictum in pariete.

6 Æneas Silv. Epist 28.

7 in Mercatore.

Et ut ſint fideles ; zelotypiam certe maritorum non effugiunt, quæ facit, ut quemadmodum reges, ſic etiam mariti, dum omnia timent, omnia ſuſpicantur, facileque credunt, quæ ſuſpicati fuerunt. 8 Hinc diſſidia & implacabiles diſcordiæ inter conjuges, quorum diſſenſio, totius eſt domus perturbatio.

8 Chryſoſt. in Matth.

Iam ſi non ob alium finem, quam ob prolis procreationem nuptię expetuntur, profecto matrimonia in ſenio contracta, etiam ex hoc fonte ſunt infelicia, ſenio enim confecti parentes aut nullos ſuſcipiunt liberos, aut beneficiorum ſuorum fructum ab illis reportare nequeunt. Sicut neque liberi etiam poſſunt à talibus parentibus uti neceſſe eſt, propter illorum mortem ſublevari. Vnde poſt aut molliter perverſeque educantur, aut ſumma in egeſtate atque inopia vitam traducunt. 9

9 Ariſt. lib. 7. Polit. c. 16.

Vt ab hoc ultimo ſenilis matrimonii improbatoribus reſpondere incipiam. Dico non ſolos ſenes, ſed etiam juvenes parentes, fato ſubjacere, quo ſubinde non minus hi, quam illi, liberis ſuis in omnibus adeſſe prohibentur.

Ad illud quod dicunt, ſenes non poſſe progenerare ſobolem, illi tantum non facile poſſunt reſpondere, ſi qui forte ſunt, qui hunc unum matrimonii fructum eſſe ſtatuunt. Nos verò quamvis hunc maximum eſſe concedamus, non tamen eum ſolum dicimus: ſunt enim præter prolis procreationem in matrimonio & alia non exigua commoda, propter quæ in ſenectute magis neceſſaria eſt conjunx quam in juventute. Nam quod tempus vitæ officio curaque magis indiget, quam ſenectus? propterea quod ætas illa plerumque debilior atque infirmior ſit. Quod autem fidelius atque gratius eſt officium, quam quod à fideliſſima & gratiſſima conjuge præſtari ſolet? quamvis enim aliquis plurimos ſervos & adminiſtros habeat, qui diligenter aſsideant, quique, quod ajunt, ad digiti crepitum obediant, hæc tamen cum una gratæ uxoris collocutione minimè ſunt conferenda. Hæc enim cum ſumma & admirabili pietate ſemper aſſiſtit, & diligentiſſimè atque accuratiſſimè quæ neceſſaria ſunt in domo præparat. hæc quid cupiat vir, cujuſve rei indigeat ſtatim intelligit. hæc illo dolente dolet, gaudet ſi melius habeat. Iſta quidem non curant juvenes mariti, imo neque vident, qui ætatis fervore quaſi extra ſe poſiti, nihil aliud ab uxore præter voluptatem petunt, neque putant aliud in matrimonio bonum

eſſe,

esse, preter conjungendorum corporum libidinem. Ex quibus constat uxorem magis esse necessariam seni quam juveni; cum hic ab uxore salutem, ille tantum voluptatem expetat: hunc uxor conservet, illum oblectet: hic animi constantiam ac fidem, ille corporis gratiam & venustatem intueatur: hic ut habeat quæ sibi fidelissime necessaria subministret, ille quæ cupiditatem expleat uxorem adsciscat. 10.

10 Majorag. Orat. in Nupt Jac. Philip. Sacci.

Quanquam ne omnino senilis conjugii impugnatoribus concedamus, senes facultate generandi carere, res & exempla nos admonent. Paulo enim robustiores ac validiores senes ne in hac quidem parte multum juvenibus concedunt. Ajunt Ciceronem cum eum quidam objurgarent, quod homo sexagenarius puellam virginem duxisset, facete respondisse; Cras mulier erit. Cognitas enim vires suas habebat, neque dubitabat, quin esset viriliter officio suo satisfacturus. 11 Naturæ rerum indagatores tradunt puellam longe faciliùs & citiùs ex sene quam ex juvene concipere. Cujus rei perspicuum est signum Ceturæ fœcunditas, ex qua senex admodum Abrahamus filios quinque progenuit sacris literis attestantibus. Itali etiam vulgo dicunt. Puellam sub cana barba jucunde vivere: quod senex uni deditus uxori plenè soleat ei satisfacere; cum interim juvenes propter intemperantiam sæpe relicta uxore, vetita malint Cypridis sequi cubilia. Vt inde longe magis timenda sit infidelitas in juvenum, quam senum uxoribus, quæ eadem culpa aut viros imitantur, aut ulciscuntur. Quid quod etiam arbores, quo magis senescunt, eo maturius ferre fructus solent? Nam graves auctores Theophrastus & Plinius scribunt. Amygdalam & Pyrum in senecta multo esse fertilissimas. 12 Apud ignobiles homines inquit Plinius usque ad quintum & octogesimum annum vulgaris generatio reperitur. 13 Rex Numidarum Massanissa cum sextum & octogesimum explesset annum, Methymantum filium procreavit. Memoriæ quoque proditum est Catonem illum, antiquæ gravitatis & severitatis admirabile speculum & exemplar, post annum octogesimum Salonii clientis sui filiam uxorem duxisse, filiumque ex ea progenuisse, qui postea spectatissimæ probitatis atque integritatis fuit: qua de causa factum est ut ceterorum Catonis liberorum propago Liciniana cognominata fuerit hæc vero Saloniana, de qua natus est ille Cato

11 Idem Majorag. dicit. orat.

12 Plin. nat. Hist. lib. 16. cap. 27.

13 Idem Nat. hist. lib. 7. cap. 14.

14 Majorag. in dict. Orat.

qui post mortem Vticensis fuit appellatus. 14.

Atque ista & hujusmodi alia, satis etiam ostendunt, senectutem nequaquam esse morbum aut ineptam nuptiis, & contemptui ac servituti uxoriæ obnoxiam. Semper enim plus auctoritatis in senibus quam in Iuvenibus esse, vel ipsum indicat venerabile nomen Senatus, qui ordo ex senibus coalescit.

Zelotypia, quæ vehementiam non conjugalis modo, sed etiam cujusvis amoris consequitur longius abest à senili quam juvenili conjugio, quia in senibus omnia temperata, omnia immoderata in juvenibus sunt. In quibus si matrimonium non est luxuriæ indicium, in senibus cur deberet esse non video?

Ad extremum de honestate & decentia senilis conjugii, non alius potest dubitare, nisi ille cui ipsum quoque matrimonium honestum & laudabile esse non videtur, aut qui indecens existimat fuisse conjugium Abrahami Sanctissimi illius Patriarchæ, & Iosephi Salvatoris nostri nutricii, cujus integerrimam vitam sanctissimosque mores cum ipse DEus approbasset, aperto suo testimonio dignum esse censuit, cui unigenæ filii sui mater, quam ab omni æternitate delegerat matrimonio jungeretur, quo tempore jam longe natu grandior ac penè decrepitus esset. Quo facto quamvis corporum conjunctio secuta non fuerit, nihilominus tamen apparet maximè probandum esse senile conjugium; imo vero præter cætera summopere celebrandum, cum unicus ille Dei filius rerum omnium auctor & moderator Christus ex ea Virgine nasci voluerit, quæ cum homine admodum sene matrimonii sacramento fuisset antea copulata. 15

15 Idem ibidem.

§. II.

Sintne doctis hominibus ducendæ Vxores?

PErmulti grande nefas esse credunt, si vir doctus atque sapiens uxorem ducat, censentque id & à dignitate & à status illius ratione alienum esse. Quod summum est (inquiunt illi) literarum atque Philosophiæ studia uxoribus impediuntur. Vt enim non ineleganter quidam dixit. Nullus Aristoteli aut Platoni est locus ubi stola regnum possidet. Si quis tamen est qui in conjugio studia non remittit, & quemadmodum avarus fœnori, ita ille horas omnes & momenta cogitando aut scribendo de-

destinat, in aliud malum infelix incidit. Fit enim ab uxoria cura omissior, quo primo ingratus, mox invisus redditur mulieri. Hinc querelæ conjugales, & suspiciones, hinc sine causis odia, sine occasione simultates. Si quid postulet maritus, torva uxor & severa; hospes si excipiendus, tristis est, ac morosa. Quæ res generosæ menti planè intoleranda est. Postremo nisi palleat vir quantum illa cupit, aut si jacuit aversus, ad vicinum itur; sensim enim eo, ac per gradus devenitur. 1 Primo quippe aliena à marito nihil majus adhuc audet. Cæterum ubi semel fines transivit pudoris, vel audaciam à successu, vel à scelere ipso, si sit manifestum, sumit confidentiam. Ex quo ut ad maritum dolor pervenit & infamia, ita ad alieni thori subsessores gaudium & lætitia, quibus illa apis sedula

1 Epist. ad Primerium.

Excudit ceras & mella tenacia figit.

Exemplum ad hanc tragædiam appositum affert Author Epistolæ ad Iacobum Primerium. de quodam satis erudito, qui & genere optimo prognatus fuit, & tersos adeo ac venustos versus scribebat, ut cum non pauca essent alia, à quibus commendari posset, nihil toto vitę tempore egisse aliud aut cogitasse videretur. Is cum quodam tempore vocatus esset ad convivium, evenit ut puella quoque ibidem esset mirè arguta & venusta. Myrothecium Veneris, leporum omnium ac elegantiarum effigiem quis dixisset. vultu autem ita emendato ac festivo, nihil ut amari ulterius à quoquam posset. Accedebant oculi (Dii boni quales?) voluptate ac illecebra plenissimi, aucupium amoris. Osculum præterea exiguum. quod vestibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem more suo Poëta vocaret. Enimverò pedem in choreis siquando poneret, præter ipsam artem; ita lubricè ac agiliter saltare erudita, singula ut membra, non moveri, sed aut fluere, aut natare viderentur. Hic quid faceret, primum juvenis, tum quod rei caput Poëta, benigna in amorem scilicet materies & prona! Primò scribere versiculos, mox & amore ejus deperire cœpit. Quid multa? Ambit & post menses aliquot exorat, homo opulentus quidem satis, sed qui durum, & illepidum in liberos parentem, tum adhuc superstitem haberet; novam matrimonii calamitatem. Cæterum cum & ille aliud planè ageret, illa autem virum in lecto non poëtam in carmine desideraret, cœpit ei cum vicino quodam, homine vilissi-

mo, sed admodum robusto bellè convenire. Interim optimus ac ornatissimus vates Iliada & Vlysseam totos dies cantillabat, aut fortassis Divæ Castitatis Hymnum scribebat. illius vero conjunx in alterius amplexibus assiduè ac diligenter versabatur.

Nec misero prodesse in tali tempore quibat.

quod elegias tersissimas conscriberet, & versiculos Ovidiano more alternos (nam religiose id quidem observaverat) dissyllabis concluderet. Noctu autem quoties jus suum peteret maritus; illa ut plurimum, cunctando, & lenonia difficultatis arte, honestatem suam, quam prostituebat foris, apud virum tuebatur. Quod ignaviæ illius tædio non castitatis studio fiebat: quæ unius viri in matrona cultu ac obsequio censetur. Ille interim, si quando cum amicis animum laxaret, cum præsertim aliquantulum maderet, de pudore conjugis & castitate, totos dies pejerabat. Sæpe ne absente quidem illo, qui mensuram corporis illius juxta ac maritus, cognitam habebat, ac perspectam.

Vltimo cogitandum est viro sapienti multa esse quæ matronarum usibus necessaria sunt: pretiosæ vestes, aurum, gemmę, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ & exedra deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conquestiones, illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conventu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens quid attulisti? Non amicam habere possumus non sodalem; alterius amorem odio sui suspicatur. 2 Fœminæ ergo in hunc modum sunt ambitiosæ & molestæ. Post illas autem liberi plerumque multis egent, quibus mille Stoici, non curare ea, quæ ab aliis curantur, tota sua Philosophia non persuaserint. Gravia hæc non paucis visa sunt, quos nihil tantum offendit, quantum literatorum hominum conjugium. Verum semper miratus sum, id ab istis accusari, quod ipsa hactenus comprobat natura, quæ à communi hominum conditione, literatos non excepit, neque sexu quodam tertio distinxit. Quod & prisca sapientum firmant exempla, quorum nemo, ne in maximè severa quidem ac austera Stoicorum gente fuit, qui non barbam quoque, & supercilium uxoriis amplexibus submiserit, aut in ista parte à reliquis dissenserit. 3 Non quin cælebs forte vixerit non nemo; sed quod non qua talis. verùm quia hic adversum volu-

2 Hieronym. cont. Jovin. lib 1 cap. 27.

3 Author Epistol ad Primerium.

luptatum ſtimulos præſidii à natura pluſculum quàm ille accepit: vel quod minus acres ſentit: vel poſtremo quod amoris ſimulchra faciliùs vitare poteſt. Nam hoc plurimum, in hac re poteſt. Humanus quippe animus, in eam penitus converſus partem, quam præclare imperantem Stoici & Plato dicunt, quâ ad DEum immortalem proxime homines accedunt, & in qua ſupremum hominis ac proprium verſatur opus ac officium, à ſenſibus externis ſeparatus, tutum ac immunem à contagione iſta facile ſe præſtat; quæ ut primo ſe per oculos inſinuat, ita parte ea, quam natura rationi maximè oppoſuit, ac cujus pudere omnes voluit, reſtinguitur. Cui qui honeſtè imperare nondum didicit, honeſtè poteſt ſervire, & ad generis humani propagationem quod vectigal omnes conſervationi ejus debent, caſtè ac legitimè accedere. 4

4 Idem Epiſt. eadem.

Sunt & alia quæ hanc vivendi rationem doctis hominibus ſuadent. Præcipuum eſt, quod illi plerumque rebus ſuis & domeſticis negotiis, dum alibi intentum habent animum, præeſſe ut alii non poſſunt. Qui quò eſt nobilior, eò cum in ſe reflexus, & à curis iſtis, ſine quibus ſe tueri paterfamilias non poteſt, longius remotus eſt, contemplatur acrius. Quod Democrito & Anaxagorę evenit: quorum à corpore & humanis cogitationibus, divulſus quaſi, ac averſus peregrè dum eſſet animus, culta & agellos, ut antiqui notant, pecudes depaſcebantur.

Ex quo facile quivis intelligit, uxorem non modo nulli eſſe impedimento, ſed etiam homini literarum ſtudioſiſſimo maximo eſſe adjumento, quę dum maritus ad ſuas ſe lucubrationes occupat, & libris immoritur, ipſa domi rei familiaris curam ſuſcipiat, & provideat, quæ ad vitæ cultum ſint neceſſaria. Neque enim fieri poteſt ut ea domus rectè gubernetur, quæ prudentis mulieris ſedulitate non utatur. Quare merito clamat ſapiens quidam Græcus, Bonam mulierem eſſe familiæ gubernaculum.

Adde doctis viris remedio eſſe mulieres, nam ab iis excitatur vigor, & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudii adducitur, fœminarum hilaritate diſcutitur. Vnde eleganter quidam dicit. In Partem domus uxor ſane non illepida, non invenuſta, nec laſciva tamen veniat, quæ poſtquam interdiu, curas iſtas, minimas, ſed tamen neceſſarias in ſe ſuſcepit, noctu matronali verecundia, quam caſtus ac legitimus mariti amor,

non libido sua aut procacitas remittit, graviores quoque abstergat, & complexibus suavissimis, morosam illam contemplandi voluptatem diluat. Non ut corpus quod est belluarum, defatiget, sed ut majus desiderium in animo accendat: menti autem instrumenta sua integra relinquat, quæ in corpore non vegeto non sano, aut si nimia libido id afflixerit, opus suum ut oportet, exercere, vix est ut possit. 5

5 Idem ibid.

Potest igitur vir literatus securus esse dum sagacem domi uxorem habuerit: quâ si careat, duplici cura distractus, & literariâ & familiari, non satis accuratè, quę sunt agenda poterit efficere. Potest securus esse & de suis literis ac sapientia: quia divinarum literarum testimonio *Mulier sensata & tacita non est immutatio eruditæ animæ.* 6

6 Ecclesiastici 26. versu 13.

Nec contra dignitatem virorum eruditorum est Societas mulierum, quas non immerito Iurisconsultus appellat reverendissimas, carissimas & sanctissimas. 7 & quibus Romulus primus Romanæ urbis conditor, deambulantibus, priorem à viris locum constituit. 8

7 Lancell. l. Titia §. Qui Marco D. de ann. leg.
8 Udabric. m. l. 2. D. de Orig. jur.

Quod pertinet ad fidem conjugalem, ad sumptus uxorios, ad ambitionem muliebrem, ac denique ad ea, quæ liberis sunt necessaria, ea omnia, doctis viris cum omnibus hominibus sunt communia. De quibus quia superius dixi, hic sileo.

Caput VIII.

De officio mariti.

Postquam egimus de prima hominum Societate quæ tunc coalescit, quando mulier in viri manum convenit, & ostendimus qui ad illam societatem sunt idonei, ac quæ in eadem contrahenda spectanda sunt, necesse est ut quæ sunt in conjugio partes viri, quæ mulieris exponamus. Vt autem res loco & ordine fiat, præsenti capite officium mariti, sequenti uxoris definiemus.

Porro alia est ratio boni viri, alia boni mariti. magnum est esse bonum virum, sed majus est esse bonum maritum. Vt merito Marcus Cato, majori laude dignum eum censuerit, qui bonum se gereret maritum, quam qui in ordine Senatorio magnus esset, 1 De bono viro alio fortassis loco commodior erit tra-

1 Bruso lib. 7. c. 22.

ctatio. Nunc de solo agendum est marito. Cujus ut breviter dicam) officium est, uxorem imperio regere, fidem conjugalem & amorem præstare, atque omnia quæ ad vitæ usum sunt necessaria, uxori præbere:

De imperio viri in uxorem non conveniunt scriptores. Alii enim existimant illud esse regium, qui etiam eandem potestatem, viris in uxores, quam regibus in subditos, concedunt: sacramque scripturam pro se afferunt, ubi DEus his verbis ad primam mulierem, quæ nomine omnium excipiebat maledictionem, dixit: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* 2 Alii verò tantum civiliter fœminas subjacere viris contendunt: inter quos Aristoteles disertè id asserit, dum docet, patrem familias & uxori præesse, & filiis, tanquam liberis quidem ambobus, sed non eodem imperii modo, sed uxori quidem civiliter, filiis autem regiè. 3 Atque horum melior est opinio, tum quod voluntariè tali se imperio subjiciant fœminæ, tum quod paribus. Viri enim & uxores pares sunt inter se amicitia id efficiente 4 quæ semper aut invenit pares aut facit.

2 Genes. 3.
3 Lib. 1. Polit. cap. 7.
4 Cicero in Lælio.

Sacra scriptura contrarium sentire non cogit, quæ licet dominii vocabulo contrarium docentibus videatur nonnihil favere, tamen juxta hanc posteriorem opinionem optimè explicari potest.

Ex hac moderata viri supra uxorem potestate, perspicuum fit, qualis maritus, erga caram & fidam vitæ suę sociam esse debet. Etenim imperare illi debet, non ut dominus mancipio quod possidet, sed ut animus corpori, iisdem affectibus obnoxius & benevolentia devinctus. 5 Humaniter cum illa & amicè debet vivere. Illi quippe dictum est: *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos & opprimens subjectos tibi.* 6 Æquum quoque est, ut omnis injurię & violentiæ opinio ab ea absit, quæ supplicis instar est, ac tanquam è foco deducta 7 quamque parentes omnibus relictis, matre, domo, mariti dextræ committunt. 8 Non ad injuriam utique, sed ad misericordiam. Et profecto cum sive ipse DEus immortalis, sive ancilla ejus, mater optima natura, sexui infirmiori huic, plurima gravissima durissimaque proposuerit, adeo ut hanc ipsam, si quam è complexu maritali, re tam casta, tam honesta, voluptatem expetit, gravissimis redimere doloribus, tanquam debito naturę sit ob-

5 Plutarch. in præcept. conjug.
6 Syracid. 4.
7 Arist. de re fam. Lib. 1. cap. 4.
8 Chrysost. Hom. 16. in 1. ad Cor.

ſtricta, quid tam æquum eſt, quam in comitate viri, ac lubentia, nonnihil ſolatioli habere mulierculam? animal ut imbecille ac blandum : ita niſi quatenus mariti amor intercedit, prope ad calamitatem natum. 9

9 Author Epiſtolæ ad Primerium.

Sunt qui putant, tum demum maritum pręclarè ſuo munere fungi, quando uxorem injurioſè ac ſerviliter tractat. dicuntque.

Qui plus caſtigat, plus in amore ligat
mulierem.

Sed errant qui putant, & qui id faciunt. Nam ut ait Poëta

nullum memorabile nomen
Fœminea in pugna eſt; nec habet victoria laudem. 10

10 Æneid. 2.

Verberare uxorem ultima eſt ignominia; cum non ejus quæ verberatur, ſed qui verberat ſpectetur animus. Et adhibitis verberibus morbus non tollitur, ſed augetur & exaſperatur; natura enim

Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata
Sic interdictis imminet æger aquis. 11

11 Ovid. lib. 3. Amor Eleg. 4.

Sunt vindictæ aliàs mulieres vehementer appetentes, neque hac quiſquam magis quam fœmina gaudet. 12 Vnde ad venena, & homicidia, & deſertiones maritorum ſæpe venire uxores, teſtis eſt experientia. Quam ob cauſam Cenſorius ille Cato, vir alioqui parùm ſexui fœmineo amicus, non eſſe verberandas uxores contendit : & ſiquis uxori manus inferret, non aliter quam Dearum ſimulachra temeraſſet, inſectandum & deteſtandum eſſe paſſim affirmavit. 13

12 Juven. Satyr. 13.

13 Plutar. in vita Cato.

Dicet aliquis. Ergo non poterit vir mulierem ſi in aliquo deliquerit corrigere! Dico, ſi linguæ vel geſtuum vel morum aliquis defectus in uxore appareat, licere marito eam reprehendere, non quidem injurioſis aut diffidentiæ plenis verbis, ſed amicis & ſpem optimam facientibus. Atque hæc quidem correctio inter ipſos conjuges tantum, non etiam aliis præſentibus eſt facienda. Vulgo namque dicitur. cum uxore neque jurgandum, neque laſcivendum eſt, in præſentia aliorum. Alterum enim dementiæ, alterum fatuitatis eſt argumentum. 14

14 Steph. Guazzus Civil. Converſ. lib. 3.

Alio modo ſecundum Philoſophum vir uxorem corrigit, ipſe ſibi maximè dominando, ſic enim optimis totius vitę rector exiſtet, & uxorem talibus uti docebit. 15 Apud eundem Philoſophum Homerus quoque cenſet, virum & uxorem ſic invi-

15 Ariſt. Oeconom. lib. 1. cap 3.

cem se habere debere. Nam nemo deteriorem se admiratur, ac veretur; sed hujusmodi affectus accidunt invicem melioribus, & natura benignis, minoribus etiam sapientia ad se meliores. 16 Optimus est iste modus, qui ipsas usque mali radices evellit. Vxorum etenim errores sive delicta, maximâ ex parte, à maritorum culpa originem trahunt: qui plus justo observantiam connubialium legum, quas tamen ipsi ne minimum quidem observant, ab uxoribus exigunt, & graves pro minima illarum negligentia pœnas de iis sumunt. Quare nec mirum adeo est, si dolore & indignatione victæ mulieres, aliud quam quod deceat, cogitent, aut etiam faciant. Et eodem momento homines lascivi occasionem capiant tentandi earum pudicitiam, & bene de successu sperandi: quo fit ut ipsæ promptè se ad omne id accingant, quod & ira & desperatio ipsis persuadent. Contra verò quando intelligunt uxores, se maritis suis esse carissimas, omne studium in eo ponunt, ut illis amorem cum fœnore rependant. Atque hæc de primo mariti officio, nimirum de imperio in uxorem amore temperato sufficiant. Alterum officium mariti esse diximus, fidem conjugalem & amorem præstare. Hoc officium sacramento inter conjuges confirmatur, & ex eo tota penè felicitas pendet matrimonii, perpetuaque vitæ conjugalis concordia. Læsa fide, læditur amor, læditur tranquillitas ira & furor concitantur. Venustè Poëta.

16 Ibidem.

Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in irâ est,
Fulmineo rapidos, dum rotat ore canes.
Nec Lea cum catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede,
Fæmina quam socii deprensa pellice lecti
Ardet & in vultu pignora mentis habet
In ferrum flammasque ruit: positoque decore
Fertur ut Aonii cornibus icta Dei
Hoc bene compositos hoc firmos rumpit amores
Crimina sunt cautis ista timenda viris.
Conjugis admissum, violataque jura mariti
Barbara per natos Phasias ulta suos
Altera dira parens hæc est, quam cernis hirundo
Aspice signatum sanguine pectus habet. 17

17 Ovid. de arte Amandi. lib. 2.

Iam verò amorem uxori deberi, ita notum est, ut soli infantes illud

illud nesciant: amorem inquam verum. Nam non est satis maritum tantum osculo putari, prout voluit Hadrianus Imperator, qui uxori, de extraneis illius voluptatibus conquerenti, dixisse fertur. Patere me, per alias, exercere cupiditates. Vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis. 18 Magnes est amoris amor, & qualis trahit, talis & trahitur. Nulla est major ad amorem invitatio, quam prævenire amantem, & nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. 19 Et è contrario nihil magis provocat injuriam, quam injuria. Vnde Philosophus primam ponit legem viro ad mulierem, ut injuria cesset: sic enim (Philosophi verbis loquor) *nec ipse injuriam patietur, hoc enim & communis lex inducit, ut Pythagorici dicunt, quemadmodum servam à lare abductam, quam minime decet videri injuriâ afficere. Est autem viri injuria externarum mulierum coitus.* 20 hæc ille.

18 Convival. serm. Tomo, I. pag. 310.

19 Aug. de Catech. rudi.

20 Arist. OEconom. lib. 1, cap. 4.

Accusat Poëta Menelaum, quod male suam Helenen custodiverit, & sua absentia hospitem juvenem adulterum fecerit.

Dum Menelaus abest (inquit) *Helene ne sola jaceret*
Hospitis est tepido nocte recepta sinu
Quis stupor hic Menelae fuit? tu solus abibas
Iisdem sub tectis hospes & uxor erant
Accipitri timidas credis furiosè columbas
Plenum montano, credis ovile lupo
Nihil Helene peccat: nil hic committit adulter:
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium dando tempusque locumque,
Quo nisi consilio est usa puella tuo?
Quid faciat? vir abest & adest non rusticus hospes,
Et timet in vacuo, sola cubare toro
Viderit Atrides Helenen ego crimine solvo:
Vsa est humani commoditate viri. 21

21 Ovid. de arte am. lib. 3.

Accusat inquam Menelaum, ejusque absentiam in crimen vocat. Sed ego minus istud esse Menelai peccatum judico: majus est, quod ille injuriam uxori alieno amore fecerit. Casta fuisse Helena, donec quidem maritus eâ solâ fuit contentus, postea autem ob mariti culpam se prædæ dedisse fertur. 22

22 Steph. Guazzus de Civil. Convers. lib. 3. Ovid. proximè citatus.

Dum fuit Atrides una contentus, & illa

Casta

Casta fuit, vitio est improba facta viri.

Abfuit satis diu etiam Ulysses, totos scilicet viginti annos à sua Penelope, illa tamen nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem quam viro discedenti dederat, secundis nuptiis violaret. Tantùm abfuit ab infami cupidine! Hujus constantiæ magna causa fuit ipsius etiam virtus Ulyssis, qui optimum animum erga Penelopem gerens, absens licet, nihil deliquit. Nam rogante Atlantis filia, ut secum maneret, ac sempiternitatem pollicente, nec ob id quidem prodere voluit uxoris affectum, & amorem, & fidem, maximum sibi supplicium arbitratus, si malus dum esset, immortalitatem haberet. Cum Circe etiam manere noluit, insuper sociorum salutem pollicente: imo respondit, nihil sibi dulcius videri posse, quam patriam incultam, & asperam, magisque optavit mortalem uxorem filiumqne videre, quam fieri ipsum immortalem. Sic ille firmam stabilemque uxori fidem servabat, pro quibus merito ab uxore eadem reportabat. 23 Abfuit & Collatinus à sua Lucretiâ, castus vir à casta muliere; quæ vim à Tarquinio passa, quia pudicitiæ violatorem ulcisci non potuit, pœnas à se ipsa suæ infelicitatis exegit, 23 Arist. Oeconom. lib. 2. cap. 3.

cœlato figens sua pectora ferro.

Manifestum igitur est, solam absentiam maritorum non esse uxoribus causam adulteriorum, alioqui Penelope quoque & Lucretiæ fuisset, sed potius injuriis maritorum fœminas in hoc mali præcipitari, ut ostendunt exempla Menelai, & Agamemnonis, qui dum injusta lucra sectantur, justè possessis bonis spoliantur.

Quamobrem cesset maritorum injuria, & non erit opus uxoribus custodiâ. Vetus præterea proverbium est: Impudica mulier custodiri non potest, honesta non debet. Illi qui de uxorum honore sunt solliciti, easque custodiunt, damno suo admonent, quid illę facere possunt. Eleganter id explicat more suo Naso, dum quendam sic alloquitur.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo est,
Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est,
Quæ quia non liceat, non facit; illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est,

Nec custodiri, ni velit, illa potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas
Omnibus exclusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Desine (crede mihi) vitia irritare vetando:
Obsequio vinces aptius ipse tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua fræna tenacem
Ore reluctanti, fulminis ire modo.
Constitit ut primum concessas sensit habenas
Frænaque in effusas laxa jacere jubas.
Nitimur in vetitum, semper cupimusque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos centum cervice gerebat
Argus, & hos unus sæpe fefellit amor.
In thalamo Danae, saxo ferroque perenni
Quæ fuerat virgo credita; mater erat.
Penelope mansit, quamvis custode careret
Inter tam multos intemerata procos.
Quicquid servatur, cupimus magis, ipsaque furem
Cura vocat, pauci quod sinit alter, amant. 24.

24 Ovid. lib. 3 Amor. Elegia. 4.

Quamobrem melius faciunt illi, qui uxoribus suum ipsarum honorem asservandum relinquunt, insidiatores enim alienæ pudicitiæ, dum credunt fœminas, quibus ipsismet ista cura est concredita, magna virtute esse præditas, nihil tentare audent, & sic magis in tuto est fides & castitas conjugalis.

Ex his ergo liquet, qualis fides, quantusque viri amor, qui optimus est fidei uxoriæ custos, debet esse erga mulierem. Cæterum quia amare (ut vetus est proverbium) & simul sapere vix Deo conceditur, ideo diligenter videndum est, ne pro amore, incomposita cupiditate ardeamus. *Habet enim potestatem dæmonium super eos, qui conjugium ita suscipiunt, ut DEum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* 25. Sed amorem illum habeamus, qui est amicitiæ & concordiæ instrumentum, & quem sapientes (ut ait Athenæus) procul ab omni turpitudine judicarunt, atque in gymnasiis unà cum Mercurio & Hercule statuerunt, ac cui sacrificabant. Nam amorem & honestam voluptatem, quæ ex vir-

25. Tobiæ. Cap. 6.

virtute provenit, delitię corporis infamaverunt, ut Seneca teſtatur in Epiſtolis. Neque voluptas inquit cauſa virtutis more Epicuri, ſed acceſſio eſt. Virtus enim non quia delectat placet: ſed quia placet delectat.

Tertium officium mariti eſt, præbere uxori ad vitæ uſum neceſſaria. ea vero ad victum & ornatum referuntur. Vt incipiam à victu, illius maximam vim eſſe in utramque partem, ille tantùm dubitat, qui dubitat, ipſis deliciis, quibus bene vivere poſſe multitudo confidit, frangi virtutis nervos, atque prorſus labefactari. Quæ tanta conſtantia, tantaque fortitudo eſt, de qua brevi tempore gula non triumphet? aut quæ tanta petulantia & libido, quam non ſobrietas coërceat & temperantia? quæ voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. 26 Vt enim in voluptatum regno, nullo pacto virtus poteſt conſiſtere: ſic ubi eſt omnium virtutum fœcunda mater ſobrietas, nulli vitio locus invenitur. 27 Hinc ſacris virginibus vigiliæ & cibi potuſque continentia ab optimis & prudentiſſimis viris inſtitutæ ſunt, ne carnis illa luxuries, puras cogitationes labefaceret, & firmos animos debilitaret.

26 Senec. ad Lucilium Epiſt. 88.

Priſcis temporibus, Romanis fœminis, vini uſus ignotus fuit qui nunc quoque Syris, & Perſicis, minimè conceditur. Cujus rei obſervatio ut facilius deprehenderetur, oſculum Romę cognatis conſtitutum erat, ut adverſus intemperantes odor ipſe argumento eſſet: quæ verò legem tranſgreſſæ fuiſſent, non modo dignæ notâ cenſebantur, ſed ut auctor eſt Cato, graviter mulctari jus erat. Ad inconceſſas enim voluptates hujus generis intemperantiâ ſæpiſſime invitat ac detrahit juxta illud, *Venus cum culina fervet pariter ac friget*. 28.

28 Franc. Barbar. de re Vxor. lib. 2. cap 5.

Itaque ſapienter quidam gentiles, ſic in eodem templo Liberi Patris & Veneris ſimulachra congeſſerunt, ut qui Veneris imaginem viſendi ſtudio venirent; prius ipſius Bacchi ſtatuam ſalutarent. Talibus profecto mens & animus factus impotens, nihil arduum cogitare, nihil decorum meminiſſe, nihil divinum poteſt intelligere; at conſilii & rationis expers, per quandam ſenſuum pruriginem illud ſibi ſummum bonum definit, quod ut ſcribit Cicero, ſi pecudes ipſę loqui poſſent, voluptatem appellarent. 29.

29 Idem ibidem.

Sapienter & Fridericus Imperator, qui ſtudioſiſſimus temperantiæ ac ſobrietatis cultor fuiſſe dicitur, cum audiſſet Leonoram uxorem (quæ paterna in domo nunquam vinum guſtaverat) facile filios parituram, ſi in Germaniâ tam frigidâ regione vinum biberet, dixiſſe fertur, malle ſe ſterilem uxorem habere, quam vinoſam. Non ignoravit Imperator fortiſſimus, quam multa vinolentiam mala comitentur; & tum præſertim, quum fœmineum genus nimio vino obruitur. 30 Quorum malorum aliqua etiam ad hæredes tranſire judicavit Diogenes, qui quum temulentiorem puerum eſſet conſpicatus, parentes ait ebrii te genuerunt.

30 Æneas Sylvius. lib 2. de rebus geſtis Alphonſi.

Quamobrem prudentes & attenti mariti, uxores ſuas ad frugalitatem potius Lucretiæ, quam ad Cleopatrę ſumptuoſas delicias aſſuefacient. Nam Syracuſanas cœnas turpis & immoderata Venus non modo ſequitur, ſed etiam perſequitur, & per Alexandrinas menſas, mens relictis honeſtatis finibus, in plurima & maxima vitia præcipitatur. contra moderatiſſima victus ratione, & omnis honeſtas manet incolumis, & ſumptus damnoſi evitantur.

Iam de cultu atque ornatu uxoris videamus. Luxus, ut in omnibus rebus, ita & in mundo muliebri, merito reprehenditur. Omnis quidem ætas accuſat luxus veſtiarii varietatem, ſed præſentis ſæculi tanta eſt, ut in contumeliam naturæ, adſcitâ & adoptatâ undique pompâ, pene in ſimulachra migrent mulieres. Nulla, præſertim ditiorum, ſatis ornatam ſe putat, niſi admirantis plebeculæ trahat oculos, & cultum ab humiliori extorqueat. Stolæ illarum, aliquando precioſiſſimæ, ſubtiles, & pellucidæ, quibus vix ſexus tegitur, aliquando verò prodigè fluentes, ſinuumque multiplici nexu induſtriè criſpatæ ſunt. Iam quid farcimina illa, aut ferrum illud eſſe dicam? quo honeſtæ etiam utuntur, quod cum veſtem ſupra alvum ad poſteriora pariter extendit, ſi quid latet illic, facile diſſimulat, aut celat, & virginati lepidè patrocinatur? dignum eo tempore inſtrumentum, quo diſſimulamus crimina, non fugimus. Quid collaria pavonum caudas æmulantia? quid tutulos, & adoptivarum comarum ſuggeſtus? quid colli valla linei candoris radios? quid unionum aurique non jam ornamenta ſed onera? quid aurium vulnera & elenchos? quid tenuiſſimam carbaſum, qua leviter obducuntur

ſororiantes, non ut reſtinguant deſiderium ſed acuant? quid inquam hæc & ſexcenta ſimilia eſſe dicam ? niſi certiſſima patrimoniorum exitia, & nefandi amoris illicia.

Nec privatis tantummodo bonis , ſed etiam rebus publicis nocet immoderatus ac nimius ornatus fœminarum. Duo enim ſunt diverſa vitia quæ imperia evertunt, avaritia videlicet & luxuria. 31 Præterea fœminæ,quæ nimium exornari poſtulant, viros docent rapere aliena, dum eorum loculos exhauriunt:ipſæ vero nonnunquam templis Ægyptiorum ſunt ſimiles,quæ ſplendida ac magnifica fuerunt, atriis,columnis, veſtibulis,atque picturis, intus verò numinis loco,aut ſerpentem,aut felem,aut aliud aliquod animal ridiculum habuerunt. 32 Sæpenumero quoque dum his rebus ſtudetur, quæ ad ornatum ac ſplendorem faciunt , neceſſaria negotia negliguntur , quandoquidem nunquam mulier ſatis ſibi ornata videtur, juxta illud Terentii:

31 Cato apud Livium Decad.4 lib. 4.

32 Clemens Alex. lib 3. Pædag. cap. 2.

Noſti mores mulierum :
Dum moliuntur dum comuntur, annus eſt. 33.

33 Heaut. 2,1.

Quare non poſſum ſatis laudare Oppiam legem Romanorum, quæ non conceſſit mulieri ut plus ſemiuncia auri poſſideret, aut verſicolori veſtimento uteretur. 34 Non poſſum ſatis laudare & Spartanos, qui auri uſum mulieribus ſuis denegarunt, 35 Apud quos Lyſander, cum Siciliæ tyrannus filiabus ejus veſtes pretioſas miſiſſet, donum illud repudiavit, dicens, ornatu illo filias ſuas dedecorari potius, quàm ornari. 36 Et hæc ad omnes quidem mulieres pertinent. De deformibus verò non illepidus eſt apud aulicos jocus, qui dum turpem fœminam vident pretioſe ornatam,dicunt,

34 Livius lib.34.

35 Heraclides de Polit.

36 Plut. in precep. conjug.

Materiam ſuperabat opus,

plumaſque carnibus eſſe meliores. Quod ſi inter ornamenta grandis aurea catena geſtetur, iidem dicunt, eo tempore non eſſe neceſſarias incantationes,ad fugandas tempeſtates,eò quod dæmon ſit catenatus. Atque utinam eſſet dęmon potius catenatus, & non mulier,ad quam ſuperbè ac laſcivè comptam,tanquam ad domum ſcopis mundatam & ornatam , ſpiritus immundus, aſſumens ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, ingreditur. 37 Sanctus Ambroſius non dæmonem, ſed fœminam vinciri diſerte aſſerit. *Collum* inquit *catena conſtringit, pedes compe-*

37 Luc 11. verſ.25.

des includunt; nihil refert an corpus auro ligetur, an ferro. Si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium juvat: nisi quod vos mulieres estis miserabiliores, quam qui publico jure damnantur: illi optant vivos ligari, mulier sic ornata, est domus omnium dæmonum infernalium. 38.

38 Lib. 1. de Virg.

Luxum ergo vestium diligens maritus nequaquam in uxore patietur, sicut & formæ adulteria, quæ & ratio damnat, & sancti Patres vehementer execrantur. *Quanta amentia est* (inquit sanctus Augustinus) *effigiem mutare naturæ, picturam quærere? tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt; ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur* 39. Cyprianus vero dicit. Ornamentorum ac vestium insignia nonnisi prostitutis & impudicis fœminis congruere, & nullarum fere pretiosiorem cultum esse, quam quarum pudor vilis est. 40. Idem addit fœminas manus Deo inferre, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt: nescientes quia opus Dei est, omne quod nascitur; diaboli, quodcunque mutatur. 41. His addi potest Innocentius, cujus verba sunt. *Absit ut adulterinus color comparabilis sit nativo. Quinimo quum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur. Universa vanitas omnis homo vivens. Quid enim vanius, quam crines pectere, plantare cæsariem, tingere genas, ungere faciem, producere supercilia? quandoquidem vana est gloria & vana pulchritudo: omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos agri.* 42. Qui maximè deceat fœminas cultus, docet Gregorius Nazianzenus. *Mulierum* (inquit) *ornamentum est, morum probitate & elegantia florere, domi ut plurimum manere, colloquium cum divinis oraculis habere, fuso ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare, servos vitare, labiis, oculis, genis vinculum injicere, pedem limine non admodum frequenter efferre, pudicis quidem omnibus mulieribus delectari: cæterum eò duntaxat viro contentam vivere, qui tibi legitimo matrimonio virgineam zonam solvit.* 43.

39. Lib. De Serm. Dom.

40. Lib. de habitu Virg.

41. Ibidem.

42. de vilit. condit. hum

43. Adversus mulieres ambitiosius se ornantes.

Optimum ornamentum & Phocionis uxor agnovit, quæ, cum aliæ, aureos torques, monilia, cæteramque munditiæ muliebris supellectilem ostenderent, dixisse dicitur: Meus ornatus, meus maritus Phocion est. 44. Huic non multum absimilis fuit Cornelia Grachorum mater, quæ cum Campana quædam matrona, monilia ei, annulos ac gemmas suas ostenderet,

44. Plutar. in Phocione.

ret, sermone eam traxit, donec è Scholâ liberi redirent, quos digito monstrans. Hæc enim ornamenta sunt. 45. Denique vestium modum, mulieribus Portius Latro præscripsit: secundum quem, matrona quæ se adversus sollicitantes aviam volet, prodeat in tantum ornata, ne immunda sit: habeat comites ejus ætatis, qui impudicos, si nihil aliud, verecundiâ annorum removeant: ferat jacentes in terram oculos: adversus officiosum salutatorem inhumana potiùs, quàm inverecunda sit: etiam in necessariam resalutandi vicem multo rubore confusa, longè ante impudicitiam neget ore, quam verbo. In hac servandæ integritatis custodia nulla libido irrumpet. 46.

45. Val.Max. Lib. 4. cap. 4.

46. Apud Senec. contr. lib. 2. contr. 15.

Quæ hactenus de victu & cultu uxoris diximus, non in eam vim accipi debent, ut uxores nostras ad Diogenis vitam adigamus, easque sordidè ac miserè habeamus, sed ut luxum illarum & ambitionem cohibeamus. Certum namque est, maritum honestis uxoris desideriis prospicere debere, ita ut illa neque necessitate neque superfluitate ad turpitudinem instigetur. cum indigentia æquè ac abundantia, mulieres sæpenumero reddantur impudicæ. 47. Profectò mediocritas victus, ornatusque decentia, magis retinet fœminas in honestate, quam impellit ad turpitudinem. Eleganter Plutarchus qui inquit uxorem in arctum cogit & comprimit veluti annulum, digito ob gracilitatem alias delapsurum, similis est eorum, qui equas tondent, & deinde ad fluvium vel lacum deducunt, nam suam formam conspicientes fædatam, ferociam dicuntur amittere, ac pati porro ab asinis se conscendi. 48. Bucephalus etiam Alexandri (ut magni notant auctores) auro & phalerio ornatus solum Alexandrum sessorem ferebat, demptis autem ornamentis, omnes alios patiebatur. Quare cum & ratio non omnem sed tantum nimium fœminis ornatum interdicat: quia unicum solatium sexus fœmineus in ornatu positum habet: neque enim magistratus gerere, non sacerdotia, non insignia, dona aut spolia bellica mulieribus contingere licet: & consuetudo omnino elegantiam exigat, consulte mariti facient si (modo res ipsorum patiatur) auro atque margaritis uxores suas exornaverint. Talia enim magis abundantis, quam luxuriosæ mulieris insignia, potius amplitudinem viri tuentur, quam procaces aucupantur oculos. Diuturnius item & minore cura indigens hoc divitiarum genus est,

47. Steph. Guazzus de Convers. Civil. lib. 3.

48. in Amatorio.

eſt, facileque poteſt & privatæ & publicæ rei ſæpe maximo fore adjumento. 49

49 Franc. Barb. de re Uxor. lib. 2. cap. 4.

Caput IX.

De Officio Uxoris.



Fficio mariti diſcuſſo, reſtat explicandum uxoris. Ab Uxore primo requiritur Obedientia. Quamvis enim apud Lacedæmonios mulieres viris ſuis ſolitæ fuerint dominari, & hi illas heras ſuas appellaverint, 1 quam etiam conſuetudinem Semiramis in Aſſyriam introduxerat, 2 Sintque non paucæ, quæ prudentia & virtutibus aliis excellant: tamen multo melius eſt, ut (quod divina lex vult) maritus uxori imperet, non contra. Exiſtimare mulier debet, non voluntatem tantum ſed etiam mores viri eſſe legem vitæ ſuæ à Deo ſibi impoſitam, 3 & multum utilem. Cum enim illa ad conſilium, virtutem admodum imperfectam ac languidam habeat, 4 plurimum illi prodeſt mariti imperium. Præterea vir, caput eſt mulieris, cui mulier ſi non tanquam inferius membrum ſe ſubjecerit, ſed imperium ſibi uſurpaverit, monſtrum erit, & marito, & reipublicæ horrendum. Contemptus quoque virorum nullus major eſſe poteſt, quam ſi ſua in domo habeant muliebre imperium, Gynæcratia Græcis appellatum: quin & reſpublica pro dimidia parte malè conſtituta eſt, ubi fœminæ male ſeſe habent. Habent verò tum illæ ſeſe male, cum falces iis permittuntur. 5 Ergo bonæ uxoris eſt, obſequio ſuo viro placere, & Saræ magnę illius heroinæ ſequi exemplum, quæ Abrahamo obedivit, eundemque dominum ſuum appellavit. 6 Eam & Ariſtoteles multo magis obtemperare jubet marito, quàm ſi empta veniſſet in domum: magno enim pretio empta eſt ſocietate vitæ & procreatione liberorum, quibus nec majus, nec ſanctius quidquam eſſe poteſt. 7

1 Ariſt. 2. Polit. cap. 7.
2 Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.
3 Ariſt. Oecor. 2. cap. 1.
4 Ariſt. Polit. 1 cap. 3.
5 Ariſt. Pol. 2. cap 7.
6 Geneſ. 18. cap.
7 Oecon. 2. cap. 1.

Hæc tamen ſicut non cogunt mulierem ad ſervanda turpia mariti imperia, ita neque vetant maritum bona uxoris ſequi conſilia. Qualia poterant eſſe Theodoræ uxoris Juſtiniani Imperatoris, de qua ſic Blondus: *Tegebat autem multum ipſius regis ineptias virtus reginæ omnia obminiſtrantis.* 8.

8 Lib. 3. Dec. 1.

Alterum quod uxor marito præſtare debet, eſt fides & amor conju-

Alterum quod uxor marito præstare debet, est fides & amor conjugalis. Proximè ostendi hoc ipsum à viro uxori deberi; hic addo, majorem fidem ac caritatem à muliere quam à marito requiri. Etsi enim sacri Canones eandem in utroque conjuge fidem exigant, leges tamen civiles majorem in fœmina quam viro castitatem desiderant. Unde etiam fit, ut & adulterium jure civili propriè committatur ab uxore, sive ea conjugato, sive soluto se commisceat, à marito non aliter, quam si se nuptæ. Ratio posita est in sanguinis perturbatione, prolisque incertitudine. Non enim sicut uxoris adulterio marito, ita mariti libidine uxori nascitur incertus atque suppostititius hæres. Opinione etiam hominum mariti honor, ob non servatam uxori fidem, levius sugillatur: uxor & omnem honorem perdit, & ea macula inquinatur, ut neque pœnitudine, neque vitæ emendatione eam eluere, nec famam bonam recuperare unquam possit. Egregiè quispiam dixit:

Si qua est suo privata honore fœmina,
Non fœmina est dicenda, nec viva amplius.

Ut autem omnem honestatem suam mulier tam factis quam verbis illæsam servet, societatem earum mulierum, quarum fama fluctuat, & laborat, quanto potest opere fugiat. Hæ enim & improbis suis moribus, & verbis inhonestis, alias quoque ad illam vitæ perversitatem conantur allicere, nihilque magis in votis habent, quam ut omnes sibi similes reddantur.

Amor quoque major debet esse uxoris erga maritum, quam hujus erga illam. Quo enim res aliqua nobilior est, eo majorem quoque æstimationem meretur, intellectus pariter & affectus. Omni igitur studio, fide, gratia virum amet mulier, nihilque diligentiæ, benevolentiæ, pietatis omittat. Sic cum eo versetur, ut sine illo nihil boni nihil jucundi fore sibi polliceatur. Sic vivat cum illo, ut & quodam modo animum misceat, & si fieri posset (quod vult Pythagoras in amicitia) unus fiat ex duobus. Hoc ut facilius fieret, Cretenses nullis filias suas nubere patiebantur, nisi quibuscunque virgines ipsæ signa amoris ostendissent, persuasi, eos uxoribus fore cariores, qui ante maritale vinculum cari etiam fuerunt. 9

9 Franc. Barb. de re uxor. lib. 2. cap. 1.

Exempla si ad hanc rem spectantia omnia producerem, integrum librum implerem. Unum referam, quod (ut Plutarchus

testis est) imperante Vespasiano accidit. Julius qui in Gallia defectionis auctor fuit, cum alios multos habuit, ut fieri solet, sui conatus socios, tum Sabinum quoque hominem non degenerem, & qui divitiis gloriaque omnes alios facile vinceret. Hi rebus arduis tentatis, successu caruerunt, cumque supplicia se daturos præsentirent, partim seipsos è vita eduxerunt, partim in fuga capti sunt. Sabino autem cæteroqui facile licebat fugâ ad barbaros factâ saluti suæ consulere. Sed uxorem duxerat optimam nomine Emponam, (Græce Heroidem diceres.) Hanc cum neque ducere secum posset, neque deserere sustineret, & ruri haberet sub terra effossas cameras, in quas reponi res utiles possunt, duobus tantum notas libertis, reliquos famulos omnes dimisit, se veneno sibi mortem consciturum simulans, duos quos fideles norat, adsumpsit, & in specus istas subterraneas descendit, misso ad uxorem liberto Martiali, qui patronum veneno extinctum, & casam villæ cum eo concrematam esse renuntiaret. Volebat enim luctu uxoris fidem facere sui, quem fingebat, interitus. Idque etiam evenit. Nam ea, ut erat, accepto nuncio, lamentans & ejulans in terram projecit sese, tresque dies ac totidem noctes sine cibo ita exegit. Quod ubi rescivit Sabinus, metuens, ne se prorsus vita exsolveret, occulte Martialem ei significare jussit vivere se etiamnum, & occultari, rogare autem, ut adhuc aliquantulum in lugendo perseveret, accurateque mariti interitum simulet. Tragœdiam hujus calamitatis uxor admodum artificiosè egit, tamen noctu desiderio visendi ad maritum ventitavit, nemine observante, & tantum non apud inferos cum eo consuevit. Exactis septem mensibus, facta spe impetrandæ veniæ, veste, tonsura, & capitis redimiculo ignotum redditum obviis Romam perduxit. Sed re infecta, in suam is specum rediit, ipsaque cum eo majorem temporis partem sub terra exigens, interdum Romam ivit, amicis & necessariis mulieribus se visendam præbens. Et quod creditu difficillimum est, cum iis lavans, fefellit uterum gerens. Nam medicamentum, quo mulieres comam inungentes faciunt auri in morem rutilam, & fulvam, pinguedinem habet, qua caro sive fit grandior, sive rarescit, itaque diffunditur, quasi & major sit ejus moles, hoc illa in cæteris membris usa affatim, attollens se & turgidum celavit ventris onus. Partus verò dolores sola ipsa

pertulit,

pertulit, leænæ in morem ad maritum in foveam sese abdens: natosque duos ut sic loquar catulos educavit. Peperit enim filios duos, quorum alter in Ægypto occubuit, alter nuper admodum nobiscum (Plutarchus loquitur) Delphis fuit, nomine Sabinus. Ipsam Cæsar interfecit: sed cædis pœnas dedit, exiguo temporis spatio, tota stirpe ipsius funditus interempta. Nullam enim rem hoc facto tristiorem istud tulit imperium, neque fuit cur ullius rei adspectum magis, & dii, & genii aversarentur. Miserationem quidem spectantibus ipsa exemit magnanimitate sua, & grandiloquentia, quibus maximè irritavit Vespasianum. Desperata enim salute mortem suam commutationem vocavit, dixitque suavius sibi fuisse in tenebris & sub terra vivere, quam ipsum videre imperio potiri. 10 — 1. In Erotico.

Officium denique bonæ uxoris est silentium, & domi manendi studium. Vitium magnum, & valde fœmineo in sexu usitatum est, quod dicaces pleræque omnes ac loquaculæ sint fœminæ. Proverbio dicitur: Tres fœminas facere nundinas, & mulieri verba desunt ut lusciniæ cantio, Poëtæ versus, Oratori colores, Sophistæ cavillum. 11 Causa hujus rei est ista, quod ubi minus est cordis, ac roboris, tam in animo, quam in corpore, ibi plerumque plus linguæ est, uti observare licet in pueris, senibus & aniculis. Itaque quo magis hoc vitium fœminis familiare est, eò magis commendantur illæ, quæ sciunt compescere linguam. Uxor modesta loquitur viro, aut per virum. 12 Alioqui, amicitia, quies, concordia, servari inter conjuges non potest. Cæterum quando aliquid proloqui est necessitas, illa lex servanda est etiam conjugibus, quam sanctus Augustinus tulit virginibus, dum dixit: *Sit sermo virginis prudens, modestus, & rarus, non tam eloquentia pretiosus quam pudore. Mirentur omnes, te tacente tuam verecundiam, te loquente prudentiam.*

11 Erasm. in prov. Chil. 3. cent. 6. prov. 7.

12 Plut. in præcept. conjug.

Porro fœminis domi esse manendum ingenioso invento admonuit Phidias, Eleorum Venerem testudini insistentem fabricatus. Uxor enim bona ex sua domo sicut testitudo ex concha non egreditur, sed instar apis sedulæ domi manet. At quemadmodum turpe est marito degere semper sub tecto, & negotia nulla externa curare, 13 ita fœminæ foris agere, sive ea fuerit infamis, sive non fuerit. Hoc ipsum enim satis infamiæ conciliat, si domi non maneat. 14 Imo ut disertè Aristoteles docet, non

13 Xenoph. in Oecon.

14 Euripid. in Trojad.

ita turpe viro eſt, quidquam eorum, quæ domi ſunt facere, ſi-
15 Oecon. lib. 2. cap. 1. cut mulieri, quæ foris perquirere. 15 Quamobrem ſapienter Ægyptiis mulieribus, ne calceis patriciis uterentur, interdictum erat, ut nimirum hac ratione evagandi licentia cohiberetur. Eorum exemplo & noſtrates fœminas domi continere poterimus, ſi mundum illis pretioſum ſuſtulerimus. Sunt & alia plurima, quæ brevitatis cauſa hic omitto, ex quibus facile poſſem oſtendere, fœminas maritis addictas, velut Veſtæ ſacris dicatas domi ſe continere debere, & ferme nunquam exire, adeo ut alienos intueri viros quodammodò religio ſit. Uti revera religioni id fuit (ſileo infinitas) Armeniæ, quæ formoſiſſimum regem, in cujus conſpectu ſæpe fuit, nunquam aſpexit. Cum enim Tigranes vir illius una cum ipsâ domum a Cyro reverteretur, aliis cum effigiem, tum mores, tum corporis magnitudinem formamque collaudantibus, Tigranes, quid ipſa de pulchritudine Cyri ſentiat, percontatur. At illa, deos immortales obteſtor, inquit, abs te nunquam oculos deflexi. Itaque qualis Cyri forma effigi-
16. Xenoph. in Pæd. esve ſit prorſus ignara ſum. 16

Sunt & alia conjugum officia, quorum aliqua inferius attingemus.

Caput X.

De Educatione Liberorum.

QVia (ut ſuperius inſinuavi) homo Oeconomus, in uxore, liberis, ac ſervis gubernandis debet eſſe occupatus, ideo poſtquam de conjugio & re uxoria diſſerui, ordo ipſe exigit, ut jam de cura liberorum diſſeram.

§. I.

Quid ſit educatio, & quantum momenti poſitum eſt in illâ.

EDucationem Nicolaus Bellus deſcribit his verbis. *Educatio, veluti bonorum malorumve habituum omnium fons, & origo, totius humanæ felicitatis præcipuum fundamentum eſt. Hinc dominatuum ſtabilitas, hinc ruina dependet, hinc nationum & populorum ſervitus, & eorundem libertas, hinc imperiorum ortus & occaſus proficiſcuntur. Hæc ſi modo rectè ordinetur, bonorum morum mater eſt.*

Boni

Boni mores, bonarum legum radices sunt: in iisdem moribus omnis armorum gloria atque potestas fundatur. Vbicunque mores, leges, arma gradum alicujus excellentiæ obtinuerint, ibidem imperii auctoritatem, subditorum felicitatem, Principis majestatem florere necesse est. Recta educatio nihil est aliud, quam diligens animi cultura, qua intelligentiæ lux, rationi imperium, voluntati modus, affectibus frenum, actionibus regula, corpori robur affertur: fructus quales nunquam, nisi in iis animis, in quibus tempestivè inseruntur, maturescere conspicimus. 1

Quantam verò vim in utramque partem eadem educatio habeat, ostendit Lycurgus, qui Lacedæmoniis leges condidit. Nam cum conaretur cives suos, à moribus præsentibus, ad temperatiorem vivendi rationem traducere, eosque virtutum ac honesti studiosos reddere, (erant enim deliciis corrupti) duos educavit catulos, eodem patre, eademque matre progenitos, quorum alterum passus est domi lautioribus vesci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Deinde cum ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illis spinas simul & escas aliquas delicatiores, mox emisit leporem, cumque uterque raperetur ad assueta, alter leporem invaderet: An non videtis inquit cives duos catulos, quum ejusdem sint generis, tamen ob diversam educationem admodum dissimiles inter se evasisse, plusque ad honestatem momenti habere exercitationem, quam naturam? Proinde ne nobis quidem, ô Cives, nobilitas, quam miratur vulgus hominum, ductumque ab Hercule genus profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt & discamus & exerceamus. 2 Alii aliter hanc ipsam historiam referunt, dicuntque illorum caniculorum alterum generosioris, vilioris alterum generis fuisse, & illum quidem vitio educationis ignavum, hunc verò propter meliorem institutionem solertem evasisse. Itaque & Socrates dicebat, optimè natis ingenuisque potissimum adhibendam esse rectam institutionem. Id enim in his usu venire, quod in equis, in quibus qui feroces sunt, ac generosæ indolis, si statim à primis annis rectè instituantur, egregii & ad omnem usum accommodi evadunt, sin minus efferati, intractabiles, & ad nihil utiles. 3 Perpetuo hæc ante oculos debent habere illi parentes, qui filiis de multis opibus prospiciunt, quo autem pacto boni illi fiant non cogitant;

1 Rerum Polit. Tom. 1. Cap. 4.

2 Plut in Lacon. & Bruss. lib 2. cap. 38.

3 Erasm. 3. Apopht.

tant, ſimiles illis, qui equos multo pabulo alunt, & pingues ſed interim ineptos ad bellum reddunt. 4

4 Xenoph. in epiſt. ad Clitonem.

Male profectò parentes genuêre liberos, niſi educent, ac erudiant, imo mali ſunt, ni bonos faciunt, quos erudiunt. Plus eſt rectè educare, quam genuiſſe. Minimum eſſe ait Romanus ſapiens beneficium, patris matriſque concubitum, niſi acceſſerint alia, quæ proſequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent. 5 Ego vero ne beneficium quidem agnoſco eorum parentum, qui ſolam vitam, voluptatis ſuæ cauſa, aut certè per voluptatem ex ſe genitis dederunt. Cum feris enim id homini, & animalibus quibuſdam minimis, quibuſdam etiam fœdiſſimis, commune eſt: quanquam & feræ ex præſcripto naturæ officium educationis diligentiſſimè obeunt, ut in urſa triſti ac ſæva bellua licet perſpicere, quæ poſteaquam informem fœtum enixa eſt, lingua quaſi inſtrumento aliquo format, & ſic expolit, ut non modò catuli parens, ſed etiam artifex jure merito poſſit appellari.

5 Senec. de Benef. lib. 3. cap. 31.

Magnam injuriam proli faciunt parentes, qui eam per vetita gaudia quærunt, aut legitimè quæſitam exponunt aut projiciunt: At longe majorem, qui eam quomodocunque ſuſceptam rectè educare negligunt. Nam & illegitime procreata, beneficio principis, paternæ petulantiæ pœnas non ſentit, & expoſita atque projecta, ſæpe homines nonnunquam etiam feras habet nutrices, malè vero educata, & parentum vitio infelix, & propriis vitiis mala efficitur. Iidem in patriam quoque multis modis injurii ſunt. Nam ab hoc fonte neglectæ educationis labes & pernicies eſt reipublicæ, ævique infelicitas: ab hoc fonte eſt, quod

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem. 6

6 Horat.

Ab hoc denique fonte vulgare illud fluxit proverbium, *filii heroum noxæ.* 7 Profectò enim filii eorum plerique omnes nimis molliter, ac in magna vitæ licentia, educantur. Permittunt illis patres

7 Eraſm. in Prov. Chiliad. 1. cent. 6. prov. 32.

—— —— *deſidias molles, & marcida luxu*
Otia. 8

8 Claud. in panegyr. 3. Honorii Cæſ.

In choris puellarum, inter cytharas, & obſcœnas cantilenas, inter

inter assentationes, tam familiarium quam pædagogorum, perpetuo versantur, fastum contumaciamque imbibunt à primis annis, byssinas vestes prius cognoscunt quàm fari incipiunt, mirantur aureos torques, numerosam familiam, meditantur ab ineunte ætate dominationem, pompam, dapes varias, ultionem, nimiaque indulgentia nervos omnes mentis sanæ perdunt, & cum parere nunquam didicerint, imperare concupiscunt. Atque his moribus hacque disciplina imbutos, nec ulli magistro transformare, nec Mercurio refingere, nec Vulcano recudere potestas est. Quæ cum lacte nutricis quasi suxerunt, ea per totam vitam prosequuntur. Virtutis nomen in ore ferè habent, rem autem ipsam, quæ maximis laboribus comparatur, perpauci norunt, longè pauciores agendo attingunt. Sed ne plura: fortunæ indulgentia, ac genus vitæ depravatæ efficit, ut eis, nec pueris, nec adultis, nec viris, nec senibus ad bonam frugem pervenire liceat, impeditis scilicet plurimis vitiorum illecebris. Neque enim facile est, cum quis assuetus sit malefacere, novum induere habitum bene faciendi: quemadmodum æthiopis pellem nigram in quamvis aliam mutare non est facile, idque fieri nullo modo posse sine Dei beneficio singulari, oracula divina testantur. 9

9 Andr. Fricius lib. 1. de moribus cap. 6.

Atque utinam penes heroum duntaxat, & non reliquorum quoque civium filios essent noxæ, levius profecto esset hoc malum, cum & pauciores sint illi, & fortunæ conditione utcunque excusentur. Nunc verò eousque hoc malum crevit, ut jam à potentioribus, apud quos solos antea, quasi natale solum illi fuisse videbatur, capi amplius non possit, novasque colonias etiam in plebe habeat. *Torpent* (inquit Seneca) *ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno atque languore turpior malarum rerum industria invasit animos. Cantandi saltandique nunc obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Emolliti, enervesque, quod nati sunt, inviti manent,* (quia scilicet magis contenti essent, si fœminæ, & non viri, nati essent,) *expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ.* 10 Et paulo infra vocat eos vulsos, atque expolitos, & nusquam nisi in libidine viros. En egregios pravæ educationis fructus! Quam-

10 Controv. lib. 1. à principio.

Quamobrem, nulli rei tantùm operæ, quantum educationi est impendendum, ut juventutem quàm optimè educemus, atque instituamus, cum ipsius juventutis, tum maximè reipublicæ causa. Ipsius juventutis, quia homo in debitâ perfectione constitutus est cunctorum animalium optimum, utpote propter quem reliqua omnia sunt condita, 11 pessimum vero est, omnium animalium, si alienus fiat à doctrina, à lege, & à judiciis. 12 Reipublicæ verò causa: quia tam bonæ quam malæ educationis fructus, primo à singulis quidem incipiunt, postea ad plures, nempe ad domos proserpunt, tandem in republica tanquam in ultimo initio subsidunt. Ut non immerito Diogenes Pythagoricus dixerit, fundamentum totius reipublicæ consistere in adolescentum educatione: Et Picolominus 13 inanes esse omnes in republica leges pronunciaverit, nisi juventus rectè instituatur, non immeritò inquam, quia ut optimè Isocrates ait: 14 Qui male educati sunt audent etiam leges optime scriptas violare. Porrò cura alia adhibenda est in infantia, alia in pueritia, alia in adolescentiâ. Deinde alia in filiis, alia in filiabus instituendis, de quibus ordine agendum est.

11 Arist. lib. 2. Physic. cap. 2. text. 24. Cic. 1. Offic.
12 1. Polit. cap. 2.
13 Grad. 10. Phil. Mor. Cap. 30.
14 In Areopag.

§. II.

De Educatione & institutione Infantiæ.

PRimum à nativitate hominis septennium, Grammatici, Medici, & Jureconsulti, Infantiam vocaverunt, quod ad id ferè tempus satis commodè fari non possumus. Ætatem hanc multi negant institutioni esse idoneam, tum quod ea non commode possit tractari citra matrum & nutricum operam, tum quod hoc tempore ætas, & intellectum disciplinarum capere, & laborem perpeti nequeat, tum denique quòd valde perniciosum sit, tenellam ætatem instituendi molestia fatigari. 1

Verum adferri plures rationes eam in sententiam possunt, quod instituendi cura inde ab ipsis quasi incunabilis, suo tamen modo, sit inchoanda. Primo enim utile est, nullum tempus cura vacare, sed illico honestatis formam pueris imprimi. Ut enim membra infantium simul diriguntur, ne in obliquum curventur, quam primùm ii editi sunt à matribus, ita eorundem animi, dum adhuc sunt molles, & tanquam cerâ sigillis imprimuntur,

1 Vegius lib. 2. Cap. 2. de lib educ. Heresbachius de Inst. Princip. cap. 4.

muntur, ad omnem fingi institutionem, & possunt, & debent. Natura etiam tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: ut sapor quo nova imbuas durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. 2 Jam verò si juxta Ciceronem nemo illud perfecte discit, quod serò discere incipit, 3 profecto si id rerum natura sustineret, ante ipsam vitam difficillimam bene vivendi artem infantes nostros docere deberemus, sed quia hoc per rerum naturam non licet, id saltem quod illa sinit faciamus, fingamus argillam dum uda est, testam liquoribus optimis imbuamus dum recens est, tingamus lanam præstantissimis coloribus, dum nivea adhuc est, & maculæ expers. Qualem enim hac ætate sementem fecerimus, talem aliquando messem colligemus. Hæc autem cum asserimus, nequaquam matrum operam infantibus denegamus. Prima etenim educationis tædia matribus perferenda sunt, adeò, ut illæ quæ vicaria nutricum opera in lactandis pueris utuntur, gravis parricidii à non levibus autoribus accusentur. Nam secundum illos genus quoddam expositionis & parricidii est, infantulum tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem eâ voce implorantem, quæ movere dicitur & feras, tradere mulieri, fortasse nec corpore salubri, nec moribus integris, denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quàm totus infans creditus.

2 Fabius lib. 1, cap. 1.

3 2. de Orat.

Ego etsi hujusmodi matres de parricidio absolvo, nihil tamen in illis matris præter titulum esse dico, imo nec hunc integrum, quia dimidium illius in alias fœminas transtulerunt, imo plus quàm dimidium. Memorabile est ad hanc rem illud, quod de Graccho scribitur, qui nutrici gemmam valde magnificam, matri autem longe viliorem dedit: quo facto mater attonita & irata, facti rationem quærit: Mater (inquit filius) hoc propterea ago, quia tu solum novem mensibus me gestasti in utero, hæc verò me tribus integris annis in ulnis & amplexibus fidelissime enutrivit; negasti id mihi, quod planta ramis, quod simia catulis non negavit. 4 Pathetica item & mulieribus singulis observatu dignissima est oratio Phavorini Philosophi, qua matrem novæ cujusdam puerperæ sic appellat, cum nutrices puerulo adhibere vellet: *Oro te mulier sine eam totam integram esse matrem filii sui.*

4 Junius Ruschius lib. de Educ.

Quod enim eſt hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus? peperiſſe ac ſtatim ab ſeſe abjeciſſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret? non alere nunc ſuo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem jam matris officia implorantem? An tu quoque inquit putas, naturam fœminis mammarum ubera, quaſi quoſdam nœvulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? Sic enim, quod à vobis ſcilicet abeſt, pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres, fontem illum ſanctiſſimum corporis generis humani educatorem, areſacere & extinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet. Quod quidem faciunt eadem vecordia, quâ quibuſdam commentitiis fraudibus nituntur, ut fœtus quoque ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac de gravitate oneris & labore partus fatiſcat. Quod cum ſit publicâ deteſtatione communique odio dignum, in ipſis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipſas artificis naturæ manus interfectum ire, quantulum hic abeſt, jam perfectum, jam genitum, jam filium proprii & conſueti atque cogniti ſanguinis alimonia privare. Hæc Phavorinus. Poëtæ atque antiqui Philoſophi, terram, rerum omnium parentem vocaverunt, certe non ex eo, quod gignat tantùm, ſed multo magis, quod nutriat ea, quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum plantæ genus naſcitur, quod eadem terra ſucco ſuo non alat. Nec eſt ullum animantis genus, quod non alat ſuos fœtus. Ululæ, leones, & viperæ educant partus ſuos, & tantum homines ſuos fœtus abjiciunt. O matres 5

5 Eraſm. in Puerpera.

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes,
Turpe erit, ingenium mitius eſſe feris. 6

6 Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. 10.

Nec ea hic illarum matrum procedit excuſatio, quâ dicunt ſe ad hoc educandorum infantium munus eligere mulieres ſaluberrima corporis temperatura. Nam licet fortaſſis id aliquando contingat, ut hac in parte pares ſint, aut etiam ſuperiores nutrices genitricibus, adhuc tamen magis expedit, ut tenellus infans cognatum illum & familiarem hauriat ſuccum, & calore jam adſueto foveatur, quàm alienis cogatur adſueſcere. Triticum in aliud ſolum jactum in avenam aut ſiliginem degenerat, vitis in alium collem tranſlata mutat ingenium, plantula revulſa à parente terra flacceſcit ac veluti emo-

emoritur, eoque quantum fieri poteſt, cum terra nativa transfertur.

Dicet hic fortaſſis quiſpiam, plantas tranſlatas & inſitas exuere ſylveſtre ingenium, & fructus edere generoſiores. Sed nec hoc facit cauſam iſtarum matrum meliorem. Non protinus enim illæ, ut natæ ſunt, aut transferuntur, aut inſeruntur, ſed tum demum, poſtquam ſatis à matribus ſuis fuerint nutritæ, & quaſi ablactatæ. Addo. Non omnibus plantis iſtud jus emphiteuſeos competere, ſed tantùm quibuſdam, quibus magis natura favit. Deinde etiam has ſæpe loci aut trunci mutatione penitus interire. Atque hæc omnium fermè quos legi ſcriptorum conſtans & communis eſt doctrina, quæ illis ſempiterna veritate niti videtur. Ego quamvis optem vehementer, ut lactea infantum vita, tota ſolis matribus debeatur, video tamen poſſe ex multis cauſis contingere, ut lac nutricum materno ſit illis utilius, ut ſi matres fuerint morbidæ, aut prægnantes, aut humoribus vitioſis plenæ, aut moribus aſperæ, aut vita inhoneſtæ. Plurimos videmus, qui graviſſimis morbis ac vitiis obnoxii ſunt, epilepſiæ, gracilitati, imbecillitati, ſurditati, infirmo cerebro, ſtupori mentis, & ſexcentis aliis, non ſolum quod à nutricibus indiligenter curati ſunt, ſed etiam quod maternis uberibus fuerint nutriti. Sed jam ipſam infantiæ educationem videamus.

Inprimis curandum eſt, ut lacte materno (prout ſupra dixi) infantes, aut ſi hoc ex cauſis non poſſunt, alieno nutriantur, modo alumnæ ac nutrices moribus, corporis habitudine, & ætate commendentur. Inconſultè faciunt, qui tetricas aut moroſas nutrices conducunt, aut aniculis alendos committunt infantes, quæ manſum in os tenerum inſerant. Cum enim halitu gravi ferè ſint ac viroſo, hircumque oleant, fit ut quicquid ex hujuſmodi corporibus emanat, ad ſe alliciant, eoque efficiatur, ut colore gilvo aut muſtellino exiſtant, multaque vitia ex illarum accubitu contrahant, præſertim ſi in decliviori ſpondæ parte reclinentur, illiſque ex adverſo ſint conſtituti. 7

7 Lemn. lib 2. de Occ. nat. cap. 10.

Alterum, quod parem curam exigit, eſt motus, quo infantium corpora moderatè debent exerceri. Motus enim naturalem infantum calorem excitat, totumque corpus recreat, ac vivificat, digeſtionem cibi coadjuvat, & per membra digerit, ſuper-

flua & inutilia, præſertim quæ ab utero matris traxerunt, exonerare facit ac conſumit, oppilationes aperit, & humores extenuat, augmentum promovet, diſtendit membra, illaque per calorem quodammodo liquefacit, atque ſic ad quidvis præcipuè verò ad rectam conformationem flexibilia reddit: quæ conformatio non tantum ad corporis facit decentiam, ſed & maxima cauſa eſt, cur homo erecto in cœlum eſt vultu. Fit vero hic motus vel geſtatione in ulnis, vel agitatione in cunis, quamdiu infantes proprio non nituntur gradu, at poſtquam per ſe jam ſubſiſtunt, & pedes figunt atque progrediuntur, deambulatione, quæ etiam moderata, & cum manuductore eſſe debet.

Aſſuefaciendi quoque ſunt infantes ad cœli aëriſque inclementiam. Confert (inquit Ariſtoteles) ſtatim à pueritia frigori aſſueſcere, hoc enim ad ſanitatem & ad res bellicas utile eſt. Quapropter apud multos Barbarorum conſuetudo eſt, vel gelido amne natos immergere, vel pauca veſte amicire, ut faciunt Galli. Ad cuncta enim ſtatim ab initio melius eſt aſlueſcere. Eſt autem apta puerorum natura, ob eorum calorem, ad frigus
8 Polit. lib 7. Cap. 17. exerceri. 8

Reprehendit autem hic Philoſophus nimiam eorum parentum curam, qui ſummè ſunt ſolliciti, ne vel minimè illorum infantes plorent, quod non rectè faciunt: ſunt enim (inquit ille) ploratus utiles ad augmentum, cum ſint quodammodo exercitationes corporum. Spiritus enim compreſſio facit robur laborantibus, quod contingit etiam pueris ploratum cohibenti-
9 Ibidem. bus. 9 Interim tamen fletus intemperatus ſive ejulatus atque vociferatus, nequaquam laudatur, quia omne nimium nocet. Sicut nec horror pueris, aut terror eſt incutiendus, ne in ſomnis tetra quædam phantaſmatum ludibria illis obveniant, quæ eos exagitent, expergefaciant, & inquietudinem quandam non ſine periculo inducant.

Atque hæc per tres primos infantiæ annos ſervanda ſunt in educatione liberorum diligentiſſimè. Sequentibus verò annis, ubi jam ad aliquod robur infantes fuerint confirmati, etiam in
10 Ibidem. motu vult illos eſſe Philoſophus, 10 ut ſcilicet pigritiam corporis evitent, cum otio marceſcant omnia, motu autem ſer-
11 Plat. in Tim. ventur. 11 Motus autem varii ſunt, alii enim ad corpus, alii ad animum, alii ad utrumque pertinent. Omnes tamen in infantibu

fantibus, uti etiam superius dictum est, debent esse moderati.

Porro ad motum referuntur & ludi, quos iisdem concedendos esse à parentibus docet Philosophus. 12 Non quivis tamen illis permittendi sunt, sed ii tantum, qui corpus & animum simul recreant, ac perficiunt. Non debent nimis esse laboriosi, ne nimium calorem excitent, qui postea humiditatem, ad incrementum corporis necessariam, depascatur. Acutè Cicero: ludo inquit & joco uti licet, sed sicut somno & quietibus cæteris. 13 Sed neque remissi esse debent, nam tales redundantes ex corporibus puerorum humores non tollunt. Similiter nec illiberales, sed ejusmodi, qui animum præparent ad virtutem & alacritatem quandam. Acutè & hic idem Cicero: Pueris inquit non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena. 14 Tales denique, qui sint simulachra eorum, quæ postea serio facienda sunt. Sic enim facilius tempore suo res ipsas aggredientur, in quarum imaginibus infantiles voluptates habebant. Cyrus (si historicis credimus) ludendo pro judice se quodam & rege inter rusticorum filios gerebat. Athanasius puer adhuc concionatorem inter pueros atque Episcopum agebat. 15 Post ludos docet Philosophus narrationes & fabulas pueris hac ætate esse proponendas. 16 Hę enim cum leniter demulceant hominum animos, & ultro sese iis insinuent, puerorum etiam mentes attentas reddunt, atque ad rerum notitias præparant, & ad semina virtutum, quæ in fabulis atque apologis proponuntur. Linguam etiam eorum effingunt ad res appellandas & apologos illos patri, sermone suaviter parentibus recitandos cum summa delectatione.

12 Polit. lib 7. cap. 17.

13 1. Officiorum.

14 Ibidem.

15 Zozomen. lib. 2. cap. 2.

16 Polit. lib. 7. cap. 17.

Curent autem diligentissimè parentes, ne sine discrimine talia sæpe à nutricibus, vetulis, & improbis ancillis pueris narrentur, quæ etiam cogitare turpe est, ut monet Philosophus, & cum eo Plutarchus ex Platone. 17 Ubi detestandos ait esse eos, qui narrant pueris fabulas, de furtis deorum, adulteriis, pœnis, bellis & discordiis, invidiis, inimicitiis, quod Deus sit malorum causa, ac velut præstigiator in varias mutetur formas, sitque seductor & mendax, tum in vigilia, tum in somnis variis imaginibus mortales decipiens. Fabulæ ergo huic ætati convenient, quæ ad vitam secuturam fuerint accommodatæ,

17 2. de Repub.

datæ, cujusmodi sunt Æsopi, & nonnullæ Poëtarum honestiores.

Jam verò, quia juxta Philosophum ad septimum usque annum alere & retinere liberos in ædibus paternis necesse est, 18 ubi & servi & ancillæ sint servilibus operis occupati, ideo nullo modo permittent parentes liberos suos hac præcipuè ætate frequenter cum hominibus illiberalibus versari. Pueri enim cum sint cera mollis, facillime recipiunt in se similitudinem earum rerum, quas vident vel audiunt. Si ergo sæpe videant servilia, & ingenuo homine minimè digna, inclinationem quandam ad ea nanciscentur, iisque oblectabuntur, ac tandem adulti facti ad ea occultè quasi delabentur, ita ut ægrè divelli postea ab iis possint, juxta illud quod dicitur: Quod nova testa capit inveterata sapit.

18 Polit. lib. 7. cap. 17.

Adhæc, non aspiciant pueri turpium rerum picturas, aut actus deformes, quibus datur ansa ad ejusdem generis cogitationes. Pulchre Juvenalis:

Nil fœdum dictu visuve ea limina tangat,
Intra quæ puer est. 19

19 Satyr. 14.

Denique non sint spectatores comœdiarum, in quibus personæ inhonestæ de amoribus, & rebus frivolis agentes, introducuntur. Idem enim est hic, quod & in aspectu lascivarum imaginum, periculum. Et juxta Philosophum, omnium prima nos magis delectant. 20

20 Sæpe cit. lib. & cap.

§. III.

De Institutione Pueritiæ.

PUeritiam, quæ puerorum ætas vocatur, determinant Jureconsulti secundo septennio in maribus, sexennio in fœminis. 1 Tam vero hæc ætas, quàm illa, nempe infantia, pupillaris ætas esse dicitur, & qui ejus sunt ætatis dicuntur impuberes. Aristoteles duas statuit ætates, in quas necessarium est disciplinas dividere, unam post septimum annum usque ad pubertatem, alteram à pubertate usque ad annum vigesimum primum. 2 Secundum quam divisionem & mihi agendum est.

1 Georg. Schönborn. Polit. lib. 1. de educ.

2 Lib. 7. Polit cap. ult.

Finita ergo anno septimo infantia pueri sunt idonei ad artes discendas, ad quas non violenter sunt cogendi, sed leniter &

veluti ludendo blandis modis alliciendi, ut non attracti ad Musas, sed adducti esse videantur. Nimiis etiam studiorum laboribus, nequaquam sunt fatigandi alioqui laboribus præmaturis oppressi, facilè corruent, minus mansuetè doctrinas percipient, atque adeo tædio earum afficientur. Imitandi sunt hac in re prudentes hortulani, qui plantas modicis affundunt aquis, multis non suffocant. Equi etiam non statim ab initio magnis laboribus onerantur, sed primo demulcentur, ut sessorem ferre patiantur, ac discant, deinde ut mediocria paulatim portent onera, adeo ut per ipsam consuetudinem postea quidvis sine molestia sustineant. Quo artificii genere etiam pueros à parentibus, ad literas & artes assuefaciendos esse docet Oeconimica prudentia.

Cum literis (eleganter docet Andreas Iricius. 3) illis simul parentes filios suos institutis & præceptis erudiant, ut ipsi à teneris annis noscere incipiant, quid honestum, quid turpe sit, quid expetendum, quid fugiendum: A voluptatibus, in quarum regno virtus consistere nequit, eos maximè arceant: Cibi & potus mediocritatem eis præscribant: Ad frigus & æstum tolerandum, lectique duritiem (modo ne quid viribus ac bonę corporis habitudini incommodet, cujus curam geri oportet, ut animus bene habeat, sitque magis perspicax) illos assuefaciant: hominum malorum consuetudine eis interdicant: dicta & actiones eorum omnes, ad decus, justitiam, lenitatem, mansuetudinem, & humanitatem forment: Turpitudinem autem, injuriam, iram, invidiam, fastum, luxum, & immanitatem, eos fugere jubeant, & quantum à rerum turpitudine, tantum à verborum improbitate eos cohibeant, rationem etiam dictorum & actionum ab eis exigant, atque ut ad omnem virtutis partem eis aditum patefaciant, non tantùm ab actionibus vitiosis, verbis turpibus, sed à cogitationibus quoque rerum malarum, eos quam maximè remotos esse velint. Quod non alia ratione commodius efficient, quam otii interdictione. Videant ergo parentes, ne pueri otiosi primos transigant annos: curent ut semper faciant aliquid, atque etiam pensum laboris ab eis exigant. Segnitiem ac inertiam eorum verbis castigent, ab officio verò procul discedentes, ferula feriant. *Noli,* inquit Salomon rex sapientissimus, *subtrahere à puero disciplinam, si percusseris eum virga*

3 Lib. 1. de Moribus, cap. 6.

virga non morietur. Tu percutis eum, & animam ejus de inferno liberas. Jam quid aliis præstare pueri debeant docendi sunt, quid parentibus, quid civibus, quid reipublicæ? Quibus rationibus societatem cum hominibus & concordiam tueantur, quomodo se gerant adversus superiores, inferiores, pares: adversus socios, amicos, cognatos, & agnatos: adversus notos, & ignotos, cives, & peregrinos: adversus magistratus, dominos, servos: tum etjam adversus hostes & inimicos, idque privatis & publicis in rebus. Omnium autem maximè interest teneram ætatem imbui religione Dei immortalis, ut sciat, à quo omne bonum expectandum sit, cujus nutu omnia gerantur, qui sit vindex malorum, remunerator bonorum. Itaque ad ædes & conciones sacras adducenda est, ut ritus & ceremonias cognoscat, sacramenta veneretur, precibus vacet, atque iis rebus studeat, quibus & summi Dei gratiam demereatur, & hominibus placeat. Hæc ille. Quæ quamvis exactissimè sunt observanda, per ea tamen liberales puerorum ludi & remissiones nequaquam prohibentur, quibus illi & ad studia & ad virtutes magis redduntur alacres.

Porro cum ista fieri non possint, nisi pueri sint semper sub oculis eorum, quos revereantur, ideo parentes qui non possunt ipsi liberos suos custodire, pædagogum illis præficiant. Qualis autem debeat esse pædagogus docet Plutarchus 4 & Ravisius, qui cuidam amico filios rectè instituere cupienti sic scribit: Compara tibi præceptorem sanctissimum, cujus sanctitas teneriores ab injuria tueatur, provectiores à licentia deterreat gravitas: neque enim, si me audis, eorum doctrinæ magis quam moribus consulas: absit enim studiis magis quam virtuti scholas prodesse. Secus enim benevivendi ratio potius esset eligenda, quam vel optimè dicendi. Laboribus sunt paulatim assuefaciendi, non tamen pondere, cui superesse nequeant, opprimendi. Si delinquant, si mendacii convincantur, si jugum detrectent, si vel tantillum quidem remurmuraverint, aut muginentur, acerrimè vapulent, neque prius parcatur flagellis, aut animadversioni temperetur, quam & arrogantia cognoscatur emollita, & tranquilliores oleo aut pepone molliores sint. Quod si lenociniis verborum iram præceptorum velint exarmare, adulabilis eorum sermo omnino dandus erit ventis. Ante omnia cavendum

4 Lib. de educ. puer.

dum puto maximè, ne eorum delictis conniveant, neu consultò dissimulent errata, ubi palam sceleris comperti fuerint. Si benefecerint, laus eorum quandoque non est supprimenda, ut laudati acrius solito virtuti dent operam. 5 Ex his satis intelligi potest, quodnam sit probi ac diligentis pædagogi officium, qui quamvis diligentissimus fuerit, diligentior adhuc fiet, si ipse parens pædagogus pędagogi esse voluerit, frequenter inspiciendo, quomodo se gerat ipse pædagogus, quomodo pueros instruat, & quomodo illi in artibus & virtutibus proficiant.

5 Epist. 23.

Movent hoc loco Politici quæstionem: Utrum melius sit privatim pueros erudire, an vero ad publicas scholas ducere? quam quia in alio meo libello copiosius discussi, hic breviter, privatæ institutioni publicas scholas præstare dico. Sunt enim illæ, amœnissimi quidam reipublicæ horti, in quibus pueri veluti speciosæ plantæ, diligentiori, tutiori, & digniori cura atque custodia educantur. Excitatur etiam in illis & attollitur ad altiora animus juxta illud:

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,
Si quos præcedat, quosque sequatur habet.

Sine æmulis autem, aut languent ingenia, aut falsa opinione tumescunt. Necesse enim (ut ait Quintilianus) sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. 6 Adde quod qui iisdem studiis initiantur, ad senectutem usque firmissimas colunt amicitias. 7

6 Instit. Orat. C. p. 3.
7 Ibidem.

§. IV.

De Institutione Adolescentiæ.

POst pupillarem ætatem sequitur adolescentia, quæ circumscribitur jure civili ab anno decimo quarto ad annum vigesimum quintum, Jure Saxonico ad annum vigesimum primum in maribus. Nam in fœminis anno duodecimo completo pueritià finitur. Tullius eam florem ætatis appellavit, 1 quam non male quoque vitæ aut senectutis appellavisset. Sed parum de vocabulo. Certum est eam vicinam esse lapsibus, quia variarum æstu cupiditatum fervore calentis inflammatur ætatis. 2 Eleganter more suo Poëta:

1 In Topicis.
2 S. Ambrosius de viduis lib. 1.

Juvenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa vigent. 3

3 Fast. lib. 5.

Et alter:

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis cupidusque, & amata relinquere pernix. 4

4 Horat. in Art. Poët.

Quantò autem magis ista ætas lapsibus est obnoxia, tanto majori cura indiget. Quare & illa, quæ pueritiæ præscripsimus, ipsi quoque maxima ex parte præscribimus, & alia plura à scriptoribus præcipiuntur. Ante omnia autem curandum est, ut adolescentes nunquam sint otiosi, sed semper honestis studiis atque artibus occupentur. Quia verò fieri non potest, ut unusquisque omnes disciplinas atque artes, propter artium longitudinem, & vitæ brevitatem sciat, ideo explorandum est uniuscujusque adolescentis ingenium, atque in eo instituendum, ad quod magis propendet. Nihil enim bene fit (ut dicitur) invitâ Minerva, & coacta ingenia male respondent. Si quis tamen illustris propagine immemor sanguinis ad sordida opificia animum adjiceret, omnino abstrahi debet, atque ad ea etiam invitus applicari, ad quæ genus invitat.

5 Polit. lib. 8. cap. 2.

Porro studia adolescentiæ secundum Philosophum, 5 alia sunt honesta, necessaria, & utilia, alia verò jucunda tantùm. Illorum quidem (nam de illis maximè agere necesse est) alia sunt utilia & necessaria, tam pacis, quam belli tempore, ut sunt literę humaniores, quibus omnes imbui debere pro personarum conditione, docet etiam Plato, 6 ita tamen ut quibusdam artibus ex his non perpetuo adhæreant, aut se penitus illis mancipent: Alia autem utilia magis belli tempore, ut sunt exercitia gymnastica, ad quorum unum non est necesse ut omnes assuescant, sed ut in eo, ad quod natura cujusque quemlibet ultro ducit, quodque sibi quisque, tanquam finem elegit, diligentius versetur, ac magis magisque sese exerceat, ut hac ratione familia & civitas utroque tempore, tam pacis scilicet quam belli, rectè se habeat.

6 De leg.

In his explicandis, ut via & ratione procedamus, Philosophi divisionem observabimus, qui studia juventutis, literis, Gymnastica, Musica, & figurandi peritia definivit. 7 De quibus ordine agendum est, & inprimis.

7 Polit. lib. 8. cap. 3.

§. V.

§. V.

De Literis.

QUanta ſit literarum dignitas, neceſſitas, atque utilitas, ſatis à plurimis diſputatum invenio. Dubium non eſt, magnam illis partem tam privatæ quam publicæ felicitatis contineri. Ad privatum uniuſcujuſque bonum pertinere eas judicavit ante alios Thales, qui interrogatus, quiſnam eſſet felix, eum reſpondit, qui corpore ſanus eſt, animo vero eruditus. 8 Democritus vero dicere ſolebat, diſciplinam & eruditionem, fortunatis quidem ornamentum, infortunatis autem refugium eſſe. 9 Auro quoque eaſdem comparabat, quod ubivis terrarum in maximo ſolet eſſe pretio. 10 In qua ſententia cum Nero quoque fuiſſet, poſt quam ei à Mathematicis fuit prædictum, fore ut aliquando dejiceretur imperio, hunc verſiculum identidem uſurpabat,

Terra quævis artem alit,

putans ſe tantùm profeciſſe bonis literis, ut etiamſi ab imperio detruderetur, in quavis regione ob inſignem ſcientiam poſſit haberi in pretio. 11 At Ariſtippus etiam auro præferre ſcientiam literarum non dubitavit. Dicebat enim, ſatius eſſe fieri mendicum, quam indoctum, quod ille tantum pecuniis egeat, hic humanitate. Nihilominus homo eſt, cui deeſt pecunia, at homo non eſt, cui deeſt eruditio. Et tamen cui deeſt pecunia petit ab obviis: cui deeſt ſapientia, nullum ſolicitat ut accipiat. 12 Quin etiam magni nominis Philoſophi, homines literarum ignaros parùm à brutis animantibus, atque etiam ipſis ſaxis abeſſe exiſtimarunt. Cleanthes enim homines imperitos ſola forma à beſtiis diſtare affirmabat. Stilpo autem Philoſophus, doctrinæ expertes, durius quid ſtatuâ eſſe judicabat. Sicut & Bion, qui cum intellexiſſet quendam ex familiaribus ſuis ſtudioſe curare, ut imago ipſius ſimilis fieret: Tu inquit ut tibi ſimilis lapis fieret curaſti, at ipſe ne lapidi ſimilis fias, non curas.

8 Laërt. lib 1. cap. 1.

9 Anton. in Meliſſ. ſer. 50.

10 Stob.

11 Sueton. in ejus vita.

12 Laërt. lib. 2. cap. 8.

Ex his facile eſt dijudicare, quantùm etiam ad publicum bonum eædem literæ conferant, quandoquidem illud ex bono ſingulorum conſurgit. Ut non commemorem multa, religio, in qua nititur prima & ultima cujuſque reipublicæ ſalus, juſtitia,

libertas, virtutum, omniumque rerum laudandarum exempla, literis magna ex parte debent suam incolumitatem. Testis est sacra scriptura, testes & sacri pariterque profani scriptores.

Quamvis autem literæ veram apud omnes laudem mereantur, abusus tamen illarum non debet non reprehendi. Multi in eo sunt errore, ut in literarum studio, tanquam summo & ultimo vitæ mortalis fine quiescant, in eoque totam vitam conterant, parum de virtute solliciti. Falso aliquando objecerat Fe-
13 Act. 26. stus gentium Doctori ex literis insaniam. 13 Sed his sæculis multi reperiuntur, quos multæ literæ ad insaniam convertunt, ut & sanctus Augustinus temporibus suis notavit, multos sciendi desiderio sensum amisisse. Existimant illi, multum se boni ecclesiæ suis studiis præstare: at ecclesia (ut non indocti homines observarunt) nunquam meliùs habuit, securiusque quievit, quam dum in scientiis modum homines habuêre. Postquam verò auctorum numerus, & sententiarum opinionumque acuta novitas invaluerunt, turbata est ecclesiæ tranquillitas, & novæ hæreses consurrexerunt. Neque verò ullum est hominum genus, suscipiendæ catholicæ doctrinæ & ecclesiasticæ obedientiæ disciplinæque minus idoneum, quàm qui scientiarum opinionibus tument. Hi enim tam pertinaces & obstinati in suis opinionibus sunt, ut Spiritui sancto nullum locum relinquant, ac propriis viribus, proprioque ingenio sic innituntur, atque confidunt, ut nulli veritati cedant, nisi quam syllogisticis rationibus possunt ostendere, quæ autem propriis viribus & industria investigare aut intelligere nequeunt, rident, atque aspernantur: Ideoque Christus abscondit lucem & veritatem suam ab hujusmodi sapientibus, & revelat eam parvulis & pauperibus spiritu. Hos non ego sed ipse monet Apostolus, ut non plus sapiant, quàm oportet sapere, sed sapiant ad sobrie-
14 Rom 12. tatem. 14

Est & aliud genus literis peccantium, eorum videlicet, qui maxima diligentia discunt supervacua & inania, in quos dici potest illud Senecæ: *Magno temporis impendio quærunt supervacua,*
15 Ad Lucilium Epist. 45. *& multi transierunt vitam, dum vitæ instrumenta conquirunt.* 15 Possem id per omnes liberales artes eundo demonstrare, sed ne nimius sim, in unâ vel alterâ exempla quædam adducam. In Theologiam multæ curiosæ, multæ inutiles & superfluæ quæstiones

ſtiones irrepſerunt. Nam quid neceſſe eſt quærere: Utrum DEus Pater, aut Spiritus ſanctus potuit incarnari: Utrum Chriſtus veniſſet, ſi homo lapſus non fuiſſet: Sive enim hoc ſive illud dixeris, dogma Catholicum nec oppugnabis, nec defendes. Ejuſdem generis ſunt & illæ controverſiæ: Utrum Verbum Divinum, ſicut aſſumpſit naturam humanam, ita etiam potuit aliam naturam irrationalem, aut etiam inſenſitivam, leonis verbi gratia, plantæ, lapidis, aſſumpſiſſe? Item an Chriſtus in utero Beatiſſimæ Virginis Matris ſuæ ſecundis fuerit obvolutus, cum iiſque ex utero prodierit: Denique (ut alias taceam) Quomodo angeli res intelligunt, quomodo inter ſe loquuntur, quomodo moventur: utrum non poſſit illorum intellectus, etiamſi maxime velint, liber eſſe à continua cognitione: utrum à ſeipſis, an per ſpecies (ut vocant) intelligunt: utrum in loquendo, dum unus uni loquitur, ab altero non audiatur: utrum ſua ſecreta poteſt occultare: Utrum, dum de loco ad locum tranſit, non ſit illi neceſſe viam ſui volatus, & medium (ut loquuntur) localis motus habere? Sunt præterea nonnulli, qui arcana etiam Dei ignorare nolunt. Quaſi parum ſit dare operam ut ſalvus fias, quanquam illa neſcias, quæ DEus voluit neſciri. Diſputando autem nec fortaſſe illi placeas, & plurimos neceſſe eſt offendas. Accedit huc, quod nulla ratione magis veritas involvitur, quàm quâ plerique eam quærunt. 16

16 Epiſt. ad Irinerium.

In Jurisprudentia ſimiles ineptias quis non videt? A multis quæritur, cur primus Romanorum Princeps Cæſarem ſe vocavit? an quod, ex utero mortuæ matris exciſus, an vero quia cum cæſariè ſtatim natus eſt? an denique quod oculos cæſios habuerit, aut quod elephantum in prælio occiderit? Ulterius: An ideo Juſtinianus Flavium ſe appellavit, quod Flavios populos devicerit, an vero quod flavos capillos habuerit? an denique quod fuerit ex Flaviorum familia? Ad extremum. Quare idem Juſtinianus vocatur Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Vandalicus, Alanicus, Africanus, Victor, Triumphator & Auguſtus. Et de his quidem in ipſo veſtibulo diſputant Jurisprudenti, circa canones verò & leges, quę corpore juris continentur, infinitas movent quæſtiones, quę non magis ad juſtitiam pertinent, quam falx ad convivium, aut calvities ad tempeſtates.

Jam ſicut pro aris & focis dimicant inter ſe Philoſophi pro opinionibus, in quibus ſive hoc ſive illud aſſeras, nihil prorſus intereſt. Quid enim refert decem potius eſſe Prædicamenta quam duo, aut etiam unum? & univoca potiùs quam æquivoca? Item *Modos* potius quàm *formalitates, partes* in continuo, *quam atomos*? Quid item juvat, in *Præſentia ubi* à re ubicata diſtinguere? formas in homine verbi gratia mortuo partiales magis quam *cadavereitatem* credere? In generatione, reſolutionem uſque ad *materiam primam*, non concedere. Et tamen circa hæc, & his ſimilia, dimidium temporis Philoſophico ſtudio conſecratis conſumitur. Miror homines ſapientes circa inutilia tam curioſos eſſe, & non ſolum de iis, quæ in rerum natura videntur, ſed etiam de figmentis cogitationum ſuarum digladiari, atque de iis rebus, quæ nullis principiis firmantur. Nec ego ſolus iſta miror, ſed Romanus etiam ſapiens miratur præteritorum ſæculorum in Philoſophis circa ſuperflua diligentiam. *Inveniſſent* inquit *forſitan neceſſaria, niſi & ſuperflua quæſiſſent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captioſæ diſputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam ſignificationem verbis alligamus, deinde diſſolvimus.* 17 Et alibi. *Tu mihi* inquit *verba diſtorques, & ſyllabas digeris. Scilicet niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa à vero naſcens mendacium adſtrinxero, non potero a fugiendis petenda ſecernere. Pudet me: in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſolvere, quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa collectio: Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergò caſeum non rodit. O pueriles ineptiæ! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt quod triſtes docemus & allidi.* 18 Tandem jacturam temporis dolens dicit: *Indignor aliquos ex hoc tempore (quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etjamſi cuſtoditum diligentiſſime fuerit) in ſupervacua majorem partem erogare. Negat Cicero, ſi duplicetur ſibi ætas, habiturum ſe tempus, quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Triſtius inepti ſunt illi, ex profeſſo laſciviunt: hi agere ſeipſos aliquid exiſtimant. Nec ego nego proſpicienda iſta: ſed proſpicienda tantum, & à limine ſalutanda, in hoc unum,*

17 Senec. ad Lucilium Epiſt. 54.

18 Idem Epiſt. 48.

unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni judicemus. Quid te torques & maceras in ea quæſtione, quam ſubtilius eſt contempſiſſe quàm ſolvere? Securi eſt & ex commodo migrantis minuta conquirere. Cum hoſtis inſtat à tergo, & movere juſſus eſt miles, excutit neceſſitas, quicquid pax otioſa collegerat. Non vacat mihi verba cadentia conſectari, & vafritiam in illis meam experiri.

Adſpice qui coëant populi, quæ mœnia clauſis
Ferrum acuant portis

Magno mihi animo ſtrepitus iſte belli circumſonantis exaudiendus eſt. Demens omnibus merito viderer, ſi cum ſaxa in munimentum murorum ſenes fœminæque congererent, cum juventus intra portas armata ſignum eruptionis expectaret, aut poſceret, cum hoſtilia in portis tela vibrarent, & ipſum ſolum ſuffoſſionibus & cuniculis tremeret, ſederem otioſus, & ejuſmodi quæſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti habes: cornua autem non perdidiſti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum hujus acutæ delirationis concinnata. Atqui æquè licet demens tibi videar, ſi iſtis impendero operam, & nunc obſideor. Tunc tamen periculum mihi obſeſſo externum immineret, murus me ab hoſte ſecerneret, nunc mortifera mecum ſunt. Non vaco ad iſtas ineptias, ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? Mors me ſequitur, fugit vita, adverſus hæc me doce aliquid. &c. Hæc Seneca. 19 Lacedæmonii vero, qui ſeveriores erant, ac moribus incorruptis, bellique gloriam potiſſimum ſpectabant, contemnebant omnes artes, quæ civium animos videbantur effœminare, & à vera virtute ad otioſam oſtentationem traducere. Roma quoque cum adhuc ſpiraret germanam illam auſteritatem, Græculos profeſſores urbe exegit. Hoc genus ſtudiis nulla Græciæ pars corruptior erat, quàm Attica, ubi Georgias, Lyſias, Iſocrates, Prodicus, aliique innumeri Sophiſtæ, magno cum applauſu populi, nec mediocri mercede garriebant. 20 Contra ut dixi Lacedæmonii hujuſmodi artes nihili faciebant, apud quos cum hoſpes quidam, quum ipſi ſtanti interim altero pede crepida in alterum indueretur, dixit cuidam: Non arbitror te Lacon tantum temporis uni pede poſſe inſiſtere, quantum ego poſſum. Lacedæmonius excipiens: Fateor inquit, attamen nullus eſt anſerum, qui iſtud non poſſit. Jure deriſit hominem, qui longo uſu didiciſſet artem, quę nihil utilitatis adfert reipublicæ. 21

19 Epiſt. 49.

20 Plut. Eraſm. in Apoph.

21 Plut. in laconicis.

Atque hæc non ideo attuli, ut ea omnia ab omnibus velim ignorari,

ignorari. Nam & Seneca prospicienda ea, atque à limine esse salutanda censet, ne verba nobis dentur, magnique aliquid inesse illis suspicemur, & ego scientiarum professoribus utilia esse judico: sed ideo, ut non multum illis animi temporisque tribuant, ii præsertim, quos alia vocant, & (ut Senecæ verbis loquar) tamdiu tantum illis immorentur, quamdiu nihil animus agere majus potest: rudimentaque sint, non opera. 22

Vide Arist. Polit. lib. 8. cap. 2.

22 Ad Lucil. Epist. 88.

§. VI.

De Gymnastica.

Gymnastica disciplina omnes motus corporis graviores complectitur, ut sunt ars pugillatoria, jaculatoria, quæ fit vel bombardis, vel funda, vel arcubus & sagittis, vel hastis missibilibus, & ad certum fixumque locum collimando, vel ad certum intervallum saxa à se projiciendo. Quæ omnia teste Philosopho ad sanitatem & robur sunt utilia, 1 & sunt veluti præludia quædam virtutis bellicæ, usitata non tantùm Græcis & aliis gentibus (ut omnes historiæ testantur) sed etiam Romanis, de quibus Seneca: *Iuventutem* inquit *majores nostri rectam exercitaverunt, hastilia jacere, sudem torquere, equum agtiare, arma tractare. Nihil liberos suos docebant, quod discendum esset jacentibus.* 2

1 Polit. lib. 8. cap. 3.

2 Ad Lucil. Epist. 88.

Ad hanc tamen solam disciplinam non omnes adolescentes sunt assuefaciendi, ut recte monet Philosophus, qui dicit non rectè facere eos, nec reipublicæ rectè consulere, qui in Gymnastica tantùm instituunt ab ipsa statim pueritia liberos, non considerantes interim deformari corpora puerorum, & augmentationem illorum impediri, si à teneris annis ad has exercitationes cogantur. Verba Philosophi referam. *Qui* inquit *adolescentes in hæc nimium tradunt, & in necessariis absque disciplina dimittunt, vere illos sordidos reddunt. Ad unum enim opus reipublicæ utiles faciunt: & illud ipsum deterius, ut ratio ostendit.* Et paulo inferius. *Vsque ad pubertatem* inquit *leviores exercitationes sunt adhibendæ, absque victu illo violento, & laboribus coactis, ne corpora crescere impediantur. Signum erit non parvum, quod ita contingat, quia inter eos, qui Olympia vicerunt, duo vel tres tantum reperiuntur, qui iidem adolescentes & viri sint victoriam consecuti, propterea, quod per exercita-*

tiones pueris adhibitas, sublata sit vis ac robur à violentis laboribus. Post pubertatem verò, cum annis tribus ad alia perdiscenda intenderint, tunc congruit & laboribus & victu necessario illos occupare. Nam simul mente & corpore laborare non oportet, cum se invicem impedire nata sint, labor quidem corporis mentem, mentis autem corpus. 3

3 Polit. lib. 8. cap. 4.

Cæterum quamvis prædictæ exercitationes teste eodem (ut paulo ante dixi) Philosopho, conferant ad fortitudinem, tamen hæc fortitudo belluina & leonina potiùs est, quàm humana, si ei disciplina liberalis & artes non simul adjungantur, ut exemplo Laconum & aliarum gentium demonstrat Philosophus. Unde consultum est, ut non omnes (quod dixi) in his exerceantur, sed ii duntaxat, qui singulariter ad ea per naturam propendere videntur. Illi autem qui liberales artes addiscere debent, hisce palæstris aut omnino abstineant, aut multo moderatiùs, quam cæteri, dent operam.

Huc spectant aliarum quoque exercitationum genera, inprimis Deambulatio, & Cursus. Amasis rex Ægyptiorum populis suis mandaverat, ne prius cibum juvenes caperent, quam centum & octoginta stadia percurrissent. 4 Augustus & Adrianus imperatores in castris quoque exercere se milites ambulando voluerunt. Et meritò. Nam ambulatio & cursus, præterquam quod ad sanitatem conducant, faciunt ut majori impetu in hostem juniores procurrant, ut loca opportuna celeriter cum usus advenerit occupent, vel etiam ante occupent, cum idem adversarius facere voluerit, ut ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant, ut fugientium terga facilius comprehendant. 5

4 Diodorus Siculus. lib 1.

5 Plat. de leg. Vegetius de re milit. lib. 1. cap. 9.

Post cursum saltus utile admodum est exercitium, quo vel fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur, & in ipso conflictu bellator cum saltu veniens, adversarii oculos perstringit, mentem deterret, prius plagam infligit, quam ad cavendum, vel resistendum ille sese præparet. 6

6 Mercurialis lib. 2. cap. 11.

Denique ut alia omittam, exercitatio natandi summè adolescentibus debet esse commendata: quia non ut animalibus aliis, natandi usus à natura est datus, sed disciplina percipitur, & usu. Alexander Macedo, cum aliquando trajiciendum flumen esset cum exercitu: O me inquit deterrimum, qui nunquam natare didicerim! Et sanè sæpe exerci-

tium hoc à periculis homines liberat, ad audendum animosos reddit. Nec semper pontibus flumen transiri potest: frequenter exercitus natare cogitur, sæpe repentinis imbribus vel nivibus exundare torrentes solent. Sed & valetudini prodest natatio, quia in hac totum corpus movetur, & laborat, exinaniuntur salubriter ardores & temperantur. Nec temere proverbio inutilis & stupidus ille judicatur, qui nec natare novit, nec literas didicit. 7

7 Vegetius lib. 1. cap. 10. Galen. lib 1. ad Glarionem cap. 7. Methodi Plat in Gorgia.

§. VII.

De Musica.

MUsicam veteres inter liberales disciplinas collocaverant, ex eo, quòd (ut acute Philosophus advertit) natura quærat, non solum in negotio rectè, verùm etiam in otio laudabiliter posse versari. 1 Ad quorum utrumque studium Musicæ utile est. Tempore Aristotelis dignitas studii istius in dubium fuit vocata, quia plurimi solius voluptatis gratia discebant. 2 Ipse vero Aristoteles non facile dicit esse demonstrare, quam illa potentiam habeat, aut cujus gratia illam adipisci oporteat, utrum solatii causa, & quietis, quemadmodum somnus & potus. Nam & hæc per seipsa non sunt honesta, sed jucunda, & simul cessare curas faciunt, ut inquit Euripides. Quapropter instituunt in illa, & utuntur cunctis istis similiter, somno, potu, & Musica. In his quoque saltationem posuerunt. 3

1 Polit. lib. 8. cap. 3.

2 Ibidem.

3 Polit. lib. 8. cap. 5.

Quærit præterea idem Philosophus, utrum Musica sit in joco reponenda, vel non: & quid potest efficere de his tribus in dubitatione propositis, utrum disciplinam, an solatium, an rationem otii degendi? Et respondet, rationabiliter quidem ad omnia instituti, & videri omnium participem. Nam & jocus gratia requietis est, ac requietem necesse est jocundam esse, est enim medicina molestiæ illius, quæ per labores suscipitur: & ratio degendi otii non solum honestatem habere debet, verum etiam voluptatem: fœlicitas enim ex ambabus istis est. Musicam verò omnes fatemur esse ex jocundissimis, sive nuda sit, sive cum modulatione. Inquit profecto & Musæus, carmen dulcissimam rem esse mortalibus. Quapropter & ad cœtus familiarum, & ad

ad vitam in otio degendam rationabiliter illam recipiunt, ut potentem lætitiam afferre. Unde & ex hoc quis intelligat, illam pueris esse perdiscendam. Quæcunque enim jocunda sunt, atque eadem innocua, non solum congruunt ad finem, verùm etiam ad quietem. 4 Hæc Aristotelis sunt de Musica. Jam quę sequuntur ex Cicerone excerpsi. Liberalibus ergo percipiendis artibus sine controversia Musices necessaria cognitio est, quando orationi cunctę sunt obnoxię. Sed quid ego disciplinis commodam esse commemorem? cum laborum etiam quies vel opportunissima sit, & quod contrarium huic est, ad labores armaque capessenda, vel quemvis summum subeundum laborem incitamentum sit, unde classici in bello consonant, & tympana remugiunt; quę omnia sunt ad pugnam hortamenta, jam pridem utilissime opportunissimeque inventa. Sic & nautę, sic vinitores, sic viatores, sic denique alicui labori alligati, omnes cantus unicum solamen invenerunt. Infantes quoque pueri hanc suavitatem non aspernantur, nutricisque cantu à fletu cessant, atque conticescunt. Sonitu aliquo jubet experrectos statim è cubili exsurgentes ad aliquod subeundum munus Pythagoras accendi: sensus namque ita vegetiores viridesque fieri, & consopitam mentem exacui. Morum quoque exempla mala ut suscitare ita refringi arte Musica posse nos priscę docuerunt historię, ipso nos ita docente cum reliquis Cicerone. Sed ut aliqua similitudine adductus maximis minima conferam: ut cum vinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu (ut fit) instincti, pudicę mulieris fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut Spondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum, & gravitate canentis, illorum furentem petulantiam consedisse. Inde propter mollitiem, quod nimirum animos effœminaret, Chromaticum creditur repudiatum pridem fuisse genus, quod adolescentum remollescerent eo genere animi. Ob eandem vim, quę est in Musica, castitatem tuendi, Phemius Demodoci frater ab Ulysse Penelope uxori custos datus esse fingitur, qui teste Homero coactus apud procos canebat, non turpes fabulas, sed miserabilem Græcorum reditum à Troia. Coactus autem canebat, quia non ut procos oblectaret, sed ut Penelopen custodiret, in Ithaca ab Ulysse relictus erat. 5

4 Polit. lib. 8. cap. 5.

5 Eustat. in 3. Odyss. & Suid.

Parem virtutem ad temperantiam quoque servandam Musicę inesse antiqui crediderunt, qui & moribus & legibus constituerant, ut deorum immortalium hymni in conviviis canerentur, ad temperantiam honestatemque retinendam. Nam cum cantilenæ concinnæ essent, deorumque accederet metus, uniuscujusque mores facile componi posse videbantur. 6

6 Athen. lib. 14. cap. 11.

Porro quod immanes quoque feræ cantu mitigentur, quin & æquè nonnullę cantu subsultent,, notius est ex historiis, quàm ut à me nunc referatur. Theophrastus quoque Eressius memorię prodidit, quarundam viperarum morsibus cantus tibiarum aut fidicinum, atque alia organa artis Musicę modulatè adhibita, aptissimè mederi. 7 Nolo hic infinita commemorare exempla, ex quibus constat, maximam Musicæ vim in animos atque corpora nostra esse: unum tamen nequaquam mihi prætereundum esse videtur. Apud Ericum secundum, cognomine Bonum, Daniæ regem, citharœdus quidam de sua arte disserere cœpit, suo cantu, homines ad furorem amentiamque pertrahi posse jactitans. Rex rei novitate motus, specimen professionis edere jussit. Annuit ille: at ne qua nocendi hominibus ansa daretur, jussit prius omnis generis arma efferri, & certis in locis collocari custodes, qui cognito vesanorum spiritu irrumperent, ereptamque citharam capiti illiderent, ne & ipsi in rabiem agerentur, reliquos à mutuis verberibus arcerent. Primo quidem inusitatæ severitatis concentum edidit, quo auditores in mœrorem stuporemque sunt versi: Deinde adeo suavem & jucundam harmoniam, ut mutato animo gaudium etiam externis gestibus, & motu totius corporis proderent. Tandem vero acrioribus modulis concitari, vociferari, & tumultuari cœperunt. Custodes irrumpunt, ut regem cum aliis furentem contineant: Sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense, quatuor transfodit. Vix tandem pulvinarium mole undique congestorum obrutus, contineri potuit. Menti restitutus, Hierosolymam expiandorum homicidiorum causa petens, Heraldo fratre regni procuratore relicto, in Cypro defunctus est, atque ibidem cum conjuge sepultus. 8 Fabulas esse crederem, nisi è sacris literis constaret, etiam Propheticum spiritum per Musicam posse aliquomodo excitari, & malos spiritus ab hominibus abigi. Primum innuit exemplum Joram regis Israelitarum, qui dum cum Josaphat

7 Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 17.

8 Saxo. lib. 12. Daniæ.

phat Judæorum rege, contra Moabitas exercitum ducens, per deserta Idumeæ septem diebus aquâ destitutus miserè affligeretur, Elisæum vatem consuluit. Elisæus psaltem sibi canere jussit, cujus cantu excitus, victoriam regi contra Moabitas denunciavit, & postero die copiosissimam ex Idumæorum regione aquam affluxuram. 9 Alterum verò perspicuum fecit David, ad Saul regem Judæorum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus, ut cantu demulceret æstuantem mentis furorem, qui quoties Saul in morbum incidebat, stans ad caput ejus, sacrosque hymnos voce & fidibus canens, ad sanam mentem reducebat furentem. 10

9 4. Regum 3.

10 Joseph. lib. 6. c. 9. Antiq. Jud. ex 1. Reg. 6.

Ista omnia, & his similia infinita, incredibile est quantùm Musicam commendant. Summam in ea eruditionem & animorum institutionem longe pręclaram esse sitam, à Græcis semper fere creditum est. Hinc legimus Epaminondam, Græcię principem, fidibus præstantissimè cecinisse, Socratem, jam senem institui lyra non erubuisse: Themistoclem verò, quum aliquot annis ante in epulis recusasset lyram, habitum esse indoctiorem. Quin & artium veluti præstantissima, divinis se inseruit rebus, & quod testatum quoque Ptolomæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato etiam gentibus illam esse tributam putat ad præclarius quoddam præstantiusque opus, nec ideo à diis datam, ut ad delicias convertamus, & aurium pruritum, sed ut quod animæ consonantiam turbat, & harmoniam, hujusce voluptatis delinimento sedari, ac ad ordinem redigi valeat. Cæterum & gravissimè Pindarus: Quæcunque (ait) non amat Juppiter, vocem aversantur Pieridum. Contra regius vates, beatum esse dixit populum, qui scit jubilationem. 11

11 Psalm. 88.

Concludam elegantissimis Hieronymi Phaleti Savoniensis versiculis, quibus ille ita Musicam commendat.

Musica turbatas animas ægrumque dolorem
Solo levat merito, divumque hominumque voluptas,
Quâ sine nil jucundum animis, nec amabile quicquam,
Ad cujus numeros superi vertuntur, & orbis.
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaque tempora servant:
Hac Phœbus Phœbique soror duce & aurea cœli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

§. VIII.

De Figurandi Peritia.

CUm Musica in pari honore apud antiquos fuit & Pictura, figurandique peritia. Eo enim fuit in pretio, ut in artium liberalium gradum reciperetur, in eaque diligenter adolescentes exercerentur. Et certe præ se fert non mediocrem eruditionem, & commercium habet cum Oratoria & Poëtica, ideoque tacens Poësis, & contra Poësis loquens pictura appellatur. 1 Magni præterea ingenii est, rerum & animalium species sic mente concipere, ut penicillo exprimantur. 2 Confert & ad climata atque stadia mundi delineanda, ad loca castris idonea circumscribenda, ad aliosque salutares & legitimos usus.

1 Franc. Patric. de rep. lib. 1. cap. 10.
2 Melch. Jun. de liber. Inst. quæst. 55.

Sub figurandi peritia contineri potest & literas eleganter pingendi scientia, quę ut merito magni fit à prudentibus & elegantibus hominibus, ita à vanis atque superbis contemnitur. Vidi Monachii in bibliotheca P. P. Societatis Jesu scripturam elegantissima manu Maximiliani Ducis & Electoris Bavariæ, elegantissimè ductam, quam prædicti Patres merito tanquam rem sacram reverenter asservant. Illam ego vellem ut omnes viderent, quicunque in eo errore sunt, ut dedecus esse existiment, si illustres scitè pingant literas.

Atque hæc de exercitationibus, quibus Philosophus vult adolescentes occupari, sufficiant. Jam de aliis, quæ etiam adolescentibus graves scriptores præscribunt, videamus. Sunt autem, Linguarum scientia, Peregrinatio, Aula, & Artificia: de quibus itidem seorsum tractandum est.

§. IX.

De Linguarum scientia.

UT multis aliis rebus expetendis, ita & linguarum scientiæ, non desunt, quę objiciantur. Nam sunt, qui linguas errorum esse & hæresum seminarium dicant. 1 Qua fortassis opinione factum est, ut prohibitus fuerit usus linguarum cum extraneis, non solum à Gallis, sed etiam aliis, ob metum fraudis & proditionis. Carthaginenses proditi aliquando Dionysio, Senatus consulto

1 Lud. Vives. lib. 2. de Caus. corrupt. art.

consulto caverant, ne Carthaginensium quisquam literas Gręcas disceret. 2 Est & illud, quod cum peregrino sermone simul & peregrini mores addiscantur, unde postea externa & varia oriuntur judicia de rebus, & consilia ab instituta ratione reipublicæ aliena. 3 Iniquum etiam esse videtur, ut idioma, in quo nati sumus, contemnamus, & discamus atque ornemus alienum. Ad patriæ profectò decus atque gloriam facit, patrium sermonem propagare, eodemque peregrinis respondere, uti fecisse legimus Romanos & Italos, Hetruscam suam linguam excolentes, ex quibus erat ille Marius, qui ridiculum esse putavit, literas Græcas addiscere, quarum præceptores aliis servirent.

2 Cælius Rodig. lib. 21. Antiq. lect.

3 Plutarch. in vita Lycurgi.

Verùm propter ista non debet negligi, aut contemni linguarum studium, quod potentissimi populi, & homines maximi, in pretio habuerunt. Romani juventutem suam ad rempublicam præparabant, primo Hetruscæ, postea Græcę linguę scientia. 4 Rex Ponti Mithridates, duarum & viginti gentium quibus imperabat ore loquebatur. Peritissimus linguæ Græcæ fuit Augustus, uti & Carolus Magnus, qui legatos Græcos ipse audivit, illisque Græcè respondit. Ottho verò secundus Imperator, à Saracenis & Græcis captus, cum Græcè loqueretur pro Græco habitus evasit. 5 Unde merito in Aurea Bulla, per Carolum Quartum Imperatorem factâ, jubentur Electorum filii & successores discere Græcam, Latinam, & Illyricam linguam, quo cum multis gentibus sermonem communicare possint.

4 Dionys. Halic. lib. 4.

5 Aventinus lib. 5. Boiorum Anal.

Porro cum homo natura sit animal ad communionem atque societatem natum, idque non unius tantum anguli, sed totius mundi, dubitare debet nemo, linguarum peritiam, non utilem modo, verum etiam necessariam esse, sine qua nulla societas aut communio coiri potest. Non audio hic illos, qui per interpretes ista fieri posse existimant. Nam sæpe ejusmodi sunt negotia, ut non expediat, nec tutum sit, ea multis propalare. Et quamvis omnia negotia interpretem pati possent, adhuc tamen satius esset, propriâ quam vicariâ linguâ uti. Nam & interpretes non raro decipiunt, & homines magis eo sermone afficiuntur, qui illorum sensibus congenitus est. Denique & surdi sumus omnes in linguis, quas non intelligimus, 6 & donum linguarum, insigne est, & sancti Spiritus donum. 7

6 Cic Tuscul. 5.

7 Act. 2.

§. X.

§. X.

De Peregrinatione.

AD linguarum scientiam acquirendam utilis est valde peregrinatio, sicut & ad multa alia. Ante omnia ad morum emendationem. Nam alienis moribus & institutis perspectis, meliores redduntur homines, ut Anacharsis Scytha. 1 Nulla item Schola meliùs docet modestiam, frugalitatem, vigilantiam, & penuriæ tolerantiam, quam peregrinatio, in qua has artes optima magistra necessitas profitetur. Eadem experientia paratur & rerum usus. Secundùm enim proverbium, tuta est navigatio, quę ex aliorum periculis discitur. Et quemadmodum coralium, quo primum contigit auras tempore, durescit, mollis fuit herba sub undis: 2 ita qui domi, molliter & delicatè in sinu matrum, sine fructu vixerunt, melius conformant judicium, ac ad quævis subeunda apti redduntur. 3

1 Herodot. lib. 4.

2 Ovid. 15. Metam.

3 Melch. Jun. de liberor. Inst. quæst. 41.

Ad leges quoque ferendas & rempublicam capescendam prodest, multorum populorum leges & inusitata cognoscere: videre quænam reipublicæ forma quibus hominibus conveniat, quę sint consilia, consuetudines, ingenia atque mores hominum. 4

4 Plat. 11. de legib.

Denique maxima peregrinationis utilitas in eruditione & doctrina paranda percipitur, quia brevi tempore acquiritur, quod difficulter alii legendo assequuntur. 5 Est conversatio cum doctis ac sapientibus utilis cumprimis ac jucunda. Nulla enim res est, quæ magis animos honestos imbuit, dubios & in pravum inclinantes ad rectam invocat viam, quàm bonorum & doctorum hominum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet, frequenter audiri & aspici: occursus quoque sapientum juvant: & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias: nec deprehenditur quemadmodum, & quomodo tibi prosit, profuisse deprehenditur. 6

5 Melch. Jun. de lib. Institut. quæst. 43.

6 Senec. Epist. 95.

Quapropter illi, quorum nomina posteritas veneratur, peregrinationibus operam dederant. Plato in Italiam ad Pythagoræos, in Ægyptum ad sacerdotes, profectus erat. Xenocrates, Cranter, Possidonius, aliique innumerabiles, perpetuo sunt peregrinati. 7 Alexander Magnus maximam terrarum partem peragravit,

7 Cicero. 5. Tuscul.

peragravit, ut perdisceret, quę ad optimam ręgis disciplinam pertinerent. Lycurgus in Græciam & Ægyptum profectus jura didicit. Eo quoque se Solon contulerat. Pythagoras ad leges & literas cognoscendas cum Persarum Magis vixit. 8 Anthistenes & ipse peregrinatus est, & peregrinationes aliis suasit, & ridere solebat Athenienses subinde gloriantes, quòd patriam sedem nunquam mutavissent, dicens hoc laudis illis esse, cum testudinibus cochleisque commune; nam & hęc animantia nunquam mutant domicilium in quo nascuntur. 9

8 Alex ab Alex. lib. 1. cap. 36.

9 Laert. lib 6. cap. 1.

Quamvis autem laudo, & iis quos aut ingenium, aut natales ad magna vocant, suadeo peregrinationem, vitia tamen hîc aliquorum malè peregrinantium non possum non reprehendere, uti egregiè etiam reprehendit Fridericus Achilles Dux Wurtembergiæ, eorum, qui

Vix è conspectu patriæ telluris in oras

digressi peregrinas, si Galliam limis oculis aliquando adspexerunt, Gallica omnia; si Italiam intuiti sunt, Italica omnia; si alterum pedem in Hispaniam intulerunt, Hispanica omnia; si in Anglia pernoctârunt, Anglica omnia; & undecunque tandem peregrè redierunt, peregrina omnia, mores, gestus, cæremonias, vestitum, linguam, histrionica levitate, ac stultitia jactitant, 10 paternis omnibus neglectis & fastiditis. Ex qualium numero fuit ille Lalus, in quem argutum extat istud epigramma à Thoma Moro conscriptum.

10 Vide Thomam Lansium Orat. de Provinc. Europæ inter ipsas Principatu.

Amicus & sodalis est Lalus mihi,
Britanniaque natus, altusque insula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitque cuncta Gallica.
Toga superbit ambulans in Gallica,
Amatque multum Gallicas lacernulas,
Zona locello atque ense gaudet Gallico,
Filtro, bireto, pileoque Gallico,
Et calceis, & subligare Gallico,
Toto denique apparatu Gallico.
Nam & unum habet ministrum, eumque Gallicum,
Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia.

 Tractare

Tractare quiret plus (opinor) Gallicè,
Stipendii nihil dat, atque id Gallicè.
Vestitque tritis pannulis, & Gallice hoc.
Alit cibo parvo, & malo, idque Gallicè.
Labore multo exercet, atque hoc Gallicè.
Pugnis crebro pulsat, idque Gallicè
In cœtu, & in via, & foro & frequentia
Rixatur, objurgatque semper Gallicè
Quid? Gallice illud? imo semigallicè
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quam Latinum Psyttacus.
Crescit tamen, sibique nimirum placet,
Verbis tribus si loquatur Gallicis.
Aut Gallicis, si quid nequid vocabulis,
Conatur id, verbis licet non Gallicis
Canore saltem personara Gallico,
Palato hiante acutulo quodam sono
Et fœminæ instar, garrientis molliter,
Sed ore pleno tanquam id impleant fabæ,
Balbutiens videlicet suaviter,
Pressis quibusdam literis, Galli quibus
Ineptientes abstinent, nihil secus,
Quam vulpe Gallus, rupibusque navita.
Sic ergo linguam ille, & Latinam Gallicè.
Et Gallicè linguam sonat Britannicam.
Et Gallicè linguam sonat Lombardicam.
Et Gallicè linguam refert Hispanicam.
Et Gallicè omnem, præter unam Gallicam.
Nam Gallicam solam sonat Britannicè.
At quisquis insula satis Britannica.
Sic Patriam insolens fastidiat suam,
Vt more Simiæ laboret fingere
Et æmulari Gallicas ineptias:
Ex amne Gallo, ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur
Sic dii jubete, fiat ex Gallo capus.

Alii verò licet fortassis non omnino nec in omnibus, prout Lalus, volunt peregrini videre in patria, infinitas tamen suæ peregri-

peregrinationes historias denarrant. Multiplicant visa vel audita, & non modo Indiæ formicas vulpium aut lupum magnitudine;arbores tantæ proceritatis ut sagittis superari nequeant, capacitatis ut sub unâ ficu turmæ condantur equitum; Pygmæorum arietum atque caprarum dorsis insidentium, trimestres in grues expeditiones; generationes Basiliscorum; Ægypti Pelicanos; Phœnices Arabiæ; Gryphos Scythiæ Asiaticæ; Scotiæ anseres è ligno putrefacto enatos; sed & alia ex Plinio, Solino, Luciano, aliisque qui de naturæ miraculis scripserunt recitantes, quæ nec viderunt neque videbunt unquam se vidisse asserunt, ac

De nihilo magna, & de parvo maxima fingunt.

Alii denique per varias mundi partes vagando, non tantùm patrimonium decoquunt, sed virtutis, innocentiæ, bonorumque morum miserandum naufragium faciunt. In quorum locum Bacchum & Venerem, egregia duo numina, intemperantiam & luxuriam, aliaque vitia turpissima, in suum dedecus & patriæ perniciem reportant.

Verum hæc non peregrinationis, sed hominum culpa fiunt: & cavere ea quilibet potest, qui ante peregrinationem, & in ipsa peregrinatione diligenter servat ea, quæ ad honestam, felicem, & utilem peregrinationem conferunt.

Ante peregrinationem debent boni parentes virum eruditione & moribus commendatum quærere, cui filium suum credat, Tobiæ viri sanctissimi exemplo: qui missurus filium suum Tobiam in regionem Medorum, de socio & duce illi adjungendo solicitus dixit ad eum: Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede. 11

Juvat etiam ut peregrinaturi non prius se itineri accingant, quam consulant eos, qui iisdem aliquando in locis sunt peregrinati: legantque historias, illarumque maximè regionum quas lustrare cupiunt. 12

In ipsa autem peregrinatione danda est opera, ut non corpore tantùm peregrinemur, verum etiam animo observemus, quæ observatu digna sunt. Audiantur incolæ, & inhabitatores: conferatur sermo cum doctis & prudentibus: spectentur loca publica: templa, scholæ, theatra, curiæ, armamentaria, bibliothecæ. Sint peregrinatores fortes & temperantes, ut non

11 Tobiæ 5

12 Melch. Jun. de lib. Instit. quæst. 44.

metuant pericula, non fugiant labores, non à libidinibus vinci sese patiantur. Sint prudentes ut pauca loquantur: consilia sua celent: paucis fidant: sint muti in aliena domo: non cuncta intempestivè & curiosè inquirant: cauti etiam in expendenda & occulenda pecunia: dent operam ut bibliothecæ moles parva: ususfructus magnus sit: Maximè verò in ecclesiis, scholis, & rebuspublicis notent leges, instituta, mores: non etiam illa negligant, quæ ad Oeconomiæ administrationem faciunt. 3

3 Idem ibidem.

§. XI.

De Aula.

AUla (ut bene quidam dixit) non immerito videri potest, urbanitatis & ingeniorum periclitandorum officina, eò quòd multi in ea sint, alienorum ingeniorum prudentes æstimatores, qui facile mores ejus, qui se illis dedisset, forment, & quasi recudant. Quod utinam semper, aut saltem sæpius bono foret generis humani. Sed nescio quomodo mores aulici (omnes id scriptores clamant) magna ex parte ad vanitatem & ambitionem incubuerunt, ob quorum corruptionem, quidam pavoni aulicam nobilitatem comparavit, quæ omni conchylio depressior, qua colla florent; omni petaso inauratior, qua terga fulgent; omni syrmate solutior, qua caudæ jacent: multicolor, discolor, nunquam ipsa, semper alia; etsi semper ipsa, quando alia; toties denique mutanda, quoties movenda. In supellectilem (ait Andreas Iricius 1) vestitum, epulas, luxum omnis generis, immanes pecuniæ impenduntur, invidiæ & insidiarum plena sunt omnia, stultitia & malevolentia multorum perferenda est, & qui præstant aliis virtute ac diligentia, injurias multorum devorare coguntur, amicitiæ pleræque omnes ambitiosæ, & fucosæ, & quæ tamdiu durent, quam diu videmur gratiam potentum obtinere.

1 De morib. lib. 1. cap. 7.

De aulicis plerisque mulieribus nihil dico, studium tamen non paucarum (ut advertit Carolus Scribanus) est, nullo inquam rubore suffundi, ad quemcunque prospectum stare interritas, ad quæcunque verba colorem tenere, nullum deinde amatorem fugere, nullam in quocunque viro solitudinem vereri. Neque discrimen inter matronam multarum prolium matrem, & virginem reperias: par verborum licentia: nec quæ

virorum

virorum sunt, minus virgo novit, quam quæ decem prolibus maritum beavit, pudor nimirum sit, ante matrimonia ignorare, quæ matrimonia & filii docuerunt. Morborum verò verecundissima, matronarum illa an virorum sint, quæ medicorum auribus credere severior castitas verecundabatur, puellarum confabulationibus teruntur, ut arbitreris de rosis & violis agi, ut verecundior olim multorum filiorum mater in suo sexu foret, quàm virgo nunc in alieno. 2 Etsi autem permulta horum communia sunt aulæ cum reliquis hominum ordinibus, tamen quia aulici mores in oculis omnium maximè positi sunt, ideo hic prætermittenda non erant. 2 Inst. Politico Christiana cap. 11.

Neque tamen omnes (ut recte scribit idem Carolus Scribanus 3) aulæ tales. Sunt & probæ, quamvis perraræ, & Phœnici similes. Plures tamen ego illas quam Phœnices rectius esse existimo. Is namque unus toto in orbe est, at aulas, quarum & ego ipse pars aliqua sum, scio aliquot esse simul, quæ sunt templa quædam sanctitatis, & morum, atque virtutum omnium scholæ. Sunt autem aula Maximiliani Ducis & Electoris Bavariæ in Bavaria, aula Philippi Wilhelmi Principis Neoburgensis in Palatinatu, aula Casimiri Leonis Sapieha Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellarii in Lithuania, in quibus tutè quis potest versari & feliciter. 3 Ibidem.

In harum similibus, aut non multum dissimilibus, debet instrui juventus, & ad rempublicam præparari. Quod si quis imprudenter venit in aulam Circes hospitio non dissimilem, is aut exeat aula si cupit esse pius, aut in eâ non aliter quam inter Scyllam & Charybdim degat. Ergo adolescens (Carolo Scribano præceptore 4) inter aulicos fluctus & tempestates positus vitabit, si potest, infida aulica maria multis naufragiis famosa: si non potest, timore & amore DEi pectus firmabit. Benevolum verò se in primis præbebit omnibus, damnabit neminem, mordebit neminem, ore, calamo, vultu, accusabit neminem, laudabit omnes. Contumelias, & illata damna feret, & pro malefactis benefacta rependet. Patietur adversarios, nec agnoscet, & pro amicis habebit, omnibusque benevolentiæ signis præoccupabit, & insidias muneribus anteveret. 4 Instit. Politico Christiana capite 11.

Si pecuniosus fuerit, petentibus mutuabitur, mutuatum si carere potest non repetet, accipiet si ultro dederint, tanquam

 bene-

beneficium. minutioribus menſalibus donis, pro ratione temporum, potentiorum gratiam parabit. Incredibile dictu, quid pecuniæ neglectus, quid munificus inter aulæ ſectatores animus poſſit: ut auſim dicere, imperare poteſt, qui dare poteſt. etiam vitia ſua teget, qui profundit. Prudentia tamen hic opus, ut non in omnes eadem munificentia ſit, ſed in illos potiſſimum, qui aut obeſſe multum, aut prodeſſe plurimum poſſunt. non negligendi alii, ſed magna perſonarum temporiſque ratio habenda. in omnes prodigere ſtolidum eſt: in quoſdam prudentis. à prudentia ergo diſcrimina mutuanda ſunt, & plus ſæpe in delectu, quam in munere difficultatis, ac laudis eſt. Quod ſi fortuna negaverit opes, verbis dives ac munificus quiſque eſſe poteſt. nemo illis pauper fuit, niſi qui voluit. Obſequio etiam dives eſſe quilibet poteſt.

Poſtremas verò ubique partes occupabit, qui primas amat. etiam genere & dignitate inferioribus lubens cedet. de ſe autem ſuiſque demiſſe ſentiet, loquetur etiam demiſſius: magna de aliis. Si quid laude gloria, præmioque dignum fecerit, ſubmisſiſſimis verbis facti magnitudinem extenuabit, aliiſque laudem non ſibi adſcribet. potiora dein aliis, deteriora ſibi tribuet. Nuſquam generis ſui, majorumque nobilitatem, licet poſſit attinget. Quod ſi quæ mentio fuerit injecta, aliò ſermonem vertet; ſi omnem avertere non poteſt, quàm modeſtiſſimè de ea loquetur: laudabit illos, qui virtute ſua viam ſibi ad magna ſtraverunt. Virtuti verò factiſque fortibus modeſtiam miſcebit. Nemo niſi experientia doctus credat, quantùm conjuncta virtuti modeſtia liberalitaſque benevolentiæ permiſta, etiam apud improbos poſſint. Demiſſio in magnitudine comitas, morum facilitas, facilis aditus, benevola & amica compellatio, frontis amœnitas, ultronea beneficia, hilarique animo, vultu, manu porrecta, tacita maximè & nullo teſte porrecta, ſi qua potiſſimum neceſſitas premat, magno & ad magna incitamento ſunt. Obeſſe nemini, benefacere omnibus, liberalem è ſuo, parcum ex alieno eſſe, nullius unquam æſtimationi quidquam derogare, ſilentio damnanda premere, vulgare laudanda etiam in hoſte, magnam ex prima quæque januam aperit. Contumeliam deinde & hoſtem pati, & gratias pro injuria tanquam pro beneficio agere, & æmulum laudare, & beneficiis onerare, via

ad

ad maxima eſt. hæc qui fecerit magna ſperare & imperare magnis poteſt.

Inter aulica deinde documenta, non poſtremas ſimulatio tenet. Nolo hac quemquam circumveniri, volo tamen hac pericula à capite arceri. Nimius ſanè candor conſiliis deſtituitur, nec habet quod reponat, quo pedem figat, quo retrahat, ſi qui doli, aut neceſſitas occurrerit. Jam quoties diſſimulandus mœror, amor, ſpes, metus, ira, gaudium, vota, ſtudia, dignitates, aut commoda ambienti? quoties audita, viſa, non audiſſe, non vidiſſe, ad magna tendendi ſimulandum eſt. Excidet enim non raro ſpes manibus, ſi ſcire te, quæ ignorata putabantur æmuli intellexerint: quamdiu verò ignorare putant, nec in fraudes exurgent, nec in inſidias, nec in contraria ſtudia,& molitiones. Cogitationes ergo ſuas, conſilia, amicos, facta etiam, aulicus ſi poteſt, teget, dictorum interim factorumque aliorum diligens obſervator. quicquid proinde obeſſe cauſæ ſuæ poteſt, quicquid amicis, quicquid ſibi, arctiſſima tenebit cuſtodia. Hoc verò inter non ultima numerandum,ut,ſi quis adverſarum partium,propiùs conſiliorum noſtrorum indagator acceſſerit,quocunque verborum etiam amiciſſimorum lenocinio ludat,ignarum dubiumque rerum noſtrarum dimittamus, ut nec apertè negemus, nec fateamur apertè. Hæc & multa alia Scribanus quorum aliqua infra in compendium contracta ſubjicio.

Ante omnia interim Principem intueatur;mores illius diſcat; vitam, ingenium, animique illius in omnem partem propenſiones. Iram ipſius juſtam fugiat: contumelias, minas, & damna, æquo animo ferat, ac plus obſequii oſtendat acceptâ injuria. Mollibus enim miteſcunt dura. & Principes nolunt videri offendiſſe. Obſequia etiam ſua & in Principem merita ſilentio premat. Nolunt videri debere Principes: debent tamen. at tutiùs hæc premuntur. Dona Principum quantumvis tenuia pro magnis habeat. Nec enim meretur magna, quiſquis à magna manu metiri neſcit parva pro magnis. De ipſo Principe nonniſi optimè & loquatur & ſentiat. Quod ſi quis in Principem liberius verbis exurgat, ille Principem tueatur, & ſcelera etiam manifeſta extenuet, aut laudes alias reponat, cogitans hujusmodi damnatores, non tam ſenſus ſuos aperire, quam illius ſcrutari.

At si Princeps improba & injusta proponat, nequaquam ei obediat. Nam id maximus Princeps DEus prohibet. Trahat proinde rem si poterit. Primi namque in principe æstus nulla re certiùs quam mora temperantur; si non poterit, inscitiam suam, rerumque imperitiam fateatur:nascitura deinde incommoda recenseat, aliorum maximè Principum exemplo, magnâ tamen modestiâ, ut non se doceri Princeps existimet. Nolunt diademata doceri, & sceptro turpe est discere. Proponi rationes possunt, sed judicium Principi integrum relinquatur. Eventuum prospera, nunquam consiliis suis aulicus, sed Principis prudentiæ, aut ad minimum felicitati adscribat.

Sunt & alia pro aulæ destinatis monita, quibus auctores immensa volumina impleverunt. Nec miror, quia cum illi, qui ad aulas feruntur, non unum eundemque finem sibi præfigant, alios enim eò ducit spes commoda, alios honorum studium, alios cupiditas aliis imperandi, alios alia, ideo omnibus his, omnia præcepta, ad omnes fines utilia, nonnisi longo tractatu præscribi poterant. Ego verò, quia non quemvis, quidvis in aula quærentem instruo, sed tantum adolescentes, qui ad mores, & artes reipublicæ perdiscendas se ad aulas conferunt, multus in his esse non debeo: duo tamen ut addam res ipsa hortatur. Alterum est, ut quandoquidem (rectè id docet Carolus Scribanus) in multis magnâ prudentiâ opus habent aulici, illa autem non cadit in adolescentes, pædagogi illis aliqui adjungantur, qui ipsos & dicere & facere doceant. Qualis Phœnix Achilli à patre Peleo datus erat. Sic enim ille ad Achillem

——— ——— ——— Tibi inquit à patre
comes atque magister
Sum datus, ut præcepta tibi rerumque bonarum
Verborumque darem, rebusque ut fortis agendis
Esses, & verbis posses orator haberi.
Nondum enim poteras primis hæc nosse sub annis
Queis rebus laus magna viris & summa paratur
Gloria, bellorum meritis, atque arte loquendi.

Alterum verò, ut viri principes aulas suas non alio loco habendas statuant, quam scholarum virtutum omnium, quarum quidem scholarum se ipsi magistros & parentes esse profiteantur. Neminem ad eas admittant, nisi qui vel factis egregiis,

virtutis suæ specimen dedisset, vel si rudis adhuc sit, & ignarus rerum, se tamen erudiri, & ad omne virtutis genus assidua exercitatione formari velit. Habeant in his publicæ disciplinæ scholis varia exercitationum genera, quibus aulici erudiantur, & ad decus gloriamque excitentur. Proponant exempla clara & illustria, fortitudinis, justitiæ, continentiæ, pudoris, pudicitiæ, ac reliquarum virtutum, quæ juventus imitetur, suosque mores ad illa fingat & accommodet. 5

5 Andr. Iricius. lib. 1. de Moribus. cap. 8.

Porro omnibus adolescentibus, sed inprimis iis, qui ad rempublicam olim sint accessuri, danda est opera, ut quam plurima sibi conquirant instrumenta rerum gerendarum, pectusque suum imbuant optimis agendi præceptis, traditis à magnis viris, usuque rerum edoctis: Neque existiment ingenii celeritate, & naturali quodam acumine expediri posse negotium omne. Opus est profecto arte & doctrina ad controversias implicatas, quibus explicandis honestius certè fuerit teipsum inspicere posse rei quâ de agatur naturam, quam ex sententiis aliorum semper pendere. Sciant adolescentes multum inter inertes & industrios, multum inter ignavos & fortes, in rebus agendis interesse. Cogitent verum decus non in generis nobilitate, non in divitiis, non in pompa ministrorum, quæ bonorum & malorum communia sunt, situm esse, sed in iis, quæ bonorum propriæ sunt, virtutibus, prudentia, justitia, temperantia, liberalitate, contemptu casuum humanorum. Has virtutes cognoscere & exercere assuescant atque iis non sibi tantùm, sed aliis quoque consulere discant.

Quod si cui hæc, quæ dicta sunt, vana esse videantur, huic quid tandem ad vitam honestè, magnificè, animosè, & graviter degendam necessarium videri possit, haud sanè intelligo. Ergo quis tantùm illud discendum putabit suo filio, quomodo comptè incedat; quibus verbis vel ad blanditias, vel ad benevolentiam utatur; quo gestu proceribus appellandis caput nudet, poplitem flectat: quibus viis opes cumulet: domum sibi nitentem reddat, hortum bene cultum, supellectilem splendidam, ministros pulchrè vestitos: qua ratione ornet & apparet convivia, convivas excipiat, ad honores perveniat: Minimè verò illi discendum censebit, quibus rebus instruat se ad vitæ moderatum & æquabilem habitum: ad res secundas & adversas æquo animo

ferendas: ad causas & actiones humanas cognoscendas & dijudicandas: denique ad ea dicenda & agenda, quæ & ipsum testentur moribus esse inculpatis, & ejus domesticos vitæ incontaminatæ, omniaque ab eo fieri, cum honestatis causa, tum studio religionis, & reipublicæ scilicet. Hæc quæ postremò dixi talia sunt, quæ nullo negotio discuntur absque doctrinæ præceptis: illa quæ primò, opus habent exercitatione longi temporis & doctoribus.

Sed hæc missa faciamus, neque nobis tam inepta persuaderi patiamur ab iis, qui se non aliter suam inscitiam posse tueri putant, quàm doctrinæ præceptis infamandis. 6

6 Idem ibidem.

§. XII.

De Artificiis.

UTrum ingenui adolescentes, præter liberales doctrinas, alias etiam artes, quæ mechanicę vocantur, discere possint, aut debeant? merito quis dubitare potest. Nam artificia & omnia mercenaria exercitia sordida Philosophus nuncupat, mentemque illis occupari & vilem reddi dicit, 1 contenditque minimè congruere magnanimis & ingenuis, ut ubique quærant utilitatem. 2 Ex qua fortassis opinione est, quod nobilitas Polona adeo aversetur artificia, ut genus suum illis contaminare existimet.

1 Polit. lib. 8. cap. 2.

2 Polit. lib. 8. cap. 3.

E contra plurima rerumpublicarum optime institutarum, & principum maximorum exempla, nequaquam illas artes esse contemnendas ostendunt. Inprimis in Utopia, hoc est, in republica sapientissimo intellectu ad omnem beatitudinem formata, ars una est omnibus viris mulieribusque promiscua agricultura, cujus nemo est expers. Hac à pueritia erudiuntur omnes, partim in schola traditis præceptis, partim in agros viciniores urbi, quasi per ludum educti, non intuentes modo, sed per exercitandi corporis occasionem tractantes etiam. Præter agriculturam, quæ est omnibus (ut dixi) communis, quilibet unam quampiam tanquam suam docetur. Ea est ferè aut lanificium, aut operandi lini studium, aut cementariorum, aut fabri seu ferarii seu materiarii artificium. Neque enim aliud est opificium ullum, quod numerum aliquem dictu dignum occupet illic.

Nam

Nam vestium, quarum nisi quod habitu sexus discernitur, & cœlibatus à conjugio, una per totam insulam forma est, eademque per omne ævum perpetua, nec ad oculum indecora, & ad corporis motum habilis, tum ad frigoris æstusque rationem apposita, eas inquam quæque sibi familia conficit. Sed ex aliis illis artibus unusquisque aliquam discit, nec viri modo, sed mulieres etiam. Cæterum hæ velut imbecilliores, leviora tractant, lanam ferè linumque operantur, viris artes reliquæ magis laboriosæ mandantur. Maxima ex parte quisque in patriis artibus educatur. Nam eo plerique natura feruntur. Quod si quem animus alio trahat, in ejus opificii, cujus capitur studio, familiam quampiam adoptione traducitur, cura non à patre modo ejus, sed magistratibus etiam præstita, ut gravi atque honesto patrifamilias mancipetur. Quin si quis unam perdoctus artem, aliam præterea cupiverit, eodem modo permittitur. Utramque nactus, utram velit exercet, nisi alterutra civitas magis egeat. Syphograntorum (certis hi officiis in Utopiensi Magistratu funguntur) præcipuum, ac prope unicum negotium est, curare ac prospicere, ne quisquam desideat ociosus, sed uti suæ quisque arti sedulo incumbat. Hæc Thomas Morus de Utopiensibus. 3

3 Utopiæ lib. 2. de artificiis.

At vero apud Ægyptios unusquisque (ex Amasis regis instituto) cogebatur destinato magistratui palam facere, quo se artificio tueretur. Quod si quis ementiretur, morte luebatur mendacium. Eam legem ad Athenienses translatam esse à Solone auctor Diodorus prodidit. 4 Qui Solon cùm videret urbem hominibus quotidie in Atticam undique propter libertatem & securitatem confluentibus compleri, agrum autem ferè infœcundum malignumque, eos verò qui mare exerceant, nihil solere iis, qui nihil reddere habeant, importare, traduxit ad artificia cives, tulitque legem, ne filius parentem, qui ipsum non docuisset artem, cogeretur alere. Nam Lycurgo quidem, qui urbem colebat à turba peregrina defecatam, agrumque haberet multis multum, qui plus bis totidem civibus (ut ait Euripides) esset alendis, præsertim quia Ilotica multitudo, quam præstabat non marcescere otio, sed perpetuis attritam laboribus esurire, erat Lacedæmoni circumfusa, satiùs erat odiosis exolutos & vilibus negotiis, cives armis alligare. At Solon, qui rebus potius leges, quàm res applicabat legibus, & considera-

4 Cæl. lib. 18. cap. 22.

bat agri indolem vix aratoribus sustentandis esse, neque segnem posse & residem turbam tolerare, artibus adjecit dignationem, & curiæ præcepit Areopagitarum, quonam se quisque tueretur quæstu, observare, atque in otiosos animadvertere. 5

5 Plut. in Solone.

Apud Indos ea est prærogativa artificum, ut cum ibi omnis populus in septem tribus distribuatur, quartum locum teneant artifices, quorum pars armis, pars rusticis instrumentis, alii aliis utilibus rebus fabricandis vacant. Hi non solum immunes à tributo sunt, 6. sed frumentum insuper à rege percipiunt.

6 Diodor lib. 2. cap. 10.

Non prætereundi sunt & Scoti, qui olim præ agriculturæ ac rei pecuariæ, venandique studio, omnem ferè & medicinæ, & artium Mechanicarum, curam intermiserant. Ea propter singulis artificibus peregre accitis, per singulas provincias, ubi judices, (nunc comites vocant) jus dicerent, salaria partim ex publico, partim ex privatorum opibus, unde tum minimè gravarentur, præbenda Rheuta rex decrevit. Nam bove in quocunque provinciæ loco mactato, cujuscunque privati esset, caput fabro, collum saltuario, lingua Jurisconsulto, scapularum altera furum indagatori, renes duabus cum costulis carpentario, cæteræ chyrurgo, ex singulis lateribus binæ costæ Medico, certæ etiam singulis avenæ & hordei mensuræ, jure hujus decreti, annui census loco cesserunt. 7

7 H. Boëthius lib. 2.

Jacobus III. Scotorum rex, iis qui artem qualemcunque reipublicæ utilem insigniter callerent, familiarissimè utebatur, eosque ad dignitates maximas promovebat. 8 Jacobus vero I. itidem Scotorum rex, ex Anglia, ex Flandria, aliisque regionibus, artifices omnis generis preciis ingentibus evocavit, qui populum suum artes edocerent Mechanicas. 9

8 Appendix hist. Scotor.

9 H. Boëthius lib. 17.

Londini in Anglia, omnis quasi populus per artificum collegia dividitur. Lanifici enim (& eodem modo alii quoque artifices) emunt privilegium, quo sibi liceat inter se in societatem coire, suum habere collegium, suas condere leges, quibus monopolia instituant, precium panno laneo constituant, prohibeantque ne alii in urbe vendant. In illud vero collegium potissimum veniunt, qui discendo artem, annos septem decemve, aut eo amplius serviunt, ejusdem collegii lanificis. Et ii dum serviunt, aliorumque ministri sunt, vocabulo non ineleganti appellantur Paremptitii, hoc est, pares emptitiis servis, quia perinde

lanificis

lanificis in eos toto illo annorum ſpatio, ac dominis in ſervos, jus ferme eſt. Poſt exactos miniſterii annos cives habentur, tametſi interdum, ſine famulatus etiam precio, civitate donantur. Eodem quoque ſervitio vel fœminæ in civitatem adſcribuntur. Quapropter quotidie, multitudo puerorum nobilium, æque ut puellarum, uſque ab ultimi regni partibus Londinum confluit. quæ ibi eo pacto divitias, honores & honeſta conjugia conſequitur. 10

10 Polydor. lib. 14.

Ad extremum (ut ſexcenta omittam) in eâ Ungariæ parte, quam vulgo Septem caſtra vocant, omnes incolæ aliquod opificium mechanicum diſcere coguntur. Itaque inter peregrinos, ſi quem virum vel pace, vel bello illuſtrem videant, quodnam opificium calleant, inquirunt. Qui mos etiam apud Turcas eſſe dicitur. Proinde Solymanus, Selimi Imperatoris pater, acus faciendi artem probe noviſſe dicitur.

Domus Joannis Medices Cardinalis, dum ageret Romæ patria exulans (qui poſtea Leo decimus Pontifex fuit) ſemper plena erat, phonaſcis & muſicis, cum in ea arte uſque ad fœcunditatem ingenii peritiſſimus evaſiſſet. Conſpiciebatur etiam officina nobilium artificum, quando, nullibi libentius pictores, ſtatuarii, ſculptoreſque gemmarum, & antiquitatis ſtudioſi, monumenta artis deponerent, quam apud Mediceos, qui gentilitia quadam hæreditate cæteros omnes argutia & ſubtilitate judicii præcellere dicebantur. 11

11 Jovius in ejus vitâ.

In Clemente ſeptimo Pontifice enitebat rerum prope omnium, præcellentiumque artium notitia, atque cenſura ſingularis, adeo ut omnia opificum arcana ſubtilitateſque operum ſummâ ſolertia ſcrutaretur. 12

12 Idem Jovius lib. 23. hiſt.

His utrinque conſideratis, eorum mihi potior viſa eſt ſententia, qui cenſent aſſuefaciendos eſſe omnes ad res aliquas agendas, & qui laborare nollent, ii, (ut Apoſtolus ait) ne manducarent. Eſt enim illa humano generi indicta mulcta, in ſudore cuique veſcendum eſſe pane ſuo. Omnes ergo, quantumvis divites ac genere clari, à primis adoleſcentiæ temporibus, arte aliqua manuaria erudiantur, qua & corpus exerceant, & ſi egeſtate premantur, victum ſibi parent.

Exemplum Polonæ nobilitatis, non eſt totius nobilitatis: ſunt enim multi ex hoc ordine nobiliſſimi, quorum aliqui, etſi ad

ad altiora, à fortuna vel ingenio vocati, has minorum gentium artes non discunt, illas tamen minimè damnant, nec honesto homine indignas esse judicant. Aliqui verò, maximè quibus res angusta domi, malunt artificio victum quærere, quam in fame & rerum penuria genus ac nobilitatem jactare. Reliqui, quibus & ingenuas artes callere nimis plebeium videtur, non sunt ii, à quibus vitæ atque morum peti debeant exempla.

Plus debet apud quemlibet incorrupti judicii hominem valere auctoritas Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, qui adversus incerta casuum, & fortuita necessitatum, etiam infimis artibus se communiunt, quàm fastus hominum, nihil de humanarum rerum inconstantia & vanitate cogitantium. Major est Paulus Apostolus, & Joseph sponsus Beatissimæ Virginis Matris, quorum alter civis & nobilis Romanus, alter etiam nobilis & regibus editus, uterque tamen artifex fuit, quam Pawlowski aliquis, aut Josephonicz, nobiles forte Poloni, qui honesta artificia officere ingenuitati clamant, tesseras, compotationes, libidines, & his pejora bene posse cum nobilitate consistere existimant.

Ad Aristotelem dico, artificia etiam manuaria ex se nec honesta esse, neque sordida, sed talia fieri ex usu & fine artificis, qui iis tanquam instrumentis uti potest, tam ad avaritiam alendam, quam ad vitam tolerandam, quorum alterum infame, alterum honestum est. Igitur Philosophus artificia hæc vocat sordida, non quia talia in se esse judicat, sed quod illis maxima ex parte homines sordidi ad avaritiam & sordes abutantur. Verba illius recito. *Refert* (inquit) *plurimum, cujus gratia quis agat vel discat: nam si gratia sui, vel amicorum, vel propter virtutem, non est illiberale: qui verò id ipsum agit propter alios, sæpe utique videbitur illiberaliter ac sordide agere.* 13 Quo etiam fine quærere utilitatem ubique minimè congruit magnanimis & ingenuis hominibus.

13 Polit. lib. 8. cap 2.

§. XIII.

Qui Mores relucere debent in Adolescentibus.

Mores, quos supra 1 præscripsimus pueris, hic etiam præscribimus adolescentibus: quibus præterea ante omnia necesse est incutere timorem Domini Dei, qui est initium sapientiæ.

1 Cap. 10. de educat. liberorum. § 3.

entiæ. Deinde iidem adolescentes diligentissimè docendi sunt Dominum Deum ex toto corde amare, parentibus obedire, & iis, qui loco parentum sunt, modesti in omnibus & verecundi esse. *Quam pulchra* (inquit sanctus Bernhardus) *& quam splendida gemma morum est verecundia, in vita & vultu adolescentis, quam vera & minimè dubia bonæ spei nuncia, bonæ indolis index, virga disciplinæ expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti.* 2 — 2 Sup. Cant. Sermone 86.

Vitia quoque cum omnibus, tum præcipuè dictis virtutibus contraria vitanda sunt: in quærendo fugiantur garrulitas & curiositas, quâ attentionis & acuminis aliquando gloria captatur, & simul pudor subrusticus in non interrogando. In curiositate enim, breve quod est iter, longum efficitur, & sunt similes tales ignavis ac timidis canibus, qui domi pelles mordent, & vellicant villos, in venatione feras non attingunt. Qui autem nunquam interrogant præceptores suos, in perpetuis dubitationibus, mœrore quoque assiduo versantur. 3 — 3 Plut. in lib. de auditione.

Silentium magis, quàm Pythagoræ auditoribus, curæ debet esse omnibus adolescentibus. Est tempus quando nihil, & est tempus quando aliquid, nullum autem est tempus, in quo omnia dicenda sunt. 4 Maximè verò adolescentis est audire multa, & loqui pauca. 5 Utile est ad silentium assuefactum esse tum, cum apud eos est agendum, qui vitæ & necis potestatem in linguæ acie portant. 6 Nec sustinebit magnum officium, cum laude & utilitate tam publica, quàm privata, cui tacere grave est. 7 — 4 Hugo de disciplina. 5 Menander. 6 Ammian. Marcellin. lib. 18. 7 Curtius lib. 4.

Denique nihil tam metuant adolescentes, quam ne vitiis in juventute assuescant. Est enim assuetudinis in utramque partem vis maxima. Declarat id oratio Marii apud Sallustium. *Ita* (inquit ille) *ad hoc ætatis à pueritia fui, ut omnes labores, pericula consueta habeam.* Et paulo post. *Illis* (inquit) *difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere, mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere, jam ex consuetudine in naturam vertit.* 8 Declarat & Catilina, cui homini ab adolescentia, bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis, grata fuere, quique ea in ætate virili peregit, in quibus juventutem suam exercuit. 9 Declarat denique & sacra Scriptura, juxta cujus — 8 Sallust. Bell. Jugurth. 9 Sallust. in Conjur. Catilin.

jus proverbium. adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. 10

10 Proverb. 22.

§. XIV.

Quid faciendum illis, qui in studiis non cito proficiunt?

ALiis profectum impedit ingenii, aliis memoriæ, aliis utriusque defectus. Hi postremi, utpote utriusque inopiâ laborantes, non sunt frustra fatigandi adversante totis viribus Minerva, sed iis instituendi, ad quæ illis vim natura concessit. Faciliores tamen literas (nisi extremè sint stupidi) docendi sunt. cum legendi & scribendi peritia omnibus sit utilis, & prope necessaria. Sive enim privatum sive publicum usum spectemus, quid magis est necessarium, quam posse res suas literis signare, & describere, & facultates sive bona sua omnia in catalogum referre. Quid ad mercaturam utilius? Quid magis necessarium amicis loco remotis, quam characteribus mentem suam exprimere?

Jam vero adolescentes, sola memoria minus pollentes, sagaces tamen ingenio, aut hoc hebetes, memoria tamen non omnino destituti, non est cur à studiis abstrahantur. Etsi enim non sunt ab initio similes Ciceroni, qui puer ob ingenii acumen & solertiam, admirationi condiscipulis, & ab his reductus domum fuit, 1 aut Hortensio, qui causas in foro annos unde viginti natus egit, 2 aut Augusto, qui anno ætatis duodecimo Juliam aviam mortuam, vel Tiberio, qui patrem nono laudavit, 3 aut sexcentis aliis, quorum exempla apud Græcos & Latinos Scriptores quam plurima habentur, spem tamen optimam habere debent. Solet enim non raro ingenium cum annis venire, adeo ut doctissimi homines scripserint, idem sibi in juvenilibus ingeniis placere, quod in pomis immaturis, in quibus ipsa acerbitas placet. 4 Ea enim demum maturescunt, reliqua ante tempus putrescunt. Et vinum, quod in dolio placuit, non fert annos: quod est durum atque asperum recens, postea placet.

1 Plutarch. in ejus vitâ.
2 Cicero in Bruto.
3 Sueton.
4 Gellius lib. 13. c. 2. Quintil. lib. 1. cap. 3.

Ferunt Cleanthem ac Xenocratem, cum ex scholasticis maximè hebeti ingenio viserentur, nec tamen eo nomine relanguerent, dicere solitos fuisse, se similes esse vasis angustioris oris,

ac æneis tabellis, quòd vix quidem dictata perciperent, ac retinerent tenaciùs. 5 Sic Cato minor admodum difficulter percipiebat, percepta constantissimâ memoria servabat. E contra nimis præcocia ingenia, non sunt diu durabilia, ut observatum est (taceo infinitos) in Hermogene, qui vix pubescens ingenii & memoriæ vi incredibili valuit, postea anno ætatis vigesimo quarto, omnium fere mente lapsus oblitus est. 6

5 Cælius lib. 10. cap. 10.

6 Cælius lib. 31. cap. 6.

§. XV.

Quid faciendum cum Adolescentibus, duris ab initio ad mores, & petulantibus?

QUemadmodum proximè sumus philosophati de ingenio, ita hic philosophandum est de moribus adolescentum: ac quemadmodum ibi diximus, non ideo aliquem à studiis esse removendum, quod non maturè probat indolem, ita & hic multò magis dicendum est, non ideo abjiciendam esse curam adolescentum, quòd asperius patiantur disciplinam, & bonos mores difficiliùs discant, vitiisque sint dediti, si præsertim non fuerint aliena ætati vitia, sed familiaria adolescentiæ crimina. Non enim extrema, neque incurabilis nequitia est, ætate & impetu labi. Item, si ignoratione boni potius, quam appetitione mali delinquant. Huc spectat, quod (ut prudentissime expendit Plutarchus) multorum hominum mores & vita fuerint mutata, quâ occasione Græci mores tropos à mutando, & ethea, à consuetudine nominant, quæ in hac re semel adhibita plurimum potest. *Equidem ita sentio* (ait Plutarchus) *Cecropem à priscis fuisse biformem dictum, non quod è bono rege immanis & draconis naturam imitans sit factus tyrannus, sed contra, quod perversus ab initio & terribilis, postmodo benignè humaniterque imperaverit. Quod si hoc incertum est, certe Gelonem novimus & Hieronem Siculos, & Pisistratum Hippicratis filium, qui tyrannide per malitiam parta, usi sunt, secundum virtutis rationes, & injuste potitis imperiis, mediocriter iis & cum utilitate publica functi sunt. Nam & optimarum usum legum, & agriculturæ subditis studium commendando, cives de captatoribus risuum, ac garrulos, modestos ac industrios redegerunt, & Gelo adversus Carthaginenses gesto optimè bello, cum eos magno vicisset prælio, pacem petentibus non ante concessit, quam id quoque insertum*

ejus fuit conditionibus, finem facturos Carthaginenses Saturno suos immolandi liberos. Megalopoli tyrannus fuit Lydiades, is ipsa in tyrannide consilio mutato, & improbata injustitia, civibus rempublicam & leges restituit, & pro pro patria in hostes pugnans illustrem oppetiit mortem. Iam si quis Miltiadem in Cherroneso tyrannidem gerentem interfecisset, aut Cimonem cum sorore concumbentem in judicio reum tanti criminis peregisset, aut Themistoclem lascivè comessantem, petulanterque per forum bacchantem, Athenis expulisset, sicut postmodo de Alcibiade reo facto statutum fuit, nonne periisset nobis Marathon, Eurymedon, Dianium, ubi

---- ---- ---- Pubes Attica jecit
Illustre fundamentum libertatis.

Nihil enim præstantes naturæ exiguum efferunt, & ob acumen vehementia earum atque efficacitas ociosa esse non potest, sed quasi æstu fluctibusque jactantur, donec mores stabiles atque compositos sibi parent. Sicut ergo rudis aliquis agriculturæ nullo modo probaret locum, quem videret densa obsitum sylva, agrestibus stirpibus, & multis feris ac rivis lutoque repletum, perito autem & judicandi gnaro, hæc ipsa virtutem mollitiemque agri demonstrarent, sic multa inepta & prava magnæ naturæ primo efferunt, quorum nos asperitatem & aculeos initio non ferentes, putamus statim exscindi opprimique debere, qui verò melior est ratiocinator harum rerum, is ætatem tempusque præstolatur, quod rationi & virtuti auxilium fert, quo etiam tempore indoles suum profert fructum. Hæc Plutarchus. 1

1 De his qui serò à Numine puniuntur.

§. XVI.

De Castigatione Adolescentum.

QUamvis nemo est, qui non quàm optimos esse liberos suos exoptet, sæpe tamen eventus non respondet votis. Quàm multos non legimus tantùm, sed etiam videmus, ingenuo sanguine natos, in quibus nihil parentum præter sanguinem videmus. Alius adolescentiam infamat petulantiâ, omni devorato pudore, verba impudica, ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis, in ore habet frequentia, & meretricem deperit: alius totus vini cadaver, gulâ aliisque vitiis bona paterna consumit: alius perditissimus, & quantus quantus terræ intestinum, alius effigietenus est homo: alius virtuti extremum dixit vale: alius in

in nequitia ita occalluit, ut lapidem magis quam humanam videatur effigiem indutus: alius ad ultima exempla scelerum venit: alius illis causa mortis est, qui ipsi vitæ fuerunt: alius denique tantis tamque probrosis vitam flagitiis commaculavit, ut in ejus exitium & mortem, non una parari simia, non serpens unus, non culeus unus debeat.

Hæc cum quotidie ferme fiant, sunt tamen multi, qui verbis cum adolescentibus, & non verberibus agendum esse censent, existimantque verbera servis potius quàm liberis convenire. Hi enim obdurescunt, & horrescunt ad labores, tum propter verborum dolores, tum propter contumelias. Addunt & hoc, si cui mens tam est illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur. Dicunt denique non esse opus castigatione etiam ex eo, quòd assiduus studiorum exactor possit illis assistere. Ferè enim negligentia pædagogorum sic nunc emendari videtur, ut adolescentes non facere quæ recta sunt cogantur, sed cum non fecerint puniantur. 1 — 1 Melch Jun. de liber. instit. quæst. 46.

Fateor utile esse, ut quoad possit & liceat, ab adolescentis latere nunquam discedat pædagogus, præsertim vitæ innocentia, morumque sanctimonia & integritate commendatus, quique non habeat necesse illud usurpare, *doctrinam accipite, mores relinquite*, 2 cujus præsentia urgeat adolescentem, & otiari, multoque magis perverse agere non sinat: sed & illud verum est, quòd ut proverbium est, etiam Argus fallatur. — 2 Plato in Lachete.

Quos ergo aut vigilantia pædagogorum, aut ipsa natura retinere in officio non potest, ii, ut rectè Tullius statuit, metu pœnæ maleficio submoveri debent. 3 Recte inquam, quia ut idem ait, quotusquisque reperitur, qui impunitate proposita abstinere possit injuria? Impunitas peccandi maxima est illecebra. 4 Ideo optime respublica Lacedæmoniorum non contenta arbitraria cujusque patris in suos liberos animadversione, publicis judiciis delicta juventutis castigabat. Cujus rei argumento est puer ille ab Areopagitis damnatus, quod oculos coturnicum erueret. Fecerunt hoc judices sanctissimi, non quod coturnices tanti faciendas esse putarent, sed quod id malæ mentis indicium esse existimarent, multisque malo futuræ, si puer adolevisset. Itaque eum damnarunt. Tanti interesse putabant — 3 Pro Rosc. Amer. — 4 3. Officiorum.

perversos puerorum mores punire. Huc pertinet & illud, quod sacræ quoque literæ coercere juventutem jubeant. *Non des* (dicit sanctus Spiritus) *filio potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* 5

5 Prov. 23.

Servandus tamen est modus. Pœnæ ne sint delictis graviores, & pater nec tam sit severus, ut crudelis, nec tam indulgens ut sit incautus. Nam ut verissimè inquit Nazianzenus, utrumque malum est, indulgentia blanda & implacabilis severitas. Ut enim illa nimium laxat habenas, ita hæc immodica astrictione strangulat.

Nimiæ indulgentiæ notat exemplum Stephanus Guazzus. Non possum inquit non meminisse adolescentis cujusdam, quindecim, aut sedecim annorum, prompti quidem ingenii, cæteroquin vitiosi, dissoluti, & vitæ inordinatæ, idque cum patris tum matris culpâ, qui non tantum verberibus aut minis eum non castigare, sed nec asperiori aliquo verbulo, quod ei displicere posset, offendere statuerant. Ac memini cum hic quinque aut sex annorum esset, si quis diceret parentibus, ob commissum errorem objurgandum eum esse, quod tum subito excusarent filium, nondum scilicet ad eam ætatem ipsum pervenisse, ut erratum hoc suum posset agnoscere. Sed nec verberibus eum impetere, nec acerbiùs quid minari volebant, cum jam septimum attigisset annum. Metuebant enim, ne ob nimium timorem, & spirituum alterationem sanguine inflammato in febrim ipse incideret. Neque etiam cum jam decem annorum esset, animus his erat eum conturbandi. Dicebant enim, plagas & minas generosum animi instinctum imminuere & auferre posse. Et quanquam hic perversis & intolerabilibus istis moribus totius vicinæ odio esse expositus, parentes tamen eum excusare non cessant, dicentes eum jam adolevisse, & intra paucos dies in Academiam, ubi & doctrinam & mores posset addiscere, esse ablegandum. Expecto nunc, an cum ad annos patibuli hic ascenderit, parentes coram populo accusaturus, & pudendæ huic teneritudini atque indulgentiæ illorum justè maledicturus, & quod ab alio quodam factum accepimus, nasum & aures dentium morsu ipsis avulsurus sit. Hactenus Guazzus. 6

6 De Civil. Conversat. lib. 3. pag. 488.

Deteſtanda eſt perniciosa hujuſmodi indulgentia, ſicut & crudelis ſeveritas, cujus notatus fuit Ortilius, 7 & cum eo alii patres plurimi, Manliana imperia in liberos obtinentes, qui ſicubi in leviſſimis peccetur, illico gladium ſtringi oportere exiſtimant, Stoica (ut puto) ſcita ſecuti, juxta quos omnia peccata ſunt paria, nec quidquam intereſt, occidat ne aliquis hominem, an nummum ei ſurripiat. Quæ animadverſio quantùm deſtruat juventutem, facile quivis judicaverit. Videmus enim ex non paucis liberalibus ingeniis, per nimiam & imprudentem parentum moroſitatem, facta eſſe plane ſervilia, timida, & miſanthropa. 7 Sueton. de Gram. illuſtr. cap. 8.

Et hæc ſane maxima cauſa eſt, cur illi, qui delicatè & molliter educati ſunt, liberiùs poſtea quidvis garriant, illi verò qui duriter nimis & ſerviliter in pueritia ſunt habiti, non ſolùm balbutienter & interruptè loquantur, ſed in hominum graviſſimorum conſpectum adducti obmuteſcant ſæpe, aut animi ſui cogitata minùs expeditè, aut juſto ordine proferant, niſi maturè exercitatione prudentiori id vitium in illis corrigatur. Sequendum igitur hac in re Plutarchi conſilium, qui parentes ſeveros quidem eſſe vult in liberos, non tamen aſperos & duros. *Quemadmodum* inquit *medici, amara quædã venena dulcibus immiſcentes ſuccis, comitem utilitatis amœnitatem invenerunt, ita & patres increpationum rigorem manſuetudine uti temperent, eſt neceſſe.* 8 Puerorum namque deſideriis remittendæ interdum habenæ, nonnihilque laxandæ, quandoque rurſus intendendæ. Levia præſertim delicta molli ferant animo: Sin adverſus ipſos irâ excanduerint, illico tumorem animi deponant. Parentem enim celeres quam graves ſuſcipere iras præſtat. Aliqua etiam noviſſe peccata diſſimulent parentes, ſatius erit, imò ſurditatem & obtuſos ſenectutis ſenſus ad filiorum commiſſa interdum transferant, ut pleraque videntes non videant, audientesque non audiant. Illud omnino certum eſt, pueros ad amorem ſtudiumque honeſtatis, non tam plagis aut verberibus, quàm monitis & rationibus adduci oportere. Pudore (inquit Terentius) & liberalitate liberos retinere ſatius eſt, quam metu. Errat enim longe, qui imperium credit gravius eſſe aut ſtabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur. Male enim coactus, qui ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet, ſi ſperat 8 Plutarch. in Educat. liberorum.

fore clam, rursus ad ingenium redit. Ille quem beneficio adjungis, ex animo facit, studet par referre, præsens absensque idem erit. Hoc patrium est, potius consuefacere filium, sua sponte recte facere, quam alieno metu. Hoc pater ac dominus interest, hoc qui nescit, fateatur se nescire imperare liberis. 9

9 In Adelph. Act. 1, Sc. 1.

Cæterum ea demum felix educatio futura est, si parentes liberis exemplo præeant ad virtutem & honestatem. Sapientissimè ille dixit apud Poëtam, qui dixit

Disce puer virtutem ex me verosque labores,
Fortunam ex aliis.

Exemplum enim primus & optimus instituendi modus est. Exemplis maxima vis inest, & summa efficacia, præsertim exemplis parentum, quorum diligentissimi existunt observatores liberi. 10

10 Bartholom. Keckerman. Curs. Philosoph. Disp. 28.

Quamobrem omnibus modis studeant parentes, bonum dare liberis suis exemplum: non credant ad institutionem eorum salubria præcepta per se sufficere, nisi & facta simul iisdem respondeant. Nec enim liberi, ea quæ dicuntur, sed quæ aperte fiunt, intuentur & observant. Sicuti cancrum illum factitasse legimus, cui cum dixisset mater, prout est in fabula, non recta via incedere, sed obliquos intorquere gressus: faciam respondit ille, mea mater, si te idem facientem prius videro. Plane enim, qui liberos emendare vult, ipsum se prius emendet oportet, ac justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, humanitatis & aliarum virtutum exemplo, justos, temperantes, fortes, & virtute conspicuos eos reddat, sciatque eum, qui ut alii quid faciant, desiderat, acutiori calcari uti non posse, quàm si idem prius ipse fecerit, quo facto, intrepide eos reprehendere poterit, ut Dionysium olim fecisse constat, qui filium in ipso delicto deprehendens, interrogavit: Num tu ejusmodi quid unquam vidisti me committere? Respondente autem filio: Tu patre rege natus non es: subjunxit pater: & neque tu filium habebis regem. Idque ita evenit. Ob crudelitatem enim regno pulsus, fame coactus fuit panem emendicare, donec tandem ad pædagogi munus adhiberetur.

§. XVII.

De Recreationibus Adolescentum.

POst labores feriæ pueris atque adolescentibus sunt concedendæ. Nam sicut secundum Poëtam,

Quod caret alterna requie durabile non est,

ita recreationibus lætisque motibus valetudo corporis conservatur, alacritas ad studia literarum excitatur, levaturque fastidium, ex nimiâ studiorum continuatione oriundum. Quod cum non ignoraret Anaxagoras, publicè decretis honoribus magno animo repudiatis, id sibi omnino postulasse commemoratur, ut quo die mortem obiret, pueris, qui disciplinis & artibus operam darent, permitteretur otiari & ludere. Sensit vir doctissimus, ingenia adolescentum nimio studio frangi, recreatione autem ad novos labores alacriores fieri. 1 Et merito. Nam ea est naturæ conditio, ut nulla res continuum laborem ferre possit, sed in omnibus sit vicissitudo.

1 Plut. in Polit.

---- ---- ---- *Nec enim facundia semper*
Adducta cum fronte placet: nec semper in armis
Bellica turba manet: nec tota classicus horror
Nocte dieque gemit: nec semper Cnossius artu
Destinat, exempto sed laxat cornua nervo.
Et galea miles caput, & latus ense resolvit.
Ignea quin etiam superum pater arma recondit,
Et Ganymedeæ repetens convivia mensæ
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina dextra. 2

2 Lucanus ad Pisonem,

Videmus & volucres, procreationis atque utilitatis suæ causa, non sine labore quidem nidos fingere, & constituere, at opere absoluto laboris levandi causa passim & libere volitare. 3

3 Cic. Lib 2. de Oratore.

Etiam quæ sensu carent, ut suam vim servent, alterna requie indigent.

Laxaturque chelys, vires instigat alitque
Tempestiva quies, major post otia virtus. 4

4 Stat. 4. Sil. 4.

Sed sicut omnes aliæ res ita & recreationes suas leges habere debent, ut tempore, loco, modo, & re, sint convenientes. Ad tempus quod attinet, ludo utendum est sicut somno & quietibus cæteris, ac tum, cum gravibus & seriis rebus satisfactum fuerit.

fuerit. In eo vero loco, in quo & sensus & animus honestus suas voluptates habere possunt. Porro modus ille servandus est, ne remissiones, aut odium adferant denegatæ, aut otii consuetudinem nimiæ. Ratio præterea maxima decori habenda est, sine quo non sunt recreationes homine ingenuo dignæ. Scurriliter saltavit Philippus Macedonum rex: cantavit ineptè Caligula: Nero ridiculè delectatus currus agitatione: Caligula imperator sagittandi peritia abusus est. 5 Denique omnis intemperantia cavenda est, omnisque verecundia servanda, non omnia adolescentibus sunt permittenda, neque committendum, ut voluptate elati in aliquam turpitudinem delabantur.

5 Sabell. lib. 4. Enn. 7. Sueton. in Neron. & Calig.

Jam verò reipsa laudantur recreationes, quæ & in seipsis sunt honestæ, & nullo modo viam sternunt ad inhonesta. Quamobrem aleæ lusus nequaquam est permittendus, quamvis veteribus Germanis adeo fuerit in usu, ut pecunia omni perdita, etiam de libertate & corporibus suis contenderint. 6 Gignit enim trepidum certamen & iram, ira truces inimicitias, funebre bellum, & perniciosam ultionem, juxta illa Poëtarum:

6 Cornel. Tacit. de Germ. moribus.

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor, 7
Et revocat cupidas alea sæpe manus. 8

7 Horat. lib. 1. Epist. penult.
8 Ovid. lib. 1. de Arte.

Non minus & foliorum (uti vocant) ludi sæpe nocent: etiamsi interdum ingenii & eruditionis vestigia habeant. 9

9 Melch. Jun. de liber. Instit. quæst. 51.

Probatur magis latrunculorum usus, qui & vetustissimus est, & ingenii dexteritatem notat. Notum est illud Martialis:

Insidiosorum ludis si bella latronum,
Geminus iste sibi miles & hostis erit.

Plato ludos & recreationes probat, quæ non multum discedunt à seriis actionibus, non sunt conjunctæ cum periculo, non omnino carent timore ac sollicitudine: declarant ingenia erecta, aut abjecta: præparant ad vera certamina. Ideoque (ut jam superius diximus) gymnastica requirit exercitia, quæ dividit in saltationem & luctam. Saltationis vero speciem alteram observare vult magnificentiam, & libertatem, alteram bonæ valetudinis, expeditæ levitatis, & pulchritudinis, rationem habere, ut ita & universum corpus, & singula membra informentur, quo omnibus suum decorum constet. In lucta quoque cervicum manuum & laterum desiderat motum, & decoram mem-

membrorum conſtitutionem, ad robur & ſanitatem accommodatam, quo poſſunt pugilatus quoque & gladiatoria exercitia conferre, quæ ſanitati proſunt, robuſtum reddunt corpus, ad militaria negotia præparant, membrorum agilitatem pariunt. 10

10 7. De legibus.

Non poſſum hic non ſummè probare optimum Patrum Societatis JESU morem, qui cum omnia ad majorem DEi gloriam & proximorum utilitatem referant, tum maximè in ſuis ſanctiſſimis ſcholis, ante omnia poſt pietatem timoremque Domini, ea docent juventutem, quæ commodis reipublicæ inſerviunt, idque non tantum dum ſeria tractant, ſed etiam in iis, quæ animi cauſâ ſuſcipiuntur, ut cum in ſcenam producunt adoleſcentes, ad agendum perſonas hominum omnis prorſus generis, idque non inter cauſes, ſed in conſpectu lectiſſimæ coronæ.

§. XVIII.

De Educatione Filiarum.

QUamvis de iis, quæ ad filiarum educationem pertinent, ſatis dixiſſe videor, ubi de uxore eligenda tractavi, hic tamen pauca adhuc adjici poterunt. Et quidem, quantum ad religionem, timorem DEi, obedientiam, & pietatem attinet, eadem præcepta ſunt pro filiabus, quæ & pro filiis; quantum ad alias artes, omnino diverſa: Neque enim aut literæ, aut gymnaſtica, aut muſica, aut figurandi peritia, perinde mulieribus atque viris conveniunt. Optabile quidem eſt, ut omnes fœminæ legant & ſcribant, & quædam etiam Muſicam aliquam ſciant, non tamen ut altas ſcientias habeant, niſi paucæ, quas

---- ---- ---- ---- *æquus amavit Jupiter.*

Raras aves doctas mulieres vult eſſe in terris Rivetus. *In populo* inquit *DEi, raræ fuerunt Deboræ & Iaeles: nec ſatis feliciter ceſſit Ioannæ Lotharingæ hæc palæſtra, quam vivicomburio addixerunt Angli, quantumvis Aurelianenſibus noſtris, velut altera Pallas colatur, cujus tamen pudicitia, etiam inter ejus adoratores, in ambiguis eſt.* 1

Catæ & ingenioſæ fœminæ promtiores & acutiores ſunt ad inſtruendas machinas, quibus viros decipiant, 2 & magnę literę

1. Epiſt. ad Mariam a Schurman.

2 Muret. Var. lect. lib 8. cap. 21.

Q ſolent

ſolent fœminis non rarò eſſe exitio, petulantiæque ac inſignis laſciviȩ aut ſigna, aut comites. Cujus rei teſtes ſunt Sappho Poëtria, amore Phaonis inſaniens, & Sempronia mulier Romana, de qua hæc Salluſtius. *Sempronia multa ſæpe virilis audaciæ facinora commiſerat, mulier genere atque forma, prætera viro atque liberis ſatis fortunata fuit, literis Græcis & Latinis docta, pſallere ſaltare elegantius, quam neceße eſt probæ, multaque alia quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt. Sed ei cariora ſemper omnia, quam decus atque pudicitia fuit: pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile diſcerneres: libidine ſic accenſa, ut ſæpius peteret viros quam peteretur.* 3

3 In Bell. Catil.

Juvenalis quoque diſplicere ſibi in Satyris ſuis affirmat, diſertas ac eruditas mulieres, cum dicit:

Non habeat matrona, ſibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus, aut curſum, ſermone rotato
Torqueat Enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes. 4

4 Satyra. 6.

Non eſt ergo neceſſe, ut docta ſit literis, atque erudita fœmina,

Sed tantum lanas non ſinat eſſe rudes. 5

5 Penelop. ad Ulyſſem. apud Ovid.

At ruſtica erit. Quid ergo? nonne poterit ruſticatem ſibi objicientibus illud cum Helena reſpondere:

Ruſtica ſim ſane, dum non oblita pudoris,
Dumque tenor vitæ ſit ſine labe meæ. 6

6 Helena ad Paridem apud Ovid.

De Muſica fœminarum paulo aliter philoſophandum eſt. Hæc enim cum non tantum illis creet periculum, quantum literæ, concedunt illam ſcriptores fœminis præſertim nobilioribus, quia hac primo illæ ipſæ ornantur, deinde parentes illarum & mariti, atque amici exhilarantur. Qua de cauſa ſapientiſſimus ille vir, martyrque Angliæ Sanctiſſimus, Thomas Morus, poſtquam in matrimonium duxiſſet virginem admodum puellam, & adhuc rudem, utpote ruri inter parentes ac ſorores ſemper habitam, omni Muſices genere illam inſtruendam curavit. Illâ mortuâ duxit aliam viduam, magis curandæ familiæ, quam voluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipſe jocari ſolebat, ſed acrem & vigilantem matremfamilias: ac ſimiliter effecit, ut mulier jam ad ſenium vergens, adhæc animi minime mollis, poſtremo ad rem attentiſſima, cithara, teſtudine, monochordio, tibiis canere diſceret, & in hiſce rebus, quotidiȩ prȩſcriptum operȩ penſum exigenti marito redderet. 7

7 Def. Eraſm. in vita Thomæ Mori.

Ars

Ars quoque pingendi non dedecet virgines, & penicillo, quamvis hoc rarius, & acu semper. Memorabilis hac arte fuit Arachne Lydia puella, cujus merito magna sunt apud Poëtam præconia. Nam adeò insigne artis suæ specimen exhibuit, ut quamvis ea cum Pallade certaverit, tamen

Non illud Pallas, non illud carpere livor
Possit opus, doluit successu flava virago. 8

8 Ovid. Met. lib. 6.

Illæ tamen artes atque picturæ, quibus se fœminæ formosiores reddere conantur, nequaquam sunt permittendæ. Deo enim & hominibus sunt invisæ, cum illius opus destruant, horum verò oculos decipiant, ignaræ, quod (ut proverbio dicitur) fucus nunquam Helenen ex Hecuba faciat.

Profecto non potest quis de hujusmodi fœminis admodum bene sentire. Ut enim fictos in vultu colores habent, ita & fictas in mente cogitationes fovent.

Præterea convenientissimè virgines in lino & lanificio occupentur, exemplo cum filiarum Augusti Cæsaris, 9 tum Penelopes & Lucretiæ, quæ ob singularum castitatis amorem æternam memoriam meruerunt. Opera enim sunt hæc, ne ipsis quidem reginis aspernanda, imo ex divino quodam jussu præstanda, ubi de provida regina dicitur: *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* 10

9 Suet. in Aug.

10 Prov. ult.

Sunt & alia multa, quæ diligens materfamilias, nullo monente, filias suas docere potest. Hæc de artibus.

Jam verò de virtutibus, prima est & maxima in Virginibus castitas. *Filiæ tibi sunt*, (ait sacer Scriptor) *serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* 11 Pudore hic opus. Hic iis (si M. A. Petilium 12 audimus) pædagogus adhibendus, in timoris hospitio inveniendus. Vetus enim est verbum: Ubi timor ibi & pudor.

11 Eccl. 7.

12 Exarchiæ lib. 2. cap 1 3.

Non permittendæ sunt alienas ædes, maximè sine matre, aut matris simili custode, frequentare, item ociari, aut colloqui, non tantum cum maribus, sed etiam cum fœminis, maximè vetulis, ne viam ad scelus inveniant, fiantque impudentes. Conversari assuetæ audaciam induunt, verecundiam exuunt, pudoris frænum sensim deponentes. Hinc lascivia, hinc impudicitia emergit. Nam si animalia utcunque fera natura hominum consuetudine delinita palpanda se de-

dunt, multo magis & fœmellæ ſuapte natura, non feroces ſolùm, ſed & inſanæ.

Porro ſtudium vagandi, alienaſque domos viſitandi, non alia ratione melius in virginibus cohiberi poteſt, quàm humili cultu. Ita illas boni parentes ornent, ut veſtiant, non corrumpant. A teneris incipere ornare corpus, nihil eſt aliud, quam à teneris incipere animum corrumpere. His namque, quæ à teneris ornatui aſſueſcunt, adoleſcentibus poſtea, & ornatus, & cupiditas adoleſcat neceſſe eſt, adeo, ut jam grandes ſeipſas ſuperare ſtudeant, & monſtroſæ pulchritudinis quærant artificia. De quarum numero fuit illa, quam ſe vidiſſe aliquis teſte Stephano Guazzo aſſerit: cujus, (ut nihil de reliquo mundo dicamus) ſolum caput ita deſcribit. *Habebat comas criſpatas, & ita tortas, ut duorum cordium inter ſe colligatorum formam exprimerent. Inde emittebantur duo radii holoſerici, vividi, vel incarnati coloris, in modum duorum coriſcorum, ſive miſcilium. Circum corda annexi erant inter crines noduli quidam ex byſſo & capillis, qui amoris affectus & paſſionem repræſentabant. Poſtea cum in capitis vertricem oculos flecterem, tum in tegminis illius cono-floeculum ſive criſtam conſpiciebam, quæ ad quemcunque etiam leviuſculum motum, hac, illac, inſtar vexilli ſupra caminum erecti convertebantur. In fronte, capilli coronam quandam margaritis & auro ornatam efformabant, cujus in medio, tanquam in teſtudine, roſa diverſis nodis & coloribus intricata emicabat. Circa tempora, non ſecus ac hedera in muris, capilli annulati ſerpebant, quibus inſerti erant, partim naturales, partim fictitii flores, tanta in copia, ut cum hortis quoque Neapolitanis certare viderentur. Mitto mille alias minutias, quæ viſum mihi obſcurabant, & confundebant. Vt enim impreſſis quibuſdam chartis uſu venire ſolet, in quibus parvâ ſub figurâ, equitum cohortes, peditum turmas, itemque impedimenta, & bellica tormenta videre eſt.* Hæc ille. 13 Cui ornatui, quidam iſtiuſmodi inſcriptionem dedit, *Dei offenſio, Amantium ſpes, Maritorum ruina.*

13 De Civil. Converſ. lib. 3.

Profectò iſta, & ſimilis inſaniæ ornamenta, nihil aliud ſunt, quam vexilla ſuperbiæ, & nidi luxuriæ.

Dixi ſuperius, non eſſe permittenda virginibus colloquia cum viris. hic dico, etiam à cunis ita illas eſſe cuſtodiendas, ut ne puſillæ quidem cum maribus, utcunque puſillis, agant familiariùs. Nam adoleſcentibus ipſis adoleſcit & deſiderium, quod

jocos, oscula, & similia, innocenter ab ipsis habita, indies postea in mentem revocans, à simplicitate ad malitiam traducit, adeo, ut non raro sibiipsis, & parentibus, & generis universi existimationi, infelices fiant. Memorabile est, quod huc referunt, hac ipsa de causa mulierem quandam jactare solitam, se non meminisse unquam virginem fuisse, quod adhuc bima cum bimis, imitatione saltem lascivire incepisset, sic & sensim cum suis coævis semper continuasset, quousque quasi præcociore exercitatione præcociùs corrumperetur. 14 14 Rhod. lib. 8. cap. 8.

Si tantùm in parvis est periculum, quantum erit in magnis & jam ardentibus annis? Profecto non conversatio tantùm & colloquia in illis, sed etiam aspectus, quantùm fieri potest, vitandi sunt. Prima enim scintilla in cor ex oculis incidit. Res quidem parva est, & pœne dum cernitur (ut ait sanctus Hieronymus) non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui, quantumvis parvus ignis, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Ut non tantùm verum sit: Neglecta solent incendia sumere vires, sed & neglectæ scintillæ.

Prudentissimè quidam scintillam hujusmodi timebat, qui cum habuerit uxorem, totam (ut ita dicam) cœlestem, habitu oris, ac gestu venerabili, vultuque formoso, contigit, ut ipsam vir nobilis videret, & mox studio pulcherrimæ visionis prolectante, pictorem in ædes fœminæ mitteret, ad effigiem ipsius depingendam: at maritus id ejus nequaquam permittere voluit, pictoremque ex ædibus proturbavit, dicens: evenire facile posse, ut nobilem illum post exemplar ipsius etiam prototypi obtinendi cupiditas incesseret. 15. 15 Steph. Guaz. de Conversf. civil. lib. 3.

Huc spectat & Bonæ Deæ exemplum, quæ apud Romanos Kalendis Majis colitur, Fauni ea filia teste Varrone fuit, adeo pudica, ut extra gynæceum nunquam fuerit egressa: nec nomen ejus in publico fuerit auditum: nec virum unquam viderit, nec à viro visa sit: propter quod nec viris in templum ejus ingredi unquam licuit. 16 16 Macrob. lib. 1. cap. 12.

Ad hæc exempla vos advoco matres omnes, quæcunque virginum filiarum custodiam pervigiles obitis, ut castitatem illarum ad oculos usque illibatam custodiatis. Scitote aspectu amorem accendi, uti marcescentem in palea fœnoque ignem

 vento.

vento. Scitote castitate & pudore nihil esse in filiabus vestris amabilius. Credite vati.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo concisus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavêre puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic Virgo dum intacta manet, tum chara suis, sed
Cum castum amisit polluto corpore florem
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis. 17

17 Catullus in Epithalamio.

Scitote denique, nihil illâ custodiri difficilius. Quanto enim castitas major est, tanto in eam vigilantior libido. Nihil tam ardenter invaditur, quam quòd castis excubiis & fœmineo pudore vallatum est. Concesso calle corruptor it segnius, & permissa tepentiùs appetuntur. Multum concupitæ rei difficilis solet esse custodia. 18

18 Franc. Petrarcha. Dialog. 74.

Ut tamen custodiatur, lautæ filiabus dapes, & vestes (ut jam dixi) molles ac fulgidæ, annulique & armillæ detrahendæ sunt, & quicquid est aliud, quo & ipsæ sibi placeant, & placere aliis studeant. Objiciantur illis domesticæ curæ, pensa acus, & coli, & siquid est operis, quod suaves ac molles manus in callum duret. Seducantur à spectaculis, à concursu populi: festis etiam diebus domi contineantur. Nullum vagis ac discolis cogitationibus tempus relinquatur. Occupatio & labor, & incultior habitus, & victus asperior, & secessus, inque unum aliquid jugis intentio. Ad hæc testis charus & verecundus, frequens admonitio, dulces minæ, & si quando res exigat asperæ, Hæ sunt castitatis adversus impudicitiam seræ ac vectes, qui & insultantes otioso animo passiones arceant, & ingressas ejiciant. 19 His adde castitatis filiarum optimam custodem esse, matrum castitatem & exemplum, juxta illud:

19 Idem Dialogo. 73.

Insequitur leviter filia matris iter.

§. XIX.

§. XIX.

De Patria in liberos potestate.

PAtria potestas est jus, quod pater habet in liberos, tam quoad personas, quam quoad res eorundem. Hanc Aristoteles in Ethicis regio, sicut & dominicam tyrannico imperio similem esse affirmat. Hoc ut in Græcorum republica, in qua vixit Aristoteles, ejusmodi fuerit, in Romana certe Republica jure vetustissimo locum non habuisse ex eo manifestum est, quod haud minus atque dominus in servos pater in liberos suæ potestati subjectos vitæ atque necis haberet potestatem.

Sunt qui existimant potestatem patriam dominicâ fuisse graviorem teste Hermanno Vultejo, 2 eò quòd servus semel venditus exibat è potestate domini vendentis, quod non æquè erat in filio, quippe quem ter vendi oportebat, antequam potestate patria liberaretur, idque ex lege duodecim tabularum. Sed hæc opinio falsa est. Primum enim certum est, æquè filiam atque filium esse in potestate patria, & tamen una venditione filia fiebat sui juris. Deinde servus verè & reipsa vendebatur, & per venditionem in alius potestatem conjiciebatur, filius autem vendebatur, non verè sed imaginariè, atque ita etiam, ut post venditionem tertiam, sui juris fieret, quod non tantùm non erat grave, sed etiam maximè beneficii loco, eo quod per hanc emancipationem in potestate aliena esse desineret, suique juris fieri inciperet, ut explicant Jureconsulti, ubi de patria potestate disputant. 3

2 Instit. lib. 1. Tit. 9.

Eadem potestas etiam nexus paternus dicitur, & potestatis patriæ vinculum, & vinculum familiæ, & simpliciter vinculum potestatis. Dicuntur etiam sacra patris, & absolutè sacra. Sed ut plurimum potestas illa dicitur patria, idque à patre. Soli enim patri, non etiam matri illa competit. Atque ex hac est, ut filius dicatur filiusfamilias, & filia dicatur filiafamilias, quæ omnia legibus allatis probat Hermannus Vulteius. 4

3 § Præterea Instit. quibus modis jus pat. pot. Sol.

Lis est inter Scriptores de vi istius potestatis. Alii enim per eam vitæ necisque arbitrium tribuunt parentibus, alii negant, & potestatem eousque se extendentem iniquam esse contendunt.

4 Instit. lib. 1. Tit. 9. Num. 3. & 4.

Ego existimo temporum in hac controversia, locorum personа-

ſonarum, & aliarum circumſtantiarum habendam eſſe rationem, & ſecundum illas jam æquam, jam iniquam eſſe iſtiuſmodi poteſtatem, æquam ante leges, iniquam poſt leges illam tollentes. Certum enim eſt antequam leges circa hoc negotium latæ fuiſſent, poteſtatem hanc jure naturali homines, & à Deo habuiſſe. Antequam enim ulla omnino conſtituta eſſe intelligatur reſpublica politica, quæ nonniſi ex pluribus familiis con-
5 1. Polit. cap. 8. ſtituitur teſte Philoſopho, 5 penes ipſas familias ſingulas jure naturali fuit poteſtas interficiendi, ac puniendi malefactores, eo ipſo, quod ſuperior aliqua poteſtas conſtituta non fuerit, in quam familiæ ſuam tranſtulerint poteſtatem. Ita namque reipſa primus homo, ex quo, tum Eva, tum cæteri homines procreati fuerunt, ab ipſa quodammodo naturâ, non tantum dominicam & patriam poteſtatem, ſed etiam inter homines juriſdictionem ſupremam, & quaſi civilem habuit, ſupra totam familiam, ſaltem, quamdiu filii ſub poteſtate patria viverent, propriaſque ſibi ſedes non conſtruerent, quæ tamen poteſtas, non fuit propriè regia aut politica, eò quod communitas illa
6 Quem vide de legib. pag. circ. 1011. necdum conſtabat ex pluribus familiis. Ita Tannerus. 6

7 Tom. 1. de Juſt. Diſp. 22. & 100. Ludovicus verò Molina 7 cenſet etiamnum fieri poſſe, ut ſicubi familiæ ita ab invicem ſint diſſitæ, ut necdum communem habeant ullum ſuperiorem (ut de facto fit apud Braſilienſes) ſingulæ per ſe & propria auctoritate habeant ſupremum jus gladii, quo etiam aliis, ſi injurias inferant, bellum indicere, juſtamque de illatis injuriis vindictam ſumere poſſint. Et recte, quia omnis communitas, nullum ſuperiorem in humanis recognoſcens, debet eſſe ſufficiens tum ad ſe defendendum, tum ad jus ſibi dicendum, quod etiam natura aliis animalibus conceſſit: at domus, cujus ſupremum caput eſt paterfamilias, non dependet in humanis ab ullo ſuperiore, quia nulli alii capiti ſe ſubjecit, ideo nihil impedit, quominus ſibi ipſi per modum ſupremi magiſtratus jus dicere poſſit.

Doctrinam hanc etiam Ariſtotelis fuiſſe certum eſt, ſecundum quem omnis domus regitur à Seniore: Quare & coloniæ inde prognatæ propter conſanguinitatem. Et hoc eſt, quod inquit Homerus:

Iura dant ſinguli natis & uxoribus

8 1. Polit. cap. 1. Sparſim namque etiam ſic antiquitus habitabant. 8

Qui

Qui patrium jus in vitam liberorum iniquum esse dicunt, hæc pro sua opinione stabilienda adferunt. Primo vindictam privatam nemini tuto posse concedi. 9 Quapropter Adrianus in insulam deportavit patrem, qui in venatione filium interfecerat, ob adulterium cum noverca commissum, quia inquit, non est hoc parentis, sed latronis in modum interficere, & addidit: Potestas patria debet in pietate, non in atrocitate consistere. Nituntur & auctoritate Ulpiani Jurisconsulti, qui filium apud judices à patre accusandum scribit, 10 & rescripto Diocletiani, qui rescripsit, magistratui esse inter parentem & filium judicandum, 11 quod consonat cum lege divina, 12 qua jubentur filii contumaces ad judicem duci, ut ab eo, ad arbitrium patris, condemnentur. Alioquin (loquitur Arnisæus 13) plus aget pater, quam debeat, sicut Plato in ira noluit servum castigare, sed Speusippo verberandum tradidit: Quia ego inquit irascor, plus faciam quam oportet. Non enim prodit ad puniendum filium pater, nisi admodum graviter læsus, & ad maximam iram commotus, quam justus dolor adauget, inde conceptus, quod putet minimè omnium læsionem sibi à filio expectandam fuisse.

9 l. 10. ff de Jurisdict.

10 l. Inaudi tu ad. l. Cornel. ad Sicar.

11 l. Si filius de pat. pot.

12 Deuter. 21.

13 Doctr. Polit. lib. 1. cap. 5.

Ad eandem rem adducunt quoque exempla: Bruti, qui sine affectu & perturbatione filiorum suorum cædes spectavit: 14 Manlii, qui deprecante universo exercitu filium ad mortem decrevit: Lysimachi, qui Agathoclo filio venenum propinavit: Solymani, Constantini, Irenes imperatricis, Laodices, reginæ Cappadociæ, qui, quæve, crudeliores in suum sanguinem fuerunt, quam alii in alienum. 15

14 Livius lib. 2. in prin.

Addunt & illud, quod parentes, quo impensius antea liberos amaverunt, eò graviori odio eosdem habere soleant, postquam læsi fuerint ab illis. Sicut & fratrum odia tenaciora sunt postea, quòd ante conjunctius inter se vixerint. Minimè enim æquo animo ab iis se lædi homines patiuntur, à quibus non tantum nihil mali, sed summa beneficia meriti sunt.

15 Justin lib. 17. Busbeq. Epist. 1. Zozim. & Victor. Zonar. in Iren.

Tandem dicunt liberos esse viscera & partes suorum parentum, suis autem membris, nemo debet vim inferre, ut clare id lex statuit. 16

16 l. 3. ff. ad Aquil.

Propter has & similes rationes, non tantum Valentinianus & Valens, modum patriæ potestati posuerunt, dum placuit, si

atrocitas facti jus domesticæ emendationis excesserit, enormis delicti reos, potius judicum notioni dedi. 17 Quod & Alexandro placuerat. 18 Postea Constantinus Magnus, cæteras leges de summa ista potestate omnino antiquavit, & filiorum interfectores ut parricidas puniri voluit. 19

17 l. in corrigen C. de emend. propin.
18 l. si filii § 1 C. de patr. pot.
19 le. Si quis C. de his qui par. vel lib. occid.

Contra hos copiosè disputat Bodinus, 20 Lege (inquit) divina tributa parentibus potestas est in filios erga se rebelles lapidibus obruendi, modo id fiat præsente magistratu, cui nulla ejus rei cognitio aut jurisdictio datur: quod ideo decretum est, ne pater iracundia percitus latenter filium occidat, & pereat fructus pœnarum, qui omnium maximus est, exemplum. Altero capite divinæ legis cavetur, ut qui parentibus convicium fecerit, capitali pœna puniatur, eaque non parentibus sed magistratibus ipsis cognitio datur, ne scelus inultum sit.

Miror hic Bodinum, virum alioqui summi ingenii & raræ eruditionis, temere planè asserere, non fuisse populi divini magistratui datam à DEo potestatem, causas capitis inter parentes & liberos judicandi, cum clare id Sacræ literæ innuant, quarum ista sunt verba: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicensque ad eos, filius noster est protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis, lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescet*, 20 Ex his certe perspicuum est, lege illâ, vitæ necisque liberorum arbitrium, translatum esse à parentibus ad judices ac magistratus. Præscribit enim in illa Dominus DEus certum quendam ordinem judicii criminalis in delictis liberorum: jubet sceleratos filios apprehendi seu capi: jubet illos duci ad seniores civitatis, seu judices in locum judiciis designatum congregatos: jubet accusare: jubet contra accusatos mortis sententiam ferri: jubet denique ut populus eam exequatur, reosque lapidibus obruat.

20 Deuter. 21.

Dicet forsitan aliquis pro Bodino: Non fieri ibi ullam judicum mentionem. Sed hoc dici non potest. Quamvis enim ibi non sit judicum vocabulum positum, est tamen vocabulum seniorum, qui quod pro judicibus eo loci intelligendi sint, ex

multis capitibus ostendi potest: primo quia ad eos reus adduci, secundo, quia idem accusari, & causa coram illis explicari debet: tertio, quia in loco judicii id fieri præcipitur.

Nec valet, quod dicit Bodinus, hęc ideo divinitus mandata in illa lege fuisse, ut ejusmodi liberi pœnas coram populo patiantur, quò severitate exempli à delictis deterreatur. Non inquam valet. Si enim illud duntaxat ibi divina lex voluisset, non ad seniores civitatis duci, neque in tribunali ejusmodi reos accusari constituisset, sed (quod sufficeret) in publico loco convocatis populis parentes commeritas de filiis pœnas sumere jussisset.

Ad hæc, docet ipse Bodinus, capitali pœna teneri liberos, qui convicium faciunt parentibus suis, eamque cognitionem non parentibus ipsis, sed magistratibus à Deo dari. Quod cum doceat hic, & aliud alibi, quis non videt eum apertè sibi ipsi contradicere. Nisi forte quis dicat, pœnas capitis ex certis delictis per parentes, ex reliquis verò per judices sontibus debere irrogari. Quod ut facile dici, ita & facilius refutari potest. Sed cum Bodino satis.

Argumenta illorum Scriptorum, qui nihil parentibus in vitam liberorum potestatis concedunt, vim adeo magnam non habent. Primum illud à privata vindicta ductum, quam imbecillum sit, ille tantum non videt, qui liberos, nonnisi contra solos parentes peccare posse existimat: nam in hujusmodi tantum delictis privatæ ultionis causæ reperiuntur: in reliquis verò, quæ vel contra DEum, vel contra rempublicam, vel contra alios homines perpetrantur, nullamque privatam parentum offensam continent, citra ullam privatæ vindictæ suspicionem puniri possunt.

Alterum argumentum, ab exemplo Bruti, Manlii, & aliorum, qui crudeles in suos liberos fuisse videntur, petitum, non magis quàm primum oppugnat, quia Brutus & Manlius severiores potius quam crudeles dicendi sunt, quo fortassis & alii defendi possunt. Et ut demus nonnullos parentes extitisse, qui hâc vitæ atque necis potestate, ad injustam filiorum necem abusi fuerint, non ideo tamen, aut lex summam parentibus tribuens potestatem injusta esse potest, aut sapiens legislator legis optimæ rogationem deseret, quia aliquis contra legem aliquando peccaturus est. Contritum est illud in jure, quarum rerum

rarior est eventus, earum, nullam legumlatoribus curam esse oportere. 21 *An est ullum* (inquit Bodinus superius citatus) *edictum, ulla rogatio, ullum rescriptum, quod suis incommodis vacare possit? Atqui leges propter sua quædam incommoda qui tollere volet, omnes ad unam abrogare necesse habebit, ut prudenter Cato major* 22 *disserebat. Quanquam fieri nullo modo potest, ut tantus parentum erga filios amor, cum tanta crudelitate, id est, injusta liberorum cæde conjugari possit. An tormentum parenti gravius ullum est, quàm filium jure vel injuria occidisse? Nostra quidem ætate, cum in Andium agro pater filium castigare cupiens, quem fugientem consequi non poterat, terræ glebâ duriore in caput temerè adacta nemine conscio necavisset, laqueo sibi gulam doloris impatientia fregit. Quæ cum satis intelligerent antiqui legumlatores, apud Ægyptios in eum, qui sine justa causa filium necavisset, non aliam pœnam decreverunt, quam ut cum filii cadavere triduum concluderetur. Sapienter illi quidem, cum propter filii cædem parentibus vitam, quibus filius suam deberet, eripi nefas esse judicarent: Sed ne patria potestas reipublicæ obesset, eadem solutas erat filius in iis, quæ ad rempublicam pertinerent.* Hæc ille.

21 l.3.4. & 5. de leg.

22 apud Liv. lib. 35 in orat pro leg. Oppi.

Illud quod de maximo parentum erga liberos amore objiciunt, & quod dicunt, eosdem liberos membra ac viscera suorum parentum esse, id inquam magis est pro ista patria potestate, quam tanta amoris & sanguinis potentiâ ita contineri ac constringi necesse est, ut nullo modo in crudele atque tyrannicum imperium abire possit. Profectò si quis rectè in hac causa ratiocinari voluerit, ex nimia potius parentum erga liberos indulgentia, quam eorundem sævitia, contra supremam parentum potestatem tela petet. Tantus enim parentum erga liberos amor est, ut & illos plusquam seipsos diligant, & illorum scelera, quantumvis nefanda fuerint, & summa, sæpissimè puniri nolint.

Insigne amoris patrii exemplum habemus in illo, qui fictum fortassis crimen confitendo vitam filii sui servavit. Nam cum Carolus Magnus nesciret, an pater, an vero filius quendam occidisset, finxit se utrumque velle suspendere, cujus rei metu, pater statim confessus est, se cædem fecisse. 23 Huc spectant & ea, quæ de isto parentum amore sæpe jam citatus Bodinus notavit. *Anno* (inquit ille) *millesimo quingentesimo sexagesimo quinto contigit Castilione, patrem à filio, quem leviter castigare vellet, lethale vulnus*

23 Barba in cap. in præsentia.

vulnus accipere: pater metuens, ne filius à magistratu comprehensus capite lueret, ad extremum usque spiritum cohortari non destitit, ut fuga saluti suæ consuleret. Iudices comprehensum & confitentem pedibus è sublimi trabe aliquandiu pendere, gravi saxo ad collum alligato, deinde vivum flammis comburi jusserunt. Ac paulo ante in agro Tolosatum mater quædam omnes filii contumelias verbera injurias prius perpeti maluit, quam accusare filium apud judicem, qui ad extremum re turpissima commotus, quod scilicet filius in matris cibarium ventrem exonerasset, pecunia mulctatum relegavit: qui cum provocasset ad curiam Tolosatem, judices inique judicatum resciderunt, hominem perditum vivum cremari jusserunt, matre miserrima querelis legum ac judiciorum atrocitatem incusante, commiserationem judicum necquiquam implorante.

Seneca vero, ubi agit de patris erga filium castigatione, & ejectione: *Quam difficile est*, inquit, *patri membra sua sibi amputare! quæ suspiria ducit secando! quoties amputata liget! quoties eadem restituere conatur!*

Ex quibus facile perspici potest, tantum parentum erga liberos esse amorem, tantamque pietatem, ut nihil in liberos turpiter, nihil indecore moliri, sed justè ac utiliter consilia pro liberis capere censeantur. 24 Itaque fraus omnis in negotiis liberorum semper à parentum voluntate abesse judicatur. Quin etiam sæpe patres jura omnia, sacra & prophana, violare non dubitant, ut liberos opibus & honoribus cumulare possint. 24 l. cum furiosus Cod. de curat. furios.

Sed dum tantum esse amorem parentum erga liberos ostendimus, ipsi contra nos arma videmur exacuere adversariorum, qui læsum amorem dicunt transire in furorem. Fateor contingere, ut aliquando læsus amor vertatur in iram, quæ sapientum judicio brevis quidam furor est, 25 id tamen raro solet evenire, quod ipse exemplorum numerus ostendit. Adhæc illi ipsi sapientes, qui iram insaniam aut furorem esse voluerunt, brevem illam aut illum esse dixerunt. Jam autem, quæ exigua sunt, & perrarò contingunt, legum (ut jam dictum est) rogationem non impediunt. 25 Apud Senec. lib. 1. cap. 1.

Quare, qui patriam in vitam liberorum potestatem semper iniquam esse dixerunt, non habuerunt ea omnia in consilio, ob quæ plurimæ & nobilissimæ gentes, ipsa naturâ quodammodo (ut supra dixi) jubente, illam multis sæculis in sacrosancto usu habue-

habuerunt. Ex quarum numero fuerunt Persæ, & superioris Asiæ populi, Romani, & Celtæ. Eadem consuetudo Indorum omnium, qui sunt ad occasum, communis fuisse dicitur, priusquam Hispani novas leges dedissent. Eadem Gallorum. *Galli*, inquit Cæsar, *potestatem vitæ ac necis in uxores ac liberos æquè ac in servos habent*. Ac tametsi lege Romulea potestas uxoris necandæ quatuor ex caussis tantum tribueretur, nihilominus *eadem lege* inquit Bodinus 26 *patri data potestas est liberos necandi, nulla conditione, aut exceptione subjecta: nec filiofamilias quicquam sibi habere, aut acquirere permissum, sed patri, quocunque modo quæsita bona fuissent. Eadem potestas in adoptivos filios adoptanti patri data est. Et quoniam decemviri legibus ferendis imperium illud vitæ ac necis in liberos universæ reipublicæ vehementer utile esse judicabant, legibus duodecim tabularum sanctiùs ac severius confirmarunt, & patri filios vendere permiserunt: quod si seipsos in libertatem vindicarent, aut ab emptoribus manu mitterentur, iterum, ac tertio venumdari posse voluerunt. Quæ lex Indorum nationibus, quæ positæ sunt ad occasum, communis fuisse dicitur. Apud Moscovitas & Tartaros, quos veteres Scythas Asiaticos vocabant, quater filium vendere etiamnum parenti licet. Hoc jure patriæ potestatis Romanam rempublicam diutissime stetisse, & ab interitu sæpius servatam fuisse constat, cum patres de rostris liberos, seditiosas leges promulgantes, dejicerent: ut quidem Cassius filium, legem agrariam ad tuenda populi commoda ferentem, de comitio præcipitem, spectante populo Romano, disturbavit, deinde familiari judicio damnatum neci dedit, attonitis nequicquam civibus, cum & magistratus & viatores patriæ potestati obsistere nefas esse ducerent.* Hæc Bodinus, qui rectam quoque puerorum institutionem, quâ nihil in republicâ utilius ac melius cogitari potest, totam à patria ista potestate derivari dicit. Nam nullam cognitionem suscipiunt magistratus, quod liberi parentum jussa contemnunt, quod aspernantur, quod irrident: neque judicia constituuntur adversus filios aleatores, ebriosos, alienæ pudicitiæ constupratores: & ut sint judicia peccatis hujusmodi constituta, nihilominus tamen, quia parentes existimationi ac dignitati suæ consuli volunt, filios apud magistratum nunquam deferunt, nunquam accusant. Ita fit ut liberi sublato parentum metu, sæpius eludant magistratuum judicia, quæ fere in servos tantum & extremæ conditionis homines comparata videmus.

26 lib. 1. de repub. cap. 4.

Post

Post puerorum institutionem idem Bodinus eidem patriæ potestati in acceptis refert fratrum ac liberorum inter se concordiam. *Contentiones* inquit, *dissidia, lites, quæ fratribus inter ipsos intercedere videmus vivo ac spirante patre facile dirimebantur, quia patriam potestatem connubia non minuebant. Ac tametsi filios aliquando pater emanciparet, quod pro magno beneficio virtuti liberorum tribui solebat, nihilominus paternæ reverentiæ vestigia in liberorum animis ac mentibus perpetuo impressa exstabant. Quid est igitur, quamobrem miremur, tot litibus ac judiciis magistratus impediri, quæ judicia fere semper seruntur virum inter & uxorem, parentes ac liberos, fratres ac sorores, quoniam uxor liberi, servi domestica veterum potestate soluti sunt. Itaque mirum videri non debet, si patria potestate sublata decus Romanorum ac nobilitata virtus una cum magistratuum ac legum metu, repullulantibus undique vitiis ante imperii occasum extincta fuisse videatur. Prima labes & patribus eripiendæ potestatis origo à magistratuum ambitiosis decretis manavit. Nam cum amplificandæ jurisdictionis causa rerum omnium cognitionem judices ad se paulatim pertraherent, imperia domestica conquieverunt: id quod potissimum contigit post Augusti Cæsaris occasum, quo tempore magistratus, in parricidarum judiciis constituendis fere semper occupatos fuisse legimus.* Hactenus ille, qui non alia mente (ut ipse fatetur) tam studiosè ea quæ retulimus collegit, quam ut illis, quos penes est legum ferendarum potestas, persuadeat summæ istius parentum potestatis in integrum restitutionem.

Restant adhuc Ulpiani ac Pauli Jurisconsultorum responsa, & Imperatorum leges, summam parentum in liberos potestatem abrogantes, quas contrariæ opinionis auctores contra patriam potestatem objecerunt. Verum hæ cum tantum ad futura negotia se porrigant, nullo autem modo ad præterita, ideo illorum tantùm patrum suprema ista in liberos potestas iniqua est, qui jam legibus vetantibus usi sunt eâ, aut utuntur, quod disertè superius dixi, 27 non autem illorum, quibus nulla lex imperium illud abrogabat. Cum enim hi, quo ad istud imperium, & à natura jus habuerint, & legibus humanis soluti fuerint, habuerunt utique illud sine ulla iniquitate. Hæc enim non existit, nisi prius lex, & legis contemptus existat. Illi verò qui legibus contrarium jam præcipientibus non obediunt, summaque potestate in liberos animadvertunt, iniqui

27 à numero 4. ad 5.

qui ſunt omnino, quia juſtas leges, quibus parere debent, violant.

Quantum attinet ad Juriſconſultorum reſponſa, illa non plus hic præſtant, quam quod leges Principum, de ſumma parentum in liberos poteſtate tollenda latas, magis quodammodo probabiles, acceſſione ſua faciant.

Verum, ut ad id, quod ab initio dixi, redeam: Ego quemadmodum ſummum illud parentum in liberos imperium juſtum & legitimum fuiſſe dico, ita & leges Principum, per quas non parùm eidem parentum imperio derogatum eſt, æque juſtas ac ſanctas eſſe non dubito. Nam primis illis ſæculis melius erat ſummo parentum imperio liberos ſubjici, tum ex aliis cauſis, quæ nunc non exiſtunt, tum quod ipſa natura, quo jure parentibus educationem & inſtitutionem liberorum mandaverat, eodem regimen quoque & imperium in ipſos conceſſerit. 28 Poſterioribus vero temporibus, ex certis itidem cauſis, eadem poteſtas, quæ originetenus à jure naturali fuit, meritò à jure civili formata (ut Jureconſulti loquuntur) & mutata eſt. Meritò inquam, quia patria poteſtas in pietate non in atrocitate debet conſiſtere, 29 id eſt (ut explicat Diodorus Tuldenus. 30) commodando, conſulendo, ſervando, non perdendo, ſe experiri.

Nec ideo dicere aliquis poteſt, iniquam illam poteſtatem fuiſſe, quia nunc mutata & diminuta eſt: Quia id multis legibus etiam juſtiſſimis commune eſt, quæ pendent à rerum temporum & cauſarum conditionibus, ut Jureconſulti & Theologi demonſtrant.

Porro cum poteſtati illi patriæ, non tantum vita liberorum, ſed etiam res eorundem ſubjectæ fuerint, adeo ut filii familias nihil potuerint proprium habere, ſed omnia per ipſos parentibus acquirebantur, ideo mutatio illa à legibus facta non tantum poteſtatem parentibus in vitam liberorum ademit, ſed etiam jus ad bona eorundem ita temperavit, ut neque liberis ipſis infructuoſa induſtria tædio ſit, & patribus prærogativa principatus in familiam conſtet. 31 Et ſane priſci juris rigor longius recedere videbatur à natura, ſecundum quam, ut Apoſtolus ait, non liberi parentibus, ſed parentes liberis acquirere convenit. 32 Quæ autem & quotuplicia ſint ea bona, quæ filii familias

28 L. 2. ff. de juſt. Plin. in Paneg. jactant. 4. Inſt.

29 lege 5. ff. de l. Pomp.

30 Comment. ad Inſt. tit. 9. cap. 2.

31 l. 195. de Verb. Sign.

32 4. ad Cor. 12.

lias à patrimoniis patrum ſeparata poſſident, maximè juribus Romanis definita, explicant Juris interpretes, ubi agunt de Peculio: Item, qui liberi quorum parentum ſubſunt poteſtati, & quibus modis illa acquiritur, atque ſolvitur, ab iiſdem copioſè tractantur.

§. XX.

De Liberorum erga parentes Officio.

QUodnam ſit parentum erga liberos officium ex iis, quæ proximè diximus, facile potuit intelligi. Hic quid liberi debeant parentibus explicandum eſt. Plato cum leges, quæ ad Dei cultum pertinent, quibuſdam capitibus complecteretur, præfari ſe dixit de cultu liberorum erga parentes, quibus hoc ſpirabile cœlum vitamque debent acceptam ferre. 1 Quo facto voluit indicare vir ſapientiſſimus, cultum parentum proxime ad cultum divinum accedere, nec poſſe illos Deum colere, qui non coluerint & parentes.

1 Bodinus lib. 1, de repub. cap. 4.

Et vero inſpectis parentum meritis & amore, ſumma quæque parentibus à liberis deberi, nemo ibit inficias. Meritorum autem ac beneficiorum, quæ liberis præſtant parentes, inde exiſtit magnitudo, quòd ea in illos, non obſequiis ipſorum, ſed amore quodam cœco impulſi conferant: amore inquam cœco, quia nihil in illis amabile vidente. Veriſſime dixit Homerus.

—— —— nil ſpirat, terra neque repit in alma
Tam miſerum, quam ſunt homines. 2

2 Iliad. ρ.

Id quod de infantibus recens natis (ut notavit Plutarchus 3) dictum minimè fallit. Nihil enim eſt ita imperfectum, inops, nudum, informe, ſpurcum, ut homo à partu ſtatim conſpectus, cui ſoli ferè, ne exitum quidem in lucem mundum natura conceſſit, ſed ſanguine inquinatus, taboque oppletus, & occiſo magis quam nato ſimilis, à nemine tangi, tolli, ſuaviari, ac complexu foveri poteſt, niſi naturâ inſitum gerente amorem. Qui Plutarchus addit & illud, quod pariendi & alendi finis non ſit neceſſitas, ſed amor: *Refer* (ait) *ſermonem ad priſca tempora, quæ primæ pepererunt, qui primi natum infantem viderunt, his neque lex ulla neceſſitatem alendæ prolis imponebat, neque exſpectatio gratiæ jubebat infantibus alimenta tanquam fœnore locare. Quinimò infenſæ*

3 De amore prolis.

potius proli, & memores acceptorum maleficiorum erant alioqui futuræ, utpote tantis periculis laboribus doloribusque exhaustæ.

Vt cum parturiens mulier penetrante sagitta
Fixa gemit, duris quam partibus Eileithyæ
Quæ præsunt natæ jaciunt Iunonis acerbam,
4 Iliad. λ. *Et sævos partu cumulant urgente dolores.* 4

Hæc mulieres ajunt non ab Homero scripta fuisse, sed ab aliqua Homeride, quæ peperisset, aut etiamnum pareret, mixtionemque doloris simul acerbi atque acuti in visceribus sentiret. Verum insitus à natura amor parientem flectit atque ducit. Etiamnum calida doloribus, ac cruciatibus concussa, & tremebunda, infantem non præterit neque fugit, sed ad eum se convertit, arridet, tollit, osculatur, nullam sane percipiens dulcedinem, nullam utilitatem, sed laboriose ac ærumnose.

Ad hoc paratis excipiens cunabulis
Fovet, refrigeratque identidem novum
Cumulans labore laborem, nocturnumque opus
Mutans diurno.

Qui vitem æquinoctio verno serit, uvas ex ea legit autumnali, occidentibus Pleiadibus qui triticum seminat, metit sub ortum earum. Boves, equi, alites, jam usibus paratos edunt fœtus, hominis educatio laboriosa est, incrementum tardum, virtus ita in longinquo sita, ut plerique parentes prius ex hac vita decedant, quam filii virtutem suam demonstrent. Non vidit Salaminiam Themistoclis victoriam Neocles, neque Cimonis res ad Eurymedontem gestas Miltiades, non audivit Periclem concionantem Xanthippus, neque Platonem philosophantem Aristo, neque Euripidis & Sophoclis victorias patres eorum cognoverunt. Balbutientes eos & literas in syllabas cogentes audiverunt: comessationes, potationes, amores, aliaque id genus filiorum delicta videre patribus contigit, adeo ut illa duntaxat Eueni inscriptio memoretur ac laudetur:

Per tempus patri est filius omne dolor.

Et tamen finem non faciunt filios educandi. Hæc Plutarchus. Quæ ideo hic commemoravi, ut intelligant liberi, quantùm sint obstricti suis parentibus, quibus amorem, reverentiam, & obedientiam præstare tenentur, pro ipsorum erga se beneficiis, amore, & solicita educatione. Quæ quidem parentum beneficia ejusdem esse excellentiæ, cujus sunt regia erga subditos, docuit Philosophus: imo majoris. Nam postquam explicuit beneficia

regis erga subditos, dixit: *Talis autem paterna* (scilicet amicitia) *etiam est, tametsi magnitudine beneficiorum præstat, auctor enim ejus est, quod videtur esse maximum, ut videlicet sint filii, eorumque educationis & institutionis.* 5 Hinc optime idem quoque Philosophus infert, honorem quidem parentibus deberi à liberis maximum, quamvis putet nullum posse reperiri, qui par sit ipsorum meritis. *Retribuendus* inquit *honor est, atque id quatenus facultas ipsius fert. Quod enim fieri potest, non quod pro dignitate sit, amicitia exigit, sicut in honoribus, qui Diis aut parentibus exhibentur. Nemo enim referre his dignam gratiam potest, sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur.* 6

5 Ethic. lib. 8 cap. 11.

6 Ethic. lib. 8. cap. 14.

His similia de eodem parentum cultu alii etiam plurimi Philosophi docuerunt, quæ si referre vellem, longus essem. Platonis tamen illud non est prætereundum: *Cujus pater* inquit *& mater, vel horum parentes confecti senio, quasi thesaurus quidam domi jacent, is putet nunquam aliud sibi tale simulachrum magis efficax domi suæ affuturum, si rectè ut decet ab eo colitur.* 7 Divina profectò & summè pia est doctrina ista, DEo placens, & hominibus salutaris. Nam (ut idem Plato docet) & DEus gaudet honoratis parentibus, & perfidus diis hominibusque invisus atque infelix est, qui parentes negligit. 8 Id quod Poëta quoque innuit, dum dicit:

7 Lib. 11. de legib.

8 Demosth. Orat. 1. contra Areopag.

—— —— —— —— Cui non risère parentes
Nec DEus hunc mensa Dea nec dignata cubili est. 9

9 Virgil. Ecl. 4.

Quibus autem in rebus, ac quibus modis honorandi sint parentes, si qui sunt qui quærant, illis respondetur, in omnibus rebus, & modis omnibus eos esse honorandos: opere, verbis & omni patientia. Aristoteles inter illa, quæ liberi debent suis parentibus, præcipuo loco numerat alimenta. *Parentibus,* inquit, *alimenta præcipue suppeditanda esse videntur, utpote cum debeamus, cumque illis, qui in causa sunt, ut simus, honestius sit, quam nobis ipsis in his opem ferre: honor quoque parentibus, quemadmodum diis exhibendus est.* 10 Ac tametsi patres virtutibus, ac potissimum metu Dei liberos erudire tenentur, non tamen si patres officium suum neglexerunt, liberi excusantur. Est enim contra officium, quod legislator Solon filios ab alendis parentibus excusavit, si nullam ab iis artem didicissent. Quid dico contra officium? Contra humanitatem etiam, & contra ipsam est naturam,

10 Moral. Nicomachor. lib. 9. cap. 2.

à quâ, non tantum humanis mentibus & animis ista obligatio insita est, sed etiam bestiis ipsis rationis expertibus pietatis hujusmodi sensus ingeneratus est, quæ fractis senio parentibus alimenta præbere deprehenduntur, quales sunt plurimorum scriptorum testimonio ciconiæ. Mirantur homines illud pietatis erga parentem exemplum, quo pictores ad hęc usque tempora suas tabulas exornare solent, scilicet filiæ erga patrem capitis damnatum, quem cum inedia per leges mori oporteret, filia oblatis clam uberibus in vita servavit. 11 Mirantur inquam homines. Ego dum ciconias cogito, ingenium tantummodo illius filiæ miror, non pietatem, quæ id suo parenti reddidit, quod ei omni jure debuit. Omni inquam jure, quia id & natura brutis ut dixi, & mos gentibus, & DEus populo suo prę-scripsit. Et ut de sola hic lege divina aliquid dicam, tanta est illa, ut sola vim maximam contineat ad cultum parentum in liberis excitandum. Sola namque illa ex omnibus Decalogi legibus præmium liberis proposuit, qui parentes cultu prosequuntur: Sicut è contra nulla exsecratio major in sacris libris legitur, quam adversus eum, qui ad male tecta patris pudenda scelerate arrisit. Unde mirari debet nemo, certamina & contentiones filiorum, iisdem sacris literis descripta, pro fausta parentum precatione adipiscenda, ac præripienda, execrationemque paternam iisdem, ipsâ morte fuisse acerbiorem, cum & Plato doceat, deos nihil exaudire faciliùs, quam imprecationes parentum. 12 Quod fortassis Turcæ quoque legerunt, qui inter octo sua vitæ præcepta tertio loco jubent colere parentes. 13

11 Dicitur fuisse filia Cimonis, teste Pausania in Phocicis.

12 Plat 9. & 11. de legib. Heracl. de off. lib.

13 Arnis. Doctr. Pol. lib. 1. cap. 5.

Quemadmodum autem nullum est in omnibus tum divinis tum humanis sanctiùs, quam de honorandis parentibus edictum, ita nullum est detestabilius scelus, quàm quo pietas erga parentes violatur, etiam dum solo vultu violatur: quid quando manu? Horatius 14 scelestissimum hominem descripturus: *Illum*, inquit, *parentis crediderim sui fregisse cervicem*, quasi scelestius dicere nil potuisset. Et Justinus, 15 cum scripsisset Antipatrum matrem suam interemisse, id factum ait eo gravius fuisse visum omnibus, quod nullum maternæ fraudis vestigium fuit: quanquam in parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest, cum in eo omnia scelera complexa esse videantur.

14 2 lib. Ode 13.

15 lib. 16. in prin.

Lege Servia in eos,qui parentes verberaſſet,capitale ſupplicium propoſitum eſt. Verba legis hæc ſunt: SI PARENTEM PUER VERBERARIT, AST ILLE PLORASSIT, PUER DIVIS SACER ESTO. 16 Juſtiſſima profectò lex. Nam ſi legum imperio is, qui centurioni caſtigare ſe volenti reſiſtit, notatur, & qui vitem tenet, militiam mutat, & denique, qui eandem vitem ex induſtriâ frangit, vel manum centurioni infert, capite punitur, 17 multo major pœnarum acerbitas debetur filiis, qui ſimilia audent adverſus parentes, quibus magis quam milites centurionibus ſubjecti ſunt, utpote à quibus vitam & omnia ſua acceperunt.

16 apud Feſt. Pomp.

17 l. milites 13. ff. de re milit.

Lex vero Pompeia ſtatuit, ut ſi quis parentis fata properaverit, ſive clam, ſive palàm, id auſus fuerit, neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii ſolenni pœnæ ſubjiciatur, ſed inſutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, ac inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſecundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare,vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, & terra mortuo auferatur. 18 Vipera ob ſimilem impietatem ſupplicio addita eſt. Dicitur namque uterum matris perrodere. 19 Simia exoſculando & comprimendo enecat fœtum. 20 Inſuitur corio bovis, vel culeo, ne corpore ſuo inquinet undam, qua ſolent omnia cætera expiari.

18 §. 6. Inſt. de Pub. Jud.

19 Plin. lib. 10. c. 62.

20 Idem lib. 8. cap. 51.

Hæ ſunt & his ſimiles aliæ parricidii pœnæ ab hominibus excogitatæ, quas ſi qui effugiunt, incidunt in divinas, ut docent exempla huc à ſcriptoribus adducta. Selymus eo ipſo in loco, quo patrem fugientem, fratremque trucidavit,interficitur. 21 Adolphus Dux Geldriæ, qui patrem aſperrime tractaverat, miſerabiliter demum trucidatus eſt, & in partes minutiſſimas diſſectus. 22 Chramnus Clothario patri Regi Franciæ bellum movet, vincitur tandem,& igni conſumitur. 23 Nero poſtquam nece matris impias manus cruentavit, noctu ſæpe pavore de lecto proſiliebat, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitium allaturam. Oreſtes occiſâ matre Clytemneſtrâ, quamvis id feciſſet, ut mortem patris ſui ab illa atque adultero illius Ægyſto occiſi, ulciſceretur, furiis tamen agitatus eſt, ut ſcelus aliqua etiam pietate commiſſum, ſuo ſupplicio non careret. Unde rectè Cicero dixit: *Magnam vim, magnam neceſſitatem,*

21 Schönborn Polit. lib. 1. cap. 7.

22 Cominæus lib. 1.

23 Greg. Turonen. lib. 4. cap. 16. & 22.

magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis, ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo
24 Pro Rosc. Amer. *permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur.* 24 Rectè, inquam. Nam si nullius hominis tam vilis est sanguis, qui non magis inquinet, quid mirum est, sanguine parentum pollui atque infici mentem animumque liberorum.

Sed dicet hic aliquis, quid si pater ad interficiendos liberos, delendamque patriam properet? Illi respondet Schönbornerus, 25 posse filium se adversus hujusmodi patrem defendere, & si terminos legitimæ defensionis servaverit, pœnam parricidii nequaquam incurrere. Id enim ait, quod legitime factum est, pœnam nullam meretur, quin imo præmio afficiendus erit filius, qui ob necessariam sui suorumque defensionem & patriæ, eum è medio sustulit patrem, quem in tantum leges detestantur, ut secundum illas nec lugendus sit post cædem. 26

25 Polit. lib. 1. cap. 7.

26 lib. 35. de religios. & sumpt. fun.

Longe aliter ad eandem quæstionem respondet Bodinus, dicitque: *Ego vero sic statuo, non modo id licere nemini, sed ne scribi quidem sine impietate potuisse, quia parricidis non solum veniam isti (scilicet qui id licere scribunt) proponunt, sed etiam licentiam reliquis id audendi tribuunt, eosque ultro ad necem paternam, specie publicæ utilitatis invitant. Nullum enim tantum scelus à patre admitti potest, quod sit parricidio vindicandum. Quæ disciplinæ si sibi consentiant, quàm multi parentes reipublicæ hostes reperiantur? Qui pater bello civili manus filiorum evadere possit? Tunc enim victores victis leges dicere, & quoscunque collibuit hostes reipublicæ judicare consueverunt.* Hucusque Bodinus. 27

27 De repub. lib. 1. cap. 4. Num. 45.

Similiter quęstio hujus loci est: Utrum semper & in omni loco uno eodemq; modo debeant liberi suos parentes honorare? Et certum est apud omnes, filio publicam dignitatem sustinente, patriam potestatem, quę privati juris est, silere debere. Cujus rei insigne extat exemplum apud Plutarchum, 28 apud quem Fabius Gurges cum consul esset, & patrem proconsulem sibi obvium haberet, jussit patrem equo descendere, & pro more peditem ad consulem venire. Hunc laudavit optimus pater, hortatusque est, ut istac auctoritate pergeret auctoritatem populi Romani tueri. Videbat enim in publica personâ verti auctoritatem totius reipublicæ. Hoc ipsum Taurus Philosophus, 29 cum controversum esset, inter patrem privatum, & filium prætorem,

28 in Vita Fab. Max.

29 Gel. lib. 2. cap. 2.

torem, ita determinavit, ut in publicis locis & congressibus magistratus præferretur, non habita ratione juris familiaris, in privatis verò jus domesticum observaretur. Quare peccasse scribitur Laurentii Celsi Venetorum Ducis pater, qui filio recens Duci creato obviam ire recusavit, ne filio cogeretur caput aperire, & patriam potestatem vilem facere. 30 30 Volat. 4. Georg.

Denique quæri etiam hic potest, an liberi in omnibus omnino rebus debeant suis parentibus obedire? Ad quam quæstionem eædem prorsus sunt responsiones, quæ etiam ad illas, quibus quæritur, quantum amare & honorare parentes nostros debemus? His autem ita & inprimis respondet Sanctus Augustinus. 31 *Amandus est generator, sed præponendus creator.* Deinde 31 In quodam serm. Sanctus Hieronymus. 32 *Ob amorem,* inquit, *Christi omittenda* 32 in Matth. *est sepultura patris, post cujus amorem nullus relinquitur inhumatus.* Item: *Gladium* inquit *tenet hostis ut me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo.* 33 Et clarius adhuc: *Si necessitas* inquit *venerit,* 33 ad Heliod. *ut amor parentum sive filiorum amori DEi comparetur, & non possit utrumque servari, odium in suos pietas in DEum servanda est.* 34 34 In Matth. Cum his similia respondet sanctus Chrysostomus. *Non licet* ait *simpliciter odio habere parentes, sed si voluerint plus diligi, in hoc odio habeantur.* 35 35 In Matth.

CAPUT XI.

De Domino & Servo.

COntentiosa est inter doctos de Servitute, quæ in genuitatem invasit, disputatio, aliis eam tanquam prædatricem libertatis accusantibus, aliis vero eandem jure naturæ, divino, & gentium defendentibus. Quorum autem justior causa est, ex illis, quæ jam dicemus, facile unusquisque judicaverit. Ut verò clariùs servitutis naturam explicemus, de libertate, cum qua illa pugnat, prius disseremus.

§. I.

Quid sit Libertas?

LIbertatem civilem, de qua præcipuè hic agimus, his verbis Jurisconsulti definiverunt: *Est naturalis facultas ejus, quod cuique*

1 l. libertas ff. de statu hom.
2 §. Et libertas Inst. de jure personarum.

cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur. 1 Sensus istius definitionis Joachimo Mynsingero 2 interprete iste est, quod libertas sit libera quædam & plena potestas, à natura hominibus tributa, faciendi quæ velint, nisi vi vel jure prohibeantur. Vi, veluti cum quempiam aliquid molientem, quod lex non prohibet, fortior aliquis, & plus habens virium, vetat & impedit: Jure verò, ut cum suppliciorum & pœnarum minis cohibetur quis, ne quid injuriæ faciat. Alii aliter exponunt, & per verbum *vi*, jus gentium, per verbum verò *Iure* jus civile volunt intelligi, idque ideo, ut ostendant liberis tantùm hominibus dictam definitionem convenire, & nequaquam servis, in quibus impedita est faciendi facultas, vel jure gentium per justam captivitatem, vel jure civili, ut quia venumdari se quis patitur ad pretii participationem. Sed cur per verbum *vi* jus debeat gentium intelligi, rationem nullam afferunt.

3 lege confirmetur ff. de jure Codicil.
4 l. si unus 27. §. pactus.
5 l. nihil ff. de regul. juris.

Docent præterea *vi* non adimi libertatem, etiamsi revera vi prohibitus non possit facere quod libet, quia ex facti (ut loquuntur) impedimento non tollitur libertas. 3 Vis enim est facti, libertas verò juris, atqui per regulam juris, iis quæ facti sunt, non tolluntur ea, quæ sunt juris. 4 Unde quæ jure constituta sunt, tolli debent alio jure. 5 Pari modo non tollit libertatem, quòd non liceat id, quod jure prohibitum est, facere quia illa sola & vera est voluntas & libera, quæ cum ratione conjuncta est, & quæ nihil vult, nisi quod jure potest, qua ratione in legibus id quod jure prohibetur, extra potestatem nostram esse dicitur. Quæ facta lædunt pietatem (inquit Papinianus,) existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est. 6

6 l. filius qui ff. de condit.

Quæ doctrina quamvis satis est præclara, non tamen ostendit, quomodo definitio libertatis liberis duntaxat hominibus conveniat, & non etiam servis, quod similiter vis quædam & leges non sinunt facere, quod ipsis libet. Quę res, cum ut dictum est, non adimant liberis hominibus libertatem, cur eandem adimant servis non facile potest explicari.

7 in offic.
8 in Paradoxi.

Clarius naturam libertatis describit Cicero, dum dicit, libertatis proprium est, sic vivere ut velis. 7 Et rursus. Quid est inquit libertas? Potestas vivendi ut velis. 8 Mea opinione liber-

bertas est naturæ indulgentiæ, & communi hominis dignitati conveniens facultas disponendi vitæ suæ usum, arbitratu quidem suo, juxta has tamen aut illas legum regulas. Libertati enim non derogant leges, quibus hominum vita in ordinem redigitur, quippe quæ cum recta ratione congruunt. Ex sapientiæ autem decretis vera libertas continetur mentis & rationis imperio in animum: extra illud quippe cupiditatum tyrannidi servit. 9 Violentia quoque, quæ facti est, non aufert libertatem, quæ juris est: secus juris potestas. Hinc à piratis captus & vinctus liber manet, at legitimo bello in hostium potestatem redactus servus efficitur. Quæris differentiam? Justo bello captus fugâ eludere servitutem nec illæsâ conscientia potest: 10 at captus à prædonibus retinet jus & libertatem fugiendi. Plane durante bello captus justè fugit ad suos, & servitutem effugit.

9 lege ult. §. quib. Cod. de Sen.

10 Sylvester in summ. Verb. servitus. § 1.

§. II.

Quotuplex est Libertas.

QUamvis istam quæstionem tractavi jam alibi, 1. hic tamen iterum illa majoris claritatis causa tractanda est. Est autem triplex, *Iuridica* nimirum *Philosophica* & *Politica*. Quænam sit Juridica proximè exposuimus. Philosophica verò libertas in rationis supra cupiditates & libidinem imperio sita est. Atque hâc nemo liber est, qui cupiditatibus, aut alicui turpitudini servit. 2 *Quis neget* (inquit Cicero) *omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est; vocat veniendum; ejicit, abeundum; minatur, extimescendum. Ego vero istum, non modo servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto.* 3

Non multùm habet dissimilia & Franciscus Petrarcha. 4 *Neque te* inquit *liberum tunc dixeris, quod esse dominum tibi non vides, quod parentibus ortus ingenuis, nec in acie captus, nec venundatus sis. Sunt invisibiles animarum domini, & in ipsa hominum origine latens pestis est. Nascendi genus obnoxium peccato, qua nulla gravior servitus fingi potest. Sunt occulti hostes, & bella clandestina: sunt quæ*

1 Quæst. Polit. disput 4. quæst. 4. §. 1.

2 4. ad Heren.

3 in Paradox.

4. Dial. 14.

 miseras

miseras animas nundinentur, quas heu! vili pretio venditis voluptates fœdissimæ dominarum, quæ vos inenodabili laqueo vinctos tenent. Ite nunc & libertate gloriamini. Sed vos cæci nihil nisi corporeum videtis. Vnde eum qui uni mortali subest domino servum dicitis, illum vero qui mille immortalibus tyrannis opprimitur, liberum judicatis: Eleganter ut reliqua. *Profecto autem liberum non facit fortuna sed virtus.*

His addi potest Sanctus Ambrosius, secundum quem *ille in quavis conditione servitii liber est, qui amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura.* 5 Quod adeò certum est, ut notum sit vel ipsis virginibus, inter quas una à piratis capta, ad sponsum suum dixit: Si corpore servio, manet incorrupta quæ omnibus à natura insita est animi libertas. 6

5 De Joseph.

6 Eustath. de Ismeniæ & Ismenes amor lib. 9.

Denique Politica libertas in eo consistit, ut jus & leges, non verò liberum Principis arbitrium dominetur.

§. III.

Quid sit & quotuplex Servitus?

DEscribit eam Florentinus 1. quod sit *constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* Servi ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere jubent, ac per hoc servare nec occidere solent. Mancipia vero dicta sunt, quod ab hostibus manu capiantur, id est, per vim ab hostibus auferantur. Sic cum manum alicui afferre dicimur, quod nihil aliud est, quam vim inferre. Ex verbis autem Florentini (ut advertit Franciscus Conanus 2) satis apertè colligitur, nullam fuisse causam humanitatis in servitute hac constituenda, quæ tamen huic malo obtendi solet, quasi summæ fuerit humanitatis aut clementiæ, servare, quos licebat occidere. Imò verò quod major utilitas provenire poterat ex servitute, quam occisione eorum, idcirco servare cœperunt, ut operis eorum aut pretio ad nostrum commodum uteremur. Quapropter avaritiæ magis quam humanitati videtur assignanda & imputanda servitus, ut non sine causa nonnulli antiquorum hanc institutionem reprehenderint, & ut Aristotelis verbo utar, accusarint, tanquam oratorem iniquæ rogationis, & legibus

1 l. 4. §. 1. ff. de statu hom.

2 Comment. Jur. Civil. lib. 2. cap. 2.

bus antiquis & patriis contrariæ. Sed redeo ad definitionem, ex qua patet servitutem libertati esse contrariam, neque à jure naturali, sed à jure gentium comparatam, cogente aliquem vivere ad arbitrium & usum alienum. Dixi *Vsum*, ut distinguam civile imperium, quo cives aliquatenus, ad moderatoris quoque sui arbitrium, sed non ad usum seu utilitatem componuntur. Civile enim imperium spectat bonum subditorum, non solius regentis: ea enim notâ Aristoteles (quamvis nimis rigidè) à tyranno regem distinguit. 3 At vero servi mancipantur alterius dominio, qua proprietatis & usus: ita enim in dominio, patrimonio, & usu domini, & in commercio publico erant, uti pecudes, ipsi cum sobole. 4

3 Polit. 3. cap. 10.

4 l. 1. ff ad l. Aquil.

Porro sicut libertas ita & servitus, quatenus cum libertate pugnat, triplex est, alia nimirum *Iuridica*, cujus definitionem proximè ex Florentino Jureconsulto retulimus, alia *Philosophica*, quam paulo ante ex Cicerone & Francisco Petrarcha descripsimus, alia denique *Politica*, quæ sub tyrannide reperitur. Secundum vero causas considerata alia est servitus à *natura*, alia à *fortuna*. Natura servi sunt, quibus (ut Philosophus loquitur 5) melius est ut regantur, quàm ut regant. Ad quos etiam pertinet præclarum illud dictum Augustini: 6 *Non possunt stulti beatius vivere, quàm si serviant sapientibus*. Servi fortunâ sunt ii, quibus necessitatem parendi alteri casus imposuit.

5 lib. 1. Polit. cap. 4.

6 lib de utilit. creden. cap. 10.

Quidam neminem liberum esse existimaverunt, atque adeo etiam eos, qui metu pœnæ se cohibent, servos esse dixerunt, inter quos sic loquitur Euripides: 7

Heu non est quisquam liber mortalium!
Aut enim pecuniæ servus est, aut fortunæ,
Aut multitudo civium, aut legum sanctio
Vetant, suo ne quis vivat arbitrio.

7 In Hecub. act 4.

Sed hæc nimis Stoica est opinio. Certum est (ut jam dixi) quod libertati non officiant leges, quæ vitam hominum ordinant.

§. IV.

De prima Servitutis Origine.

PEccatum sicut omnis calamitatis, ita & servitutis primus fons & origo fuit, id quod Franciscus Conanus 1 docet ex

Sancto Augustino, ex quo ista verba recitat. *Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, priusquam hoc vocabulo Noa justus peccatum filii vindicaret.* 2 Historia hac de re Noæ in sacris literis scripta, satis est omnibus nota. In ea hoc ignotum plerisque, quod Chami filii sui delictum, non in Chamo, sed in Canaano ejus filio vindicavit, qui nihil ipse commiserat. Dicit enim; *Maledictus Canaan: servus servorum erit fratribus suis.* Sed hæc Noæ verba non male precantis sunt, sed divinantis, fore, ut Chamus ejusque filius & posteri serviant fratribus suis, quod & evenit. Expulsi enim sunt Cananæi à cæteris Israelitis Mose Duce, & inde Josua, qui quod à Canaano non à Chamo appellarentur, idcirco Noa nomen Canaani usurpavit. Sed hæc obiter dicta sint.

2 De Civitate DEi lib. 20.

Causam servitutis Sanctus Ambrosius ab eodem Noa, sed aliquanto remotius repetit. Nec enim à Chami delicto, sed ab ebrietate Noæ, quæ occasionem Chamo ad delinquendum obtulit. *Ante vini,* inquit, *inventionem omnibus inconcussa manebat libertas, nemoque sciebat à consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere, nec eßet hodie servitus, si ebrietas non fuisset.* 3 Ita quisque servitutis causam in id conatur derivare, quod maximè detestandum execrandumque esse arbitratur, quod ferè nihil servitute pejus oderint homines, & hac una ut se liberent, nihil non facturi esse videantur. Sed hujusmodi servitutis origo remota est, & de illa disputare magis est Theologorum, quam Politicorum.

3 cap. 6. 35. distin.

§. V.

De proximis causis Servitutis, & Servorum differentia.

PRima causa servitutis est bellum. Jure enim gentium, in bello justo capti, in victoris veniunt potestatem, ut constat ex jure Romanorum. Plinius scribit Lacedæmonios servitutem excogitasse. Nam Dorienses Laconicæ ditionis populi, Helotem urbem cum cepissent evertissentque, Helotes ipsos omnes in servitutem redegerunt. Ex quo factum est, ut quicunque Doriensibus inde serviverunt, quanquam essent aliunde, Helotes, teste Pausania vocarentur. At & eosdem Lacedæmo-

nios

nios belli instrumenta reperisse dicunt, galeam, gladium & hastam, ut iidem sint servitutis, qui & armorum auctores. Initio generis humani eodem omnes, æquabilique jure vixerunt,

— — — *cum frigida parvas*
Præberet spelunca domos, ignemque laremque
Et pecus & dominos communi clauderet umbra,

uti ait Juvenalis. Nullus tum illis servus fuit, sed pecora, boves præsertim, servorum loco fuerunt. Cujus aurei sæculi memoriam ut renovarent Romani, quotannis 14. Kalend. Januarii celebrabant Saturnalia, quibus erat servis ipsis rerum omnium licentia & par cum dominis potestas.

Altera servitutis causa est nascendi infelix conditio. Nati enim ex ancillis, illorum dominorum sunt servi, quorum & matres ancillæ.

Tertia causa est voluntaria suiipsius ad pretii participationem venditio, cùm nimirum liber homo, major viginti annis, non ignarus sui status, ad pretium participandum se venundari patitur. 1 Idque jus Romanorum voluit, propter degenerem animum ejus, qui rem inæstimabilem pretio subjecerit, adeo ut ad libertatem proclamans non audiatur, & manumissus non ingenuorum, sed libertinorum statum obtineat. Nec juvat hujusmodi hominem, quod legibus Romanis homo non sit in commercio, aut quod minor viginti quinque annis, ne bona quidem sua valide vendat, quin auxilio legis in integrum restituatur, vel etiam ipso jure ad ea se revocet. Non inquam juvat, quia non meretur legis favorem, qui lucrum præposuit libertati, qua indignus est, qui eam ita vilem habuit; imo quia se vilissimum animo ostendit. 2

1 leg. 5. §. 1. ff. de stat. homin.

2 l. 9. §. 4. ff. de minoribus.

Præter has fuerunt & aliæ servitutis causæ, Græcis pariter at Romanis usitatæ. Apud Athenienses decretum erat, ut contumax & ingratus servus libertate sub mancipio in posterum esset, eò quod libertate uti nescisset. Apud Romanos, si servus ex clementia domini libertate donatus, dominum suum detulisset, domino in servitutem restituebatur. 3 Vespasianus edicto statuerat, ut si libera mulier ita deperiret servum, ut dehortante domino non posset ab ejus consuetudine deterreri, rem suam simul & libertatem amitteret, ac amatoris conserva esse cogeretur. 4 Diocletianus & Maximianus Imperatores, cum propter

3 Val. Max. lib. 2. cap. 1. de Inst. antiq.

4 Cod. de Claudiano Senatuscon-sulto tollen.

propter quorundam receptatorum perfidiam, comprehendere quosdam ex familia latronum non possent, jus fecerunt eorum perquisitoribus, ut quoscunque cepissent, pro servis suis uterentur. 5 Valentinianus Imperator in odium eorum, qui cum nullo corporis morbo laborarent, tamen suæ desidiæ & ignaviæ debilitatem prætexerent, atque mendicando victum quærerent, constituit, ut qui talem mendicum prodiderit, eum in servum suum accipiat, ac donec vivat, illum in colendo agro exerceat, ne ementita sua mendicatione aliis porro sit oneri. 6 Denique apud Hebræos liberam cujusque voluntatem causam servitutis fuisse, ex sacris literis perspicuum est, apud quos, si quis captus amore domini, septimo anno manumitti nollet, perpetuæ servituti addicebatur. 7 Tantundem quoque necessitatem famis apud Romanos potuisse, patet ex legibus. 8 Ea enim cogente, filii à parentibus venditi, servi fiebant ementium.

5 l. 2. Cod. quib. ad lib. procl. non lic.

6 C. de Mend. valid.

7 Deuter. 15.

8 l. 2. Cod. de patrib. qui fil. distrah.

Ad differentiam servorum quod attinet, ea inter illos, si jus inspiciamus, nulla est, 9 si vero officia, & ministeriorum ordinem, qui ex arbitrio dominorum pendet, multiplex reperitur. Ex quo alii sunt Adscriptitii, alii Ordinarii, alii Vicarii, alii Receptitii, item Mediastini, Atrienses, Hostiarii, Dispensatores, Actores, Saltuarii, Dietarii, Tabellarii, Aquarii, Jocarii, Topiarii, Villici, & sexcenti alii.

9 l. 5. §. 31. de inju.

Adscriptitii servi dicebantur coloni, qui glebæ, aut terræ alicui perpetuo colendæ, in libro censuali, vel publico judicio adscripti atque addicti erant, ut inde nunquam recessuri, dominis suis, quorum gleba fuit, annuos reditus, quantum ea ultra sumptus fœnerari poterat, & proferre, penderent. Qui utcunque conditione liberi esse videri poterant, cum durum illud dominorum jugum, ut alia mancipia passi non fuerint, servi tamen existimabantur, & eorum erant numero, partim respectu glebæ aut terræ, cui perpetuo erant adscripti, partim dominorum consideratione, quorum dominio non secus quam servi subjiciebantur. Quæ enim differentia (inquit Justinianus) inter servos & adscriptitios intelligatur, cum uterque in domini sui potestate sit positus, & possit servum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terra domino suo expellere.

Præter Adscriptitios seu perpetuos colonos fuerunt alii

Censiti

Censiti nimirum & *Conditionales* coloni. Censiti annua pensione agros colebant, nec ita erant addicti agris colendis, sicut perpetui seu adscriptitii, sed donec solvebant dominis censum, de quo inter illos conventum fuit, agris quoque utebantur. *Conditionales* vero coloni tantum se ad certum temporis spatium agriculturæ obstringebant. Qui verò ex his, de quibus hactenus diximus, nascebantur, *Originarii* vocabantur, præter eos, qui ex perpetuis colonis procreabantur.

Ordinarii servi erant, qui dominos agnoscebant, & provinciæ alicui præficiebantur, in quorum labores alii suffecti atque subrogati, id quod emptione peculiari fieri licebat. 10 *Vicarii* appellabantur: qui licet in peculio fuerint Ordinariorum, tamen simul & in dominorum simul cum ordinariis manebant potestate.

10 L. Si creditor §. de servis ff. de peculio.

Receptitii servi dicebantur auctore Gellio, 11 proprii uxorum, quos cum pecunia reliqua recipiebant, neque jungebant doti, sed sibi retinebant. Mulieres enim, quando viris dotem dabant, eosque illius dominos faciebant, tunc quæ ex suis bonis retinebant, neque ad viros transmittebant, ea recipere dicebantur, hoc est excipere, ne in dominium maritorum cum reliqua dote venirent. Atque hinc est servorum Receptitiorum in hunc diem appellatio.

11 Lib. 17. cap. 6.

Servi *Mediastini* vocabantur vilissimi balnearum atque ædium ministri, quibus in mediis ædibus ad omnia obsequia præsto erant, nullo ordinario ministerio occupati. 12

12 Acron. ad illum Horatii Versum. Cum Mediastinis tacito pede jura petebat.

Reliquorum servorum quænam fuerint officia aut conditio, facile constat ex ipsis illorum appellationibus. Et videri potest Simon Schardius, qui illa satis copiose in suo Lexico explicat.

Cæterum de omnibus servis illud dici potest, quod quidam ex Philosophis de amicis principum dixit, eos nimirum similes esse calculis supputatoriis, qui parum aut multum valeant, prout ad superiores vel inferiores lineas tabulæ numulariæ transferuntur. Nam ipsi eo meliore sunt conditione, quo magis propitium quisque nactus est dominum.

§. VI.

§. VI.

De Rusticis regni Poloniæ, vulgo Kmetonibus, utrum servi illi sint, an vero liberi homines?

SI jus atque justitiam spectemus, certum est homines, de quibus hic agimus, nequaquam esse servos, sed liberos atque ingenuos cives, cum nec jure gentium, nec jure civili, legitima illorum servitus ostendi possit. Non bello capti, aut ex ancillis captivisque fœminis nati sunt, nec libera voluntate seipsos ad pretii participationem vendiderunt, aut aliquâ ex illis, quas proximè enumeravimus, causâ in servitutem venerunt.

Ab initio, sicut omnes homines, ita & Poloni pares omnino inter se fuerunt, principes non ex genere, sed ex virtutibus habuerunt, quorum cum justa fuerint, & utilia reipublicæ imperia, consequens est ut nec contra illos subditi unquam bellum susceperint, in quo superati, servi victorum efficerentur, nec ipsi principes servitutem civibus suis imposuerint, cujus nullam causam habere potuerunt.

Quod si quis dixerit, posse principes propter suam dominandi libidinem subditis libertatem adimere, posse pro sua potestate alios ex illis evehere, alios deprimere, atque hoc ipsum circa rusticos Polonorum contigisse, quos principes noluerunt paris esse conditionis cum nobilibus, aut liberis hominibus, utpote quos ad servitutem damnaverint: Si quis inquam ista aut istis similia dixerit, nihil contra rusticorum Polonorum libertatem adferet. Primo enim, neque plebs Polona unquam sub ejusmodi tyrannis fuit, neque si fuisset, plus libertatis suæ amisisset, quàm amittunt illi, qui à piratis aut latronibus capiuntur. Deinde licet potuerint principes bene meritis civibus conferre nobilitatem, non tantùm in præmium virtutis eorum, sed etiam ex solo suo favore & liberalitate, non tamen poterant eos, qui nec in personam principis, nec in ipsam rempublicam peccarunt, servitute, pœnâ gravissima, afficere, gravissima inquam, quia qui bene intelligunt, illam ipsâ morte graviorem esse judicant. Denique aliud est cives non fieri nobiles, aliud fieri servos. Nam prius cum non lædat libertatem, nullam continet injuriam, posterius, si nimirum quis sine justa causa patiatur

tiatur servitutem, non potest sine summa esse injustitia, quæ clamat in cœlum, uti clamavit Ægyptiorum Hebræos injustâ servitute opprimentium, quorum libertatis ipse DEus vindex fuit gravissimus.

Porrò non tantum vi, sed etiam neque legibus latis possunt principes liberos suos subditos cogere ad servitutem, legibus contra id divinis, naturæ, & nationum clamantibus: Quia nullæ leges possunt legitimas facere injurias, quæ etiamsi multis sæculis impunè fuerint in usu populorum, non possunt tamen justæ esse, aut in jus consuetudinarium transire.

Nec audiendi sunt hic, qui dicunt, nullam rusticis Poloniæ fieri injuriam, cum hæc non fiat volentibus, sed invitis, illos autem non esse invitos ostendit tam diuturna illorum patientia, qua jugum sibi dominantium perferunt. Non inquam audiendi sunt, quia non id sponte faciunt, sed coacti patiuntur, pati autem posse etiam invitos, quis non videt? Quod ergo tamdiu patiuntur, id gravitati servitutis tribuendum est, sub qua miseris hominibus ne vox quidem aut gemitus liber relictus est, atque ita non voluntatis illorum patientia est, sed duræ necessitatis, cum qua ne dii quidem (sicuti dicitur) pugnaverint.

Non audiendi similiter & illi, qui existimant rusticos Polonorum sponte sua se dominis suis subjecisse, atque inde Adscriptitiis Romanorum servis, de quibus paulò ante disseruimus, perquam similes esse. Certum enim est homines istos nullo modo se pro gleba terræ in servitutem propriè dictam tradere dominis, sed potiùs inire cum iis Emphyteuseos aut locationis conductionis (ut vocant) contractum, aut aliquod aliud negotium non multum ab his diversum.

Servi Romanorum, quos ipsi Adscriptitios vocabant, etiam antequam agriculturæ essent addicti, servilis erant conditionis, & non ex libertate ad servitutem glebæ veniebant, sed duriorem servitutem paulo mitiori mutabant. Liberum namque hominem in servitutem emere, aut quocunque modo inducere, & apud alias multas gentes non licuit, & apud Romanos vetitum fuit legibus. 1

Itaque, ut quod res est, & quod sentio dicam, eo loco & conditione rustici sunt nostri apud nos, quo fuerunt apud Romanos

1 l. 1. de legatis 3. l. ejus qui à latronibus de testamen. manumiss. Tacitus in lib. de moribus Germ.

nos Censiti, aut Conditionales Coloni, qui annua pensione (ut supra dictum est) agros colebant, iisque non sicut Adscriptitii erant addicti, sed quamdiu constitutum dominis censum solvebant, tamdiu ex agris quoque illorum fructus percipiebant. Atque sic rusticos nostros esse liberos præter alia multa evincunt ipsa pacta, quæ illi cum dominis suis faciunt. Domini enim, certos illis certæque mensuræ agros, pro certis & definitis operis locant: rustici vicissim, certas pensiones, certasque operas dominis, pro agrorum cultura solvunt.

Non esse autem talibus agris rusticos perpetuo alligatos ostendit libertas regiorum rusticorum, quibus quamdiu libet, tamdiu licet agros regios colere. Rusticis nobilium, similem libertatem vis adimit dominica, non jus, quia ut dixi nullum jus esse potest, quod cum DEo, justitia, & pietate pugnat. Atque hæc secundum jus atque justitiam dicta sunt.

Jam vero si consideremus quid de facto miseri isti homines apud plurimos dominos patiantur, miserrime illos servire comperiemus, in quos non tantum domini, quorum illi agros colunt, vitæ necisque potestatem usurpant, sed etiam quivis nobilis, ut vult, ita invitas illorum grassatur, id quod externis etiam scriptoribus notum est. Ii (inquit Bodinus 2) quos Poloni Kmetonas appellant, acerbissima pati coguntur, cum ab omnibus levi decem aureorum mulcta occidi possint, à patronis verò impunè. Atque utinam tantum à patronis, & non etiam à quibusvis occiderentur isti homines, canibus nobilium infeliciores. Nam sæpe unius canis necem, multa humana capita, ô mores! luerunt. Possem plurima hujus rei exempla commemorare, sed nemo ita est in patria hospes, ut hæc ignoret, nemo adeo veritatis hostis, ut neget. Multa dicenda hic non dico. Duo tamen tacitus nullo modo præterire possum. Primum est, contra quod queritur Acacius Axelius de Gæxholm, 3 nimirum quod misera plebs malè tractetur à dominis, à quibus ita duris & multis exercetur operis, ut illa in aliquibus provinciis nihil habeat temporis, pro capitibus Christianæ religionis addiscendis. Singulæ septimanæ ita plerumque in operas distribui solent, ut coloni quinque aut sex dies negotiis dominorum impendant, diebus verò solis & festis res privatas curent, atque in sudore vultus laborent.

2 Lib. 1. de Rep. cap. 5.

3 Thom. Lansf. Consult. de princ. inter Prov. Europ.

Alte-

Alterum eſt, quòd multi dominorum, per ſummum divinorum pariter ac humanorum jurium contemptum, jam per triginta circiter annos intolerabilibus ſubditos ſuos exactionibus conſumant, atque exhauriant. Contractum cujuſdam ſocietatis cum ruſticis ſuis commenti, ſingulis annis dimidium illos mellationis ſibi pendere cogunt, viſcera illis & animam evellunt. DEus Optimus Maximus, coram quo par eſt conditio omnium mortalium, quorum ſummus eſt ille parens & dominus, ex amore quo diligit univerſos, & curâ quam habet de omni ſua creatura, volens dare ſiceram mœrentibus,4 & amaram atque ingratam miſeræ plebis vitam, dulcedine aliqua condire, benedictionem illi de rore cœli dedit, & apes multiplicavit, quę in ſolatium & auxilium illius egeſtatis mel colligerent. Parent voluntati Divinæ ratione carentes beſtiolæ, juſſa diligentiſſime exequuntur, ceris atque melle ruſticorum alvearia replent. Hanc benedictionem divinam invidens miſeris humana avaritia, contractum ut dixi melleæ ſocietatis commenta eſt, ut ſpecioſo nomine juris erepti mellis injuria velaretur.

4 Proverb. 31.

Verum ſi quis omiſſis vocabulis rem ipſam introſpexerit, facile videbit, inter ruſticos noſtros, & dominos illorum mel exigentes, nequaquam eſſe ſocietatem, quæ (uti eam leges definiunt) eſt contractus conſenſu initus, quo inter duos pluresve res atque operæ circa lucrum & damnum communicantur. 5 Juxta quàm definitionem inprimis conſtat, non poſſe ibi eſſe contractum ſocietatis, ubi non ſit mutuus contrahentium in idem conſenſus, qui cum in omnibus negotiis & pactis ſit neceſſarius, tum maxime in ſocietate, quæ non tantum initur, ſed etiam conſervatur mutua contrahentium voluntate. At verò quis tam infans fuerit, qui neſciat, ruſticos noſtros ſummè invitos mel dominis ſuis pendere, & metu in viros conſtantes cadente coactos. Hinc vero ſequitur, injuſtè dominos, & cum ſumma pauperum hominum injuriâ atque oppreſſione, illud ab eis extorquere.

5 §. 1. Inſtit. de Societate.

Deinde eadem deſcriptione oſtenditur, non aliter poſſe ſocios ſecum coire ſocietatem, quàm ſi res atque operæ circa lucrum ac damnum utrinque ſint communes: alioqui eſſet conventio omnino ſocietati contraria, quàm merito & leges deteſtantur, & Jureconſulti leoninam appellant. 6 Quæro jam, quas

6 l. 29. §. ult. ff. de Societ.

res, aut quas operas domini cum rusticis suis in commune conferunt, ut commune cum illis mellis lucrum accipiant? Nullas penitus. Non alveariæ, non apes, non operas, nisi forte numerare velint operas, parati jam mellis mensurandi, & auferendi. Alvearia pauperes homines propria pecunia comparant, apes, aut pretio, aut dono DEi acquirunt, atque circa illas soli eidem ipsi laborant, dominis in utramvis aurem dormientibus.

Atque hac ratione ex legibus petita, cum aliquando disputando premerem quendam Theologastrum, qui & ipse in mel alienum fucus erat, & exactionem mellis contractu societatis pertinaciter propugnabat, vim veritatis sustinere non valens, alio confugiebat, dicebatque apes non tantùm esse rusticorum, sed etiam dominorum, imo magis horum, quia in eorum agris, pratis ac sylvis plerumque earum examina à rusticis capiuntur.

Hoc autem, quàm ineptum & frivolum sit, quis non videt? Inprimis enim rarissimæ sunt apes apud rusticos, ex captura. Fere enim omnes ex pretio habent & fœtura, qua de re parum solliciti domini mel ab omnibus sine discrimine accipiunt. Et ut demus apes rusticorum omnes primò captura esse acquisitas, & postea alias ab illis propagatas, quomodo certi possunt esse domini, eas primas, in ipsorum omnino, & non aliorum pratis aut sylvis esse captas? Incerto autem jure certum sibi aliquid vendicare, non modo temerarium coram prudentibus hominibus, sed & coram Deo injustum est. Ad hæc, etiamsi in pratis aut sylvis dominorum, mel sibi à rusticis vendicantium, apes captæ essent, nondum domini, aut ad apes ipsas, aut ad mel, illarum fructus, jus aliquod habere possent, cum id quod capitur, ut capienti, & non illi in cujus fundo capitur, acquiratur, juris gentium sit constitutio. *Feræ* (inquit Imperator Justinianus 7) *bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terra nascuntur, simulatque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec interest, feras bestias & volucres utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut occupandi gratia, potest à domino, si is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quidquid autem eorum ceperis, eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur, cum vero tuam evaserit custodiam & in libertatem naturalem sese receperit*

7 §. Feræ Igitur bestiæ Inst. de rerum divis.

ceperit, tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio. Ita Justinianus de captura in universum, qui & de apibus paulo infra his verbis explicat jus gentium. *Apum quoque fera natura est. itaque apes quæ in arbore tua consederint, antequam à te alveo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint: ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Favos quoque si quos effecerint, eximere quilibet potest. Plane integra re, si prævideris ingredientem fundum tuum, poteris eo jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est, alioquin occupantis fit.* 8 — 8 §. Apum ibid.

Nec dicere quis potest, rusticos nostros à dominis suis esse prohibitos, ne apes in illorum fundis capiant, aut non alia conditione, quàm ut communi cum illis fructu. Nam hæc prohibitio aut pactum nunquam in rerum natura extitit, & ut maximè extitisset, cassa viribus esset. Nam ut rectè advertit Soarius: 9 *Fera errans in fundo alicujus, quamdiu non est conclusa, manet in libertate naturali,* 10 ideoque quo minus cedat occupanti, non efficit fundi domini prohibitio. Quamvis enim potest esse in ingressu fundi delictum, illud tamen non est earum virium, ut propter illud non sit captura capientis. Sicut delictum Vagæ libidinis, non efficit ut filii illegitimè nati, non sint parentum suorum filii. Denique sicut leges ita & prohibitiones ut sint justæ, dirigi ad publicum bonum, non ad privatam utilitatem potentiorum debent. 11

9 In Verbo Venatio.
10 §. 16. ibid.
11 Plat. 1. de rep.

Alii qui ad negotium Societatis mellis exactionem non posse trahi videbant, consuetudine illam, præscriptione, & usucapione defendunt. Sed hi nesciunt, eam demum consuetudinem vim legis obtinere, quæ cum ratione congruit, communi legum parente, 12 pravarum vero rerum usum, non consuetudinem, sed corruptelam esse, cum Theologis & Jurisperitis res ipsa clamat. Porro illud cum ratione congruit, quod cum illâ, cum æquitate naturali, & cum lege divina non pugnat. Sanè qui incorruptè judicat, exactionem mellis esse contra naturæ institutum, & legem Dei pronunciabit. Lex enim DEi vetat injurias, pauperum oppressionem, & omnem injustitiam. Similiter

12 l. 2. Cod. quæ sit. long. consuet.

militer jus naturæ non vult, ut quis alienis damnis sua commoda promoveat, ut metat ubi non seminavit, 13 ut manducet qui non operatur, 14 adeo ut ipsæ apiculæ juris istius peritæ jure hoc bona sua tueantur, quæ

13 Matthæi 25.
14 2. Thessal. 3.

———— Agmine denso
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. 15

15 Lib 4. Georgic.

Sicut autem consuetudo, ita & usucapio non tollit illam mellis injuriam. Ut enim usucapione dominium alicujus rei acquiratur, inter alia quæ ad id jura requirunt, necesse est ut ea res titulo aliquo ad acquirendum dominium idoneo, & bona fide veniat in possessionem, vel quasi possessionem illius, qui usucapione vel præscriptione se tuetur. Titulus est, per quem indicatur aliqua possidendi legitima causa, sufficiens ad dominium acquirendum, vel jure naturali, vel civili, à tuendo dictus, quod factum tutoris tueatur, indicans veritatem cujuslibet rei, & tales sunt omnes modi, quibus rerum dominia vel naturali jure, vel civili, acquiruntur, ut eleganter tradidit Oldendorpius: 16 Bona fides autem est sincera illæsaque conscientia, unumquemque certò excusans, de ignorantia rei alienæ, quam vel tradit alteri, vel accipit ab alio. Atque ita tum dicitur usucapiens habere bonam fidem, quando nescit rem esse alienam. 17 In præsenti vero negotio nullus est qui possit dicere, se tali titulo ac tali fide mel annuum à colonis percipere. Nam & titulus ejusmodi nullus omnino excogitari potest, & bona fides sine ignorantia rei alienæ non consistit. Quis autem est, qui credat, illum rem ignorare esse alienam, qui eam scit non esse suam.

16 Tractat. de usucap. & Præscriptione.
17 Mynsing. Inst. de Usucap. Num. 16. in rubricam.

Sunt præterea, qui non contractum quidem societatis, neque consuetudinem, aut usucapionem, sed colorem cujusdam tributi, pro hac mellis pensione afferunt. Verum cum tributum publica æraria respiciat, non potest à privatis dominis imperari: qua etiam de causa in regno Poloniæ non prius nobiles subditos suos ad illud solvendum compellunt, quam in comitiis publicis fuerit imperatum. Deinde tributa imperare pertinet ad jura Majestatis, quibus etsi possit præjudicare contraria consuetudo, illam tamen ita antiquam esse necesse est, ut ejus origo memoriam hominum excedat. 18 Ante tantos enim annos nec locum in jure habet, nec conscientiam coram DEo à peccato excusat.

18 Gail. observ. 1. Num. 4.

Ex

Ex his facile quivis perſpicere poteſt, mellis exactionem de qua hucuſque diximus, non tantum contra DEum, & contra jus gentium eſſe, ſed etiam rumpere humanitatis fœdera, illoſque qui hoc ſolatium pauperum auferunt, iis eſſe ſimiles, qui poculum tormenta paſſuris eripiunt. Contra quam crudelitatem (nam inhumanitatis verbum leve eſt) non tantum ego modo ſtringo ſtylum, ſed ante me multi in ſacris concionibus ſtrinxerunt gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei, 19) in quibus tamdiu eccleſiaſtæ clamaverunt, donec alii quidem rauci facti ſunt, aliis verò mel alienum os obturavit. 19 Epheſ. 6.

§. VII.

De Poteſtate Dominorum in Servos.

ORiginem & cauſas & naturam ſervitutis proximè explicuimus: nunc de effectu illius, ac dominorum in ſervos poteſtate, diſſeremus.

Tam miſera eſt ſervorum conditio, ut in eos fuerit dominis poteſtas vitæ & necis, ſub quibus ita vivebant, ut ne hominibus quidem eſſent aſſcribendi. Servus enim ſecundum ſervitutis ſuæ conditionem conſideratus jure civili nihil habet hominis, ſed inſtar pecudis eſt, rei familiaris & dominicæ inſtrumentum, uti ſcribit Ariſtoteles in ſua politia. 1 *Inſtrumenta*, inquit, *alia ſunt inanima, alia animata. Gubernatori clavus, tanquam miniſter inanimatus, qui proram regit, animatum inſtrumentum. Miniſter enim in omnibus artibus gerit ſpeciem inſtrumenti. Sic opes erunt vitæ degendæ inſtrumenta, quod ſine illis aut nullo modo, aut non ſatis commodè vivi poteſt, quarum univerſarum noſtra eſt poſſeſſio. Servus ſimiliter animatum quoddam eſt, poſſidetur tamen à nobis, eſtque ut miniſter omnis in rebus noſtris præſtantiſſimum inſtrumentum. Itaque ratio ea eſt rerum poſſeſſarum ad dominum, quæ partium ad totum. At pars* (ut argumentatur ex Ariſtotele Conanus 2) *non ſolum alterius eſt pars, id eſt totius, ſed eſt omnino alterius: & ut planiùs dicam, non in toto ſolum eſt, ſed etiam totius, & tota tanquam habetur à ſuo toto. Contra, totum ſuæ quidem partis totum eſt, eamque totam continet, at ab ea non continetur. Ita res quam poſſidemus, non modo pars eſt dominii noſtri, verum etiam omnino eſt noſtra, quoniam ejus domini ſumus, eamque poſſidemus, non ea nos. Qua ratione*

1 Lib. 1.

2 Comment. Jur. Civ. lib. 2. cap 2.

dominus,

dominus, servi quidem dominus est, non autem servi est, at servus & domini servus est, & totus domini, quia non tantum ut servus sed ut qualibet alia res patrimonii, totus & in omnem partem tenetur, possideturque à Domino. Quicunque verò ab alio possidetur, si jus civile spectemus, ne homo quidem est, sed tanquam possessio quædam, similitudinem gerit instrumenti separati, & ad agendum idonei. Quibus consequens est, servum nihil sibi quærere, possidere, agere, sed domino, cujus pars quædam est & accessio, sic ut unus & idem esse videatur. Itaque tametsi nemo queat alteri quærere aut stipulari, tamen utrumque potest pro domino servus, quia tam videtur dominus per seipsum id fecisse, quod servus fecit. Et
3 Ibidem. hæc causa fuit (ut idem Conanus 3 advertit) cur apud Romanos scribarum & notariorum munus servis mandaretur, non quod illud existimarent libero homine indignum esse, ut quidam volunt, sed quod illorum jure non licuit per liberas personas quærere, sed per eos tantùm, qui sunt in nostra potestate, sic tamen ut nec filiifamilias aliis quam patribus, nec servi nisi dominis suis possint acquirere. Quod & occasionem dedit servorum publicorum. Cum enim sæpe eveniret, ut pro absentibus, aut pupillis, aut reipublicæ nomine aliquid stipulari aut transigere oporteret, quod non per alium potest, melius, quam per eum ipsum fieri, qui contractibus & actis fide publica scribendis adhibetur, huic muneri servum præfecerunt, non unius aut alterius proprium, sed omnium & singulorum communem & publicum, ut pro omnibus & singulis stipulari & acquirere jure posset. Justinianus servum notarium vocat, cum tractat de communi servo manumittendo, Tacitus actorem publicum. Ejus verba sunt: *Mancipari singulos actori publico ju-*
4 Lib. 2. *bet, scilicet ut in Libonem ex servis Senatusconsulto quæreretur.* 4 Suetonius actuarium. *Quam orationem* inquit *non immerito Augustus existimat, magis ab actuariis acceptam, malè subsequentibus*
5 In Julio. *verba dicentis, quam ab ipso editam.* 5 Utrumque nomen ab actis ductum, quibus scribendis dabant operam. Jurisconsultis dicitur servus publicus. Ulpianus *si pupillus,* inquit, *absens sit, vel fari non possit, servus ejus stipulabitur, si servum non habeat, servus ei emendus est, sed si non sit unde ematur, aut si non sit expedita emptio, profecto dicemus servum publicum apud prætorem stipulari debe-*
6 l. 1. ff. rem. pupil. Salu. fore. *re.* 6 Nam in eo negotio quod tutori est cum pupillo, nihil potest

test tutoris ipsius auctoritas, itaque per servum id transigere oportet. Similiter & arrogator pupillo, quem sibi arrogat, apud servum cavere debet, se restituturum bona pupilli, & si servum pupillus non habeat, necesse est servum publicum intervenire. Hinc Marcellus Jurisconsultus respondit. Non aliter voluntati ejus, qui arrogare pupillum volet, subscribendum erit, quàm si caverit servo publico se restituturum bona ejus.

Tantæ dominorum in servos potestatis duplicem assignant rationem Jureconsulti. 7 Quod hostili bello semel captos hostium eos numero semper habere justum videretur, & pari cum iis jure agere. Hinc illud: Quot habemus domi servos tot hostes, quo significatur, non mirum videri debere servorum in dominos odium, qui hostes ipsi sunt, aut ab hostibus nati. Sed ea ratio est vel maxima, quod in possessionibus domini servus annumeratur, cujus est omnium actionum minister, & rerum gerendarum quærendarumque instrumentum. Itaque quod de asino, bove, equo, & alia re sua potest dominus, id ei concessum erat in servo ut posset.

7 Conan. Comment. Jur. Civil. lib. 2. cap. 2. Num. 3.

Atque hęc potestas priscorum dominorum in vitas servorum, quia nimis dura fuit, sensim restricta est, maximè postquam ad unum summa rerum delata est. Nam cum statuæ principum asylum omnibus aperuissent, servis quoque jus datum est ad eas confugiendi, ut testatur Seneca, cujus verba ista sunt: *Servis ad statuam licet confugere, cum in servos omnia liceant.* 8 Et Tacitus: *Incedebat*, inquit, *teterrimo cuique licentia impune probra & invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæsaris, libertique etiam ac servi patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur.* 9 Dum enim ibi erant, nec eos verberare, nec illinc invitos abstrahere licuit, sed si recesserant sua voluntate, recidebant in dominorum potestatem non quod asyli auctoritas dominos privaret suo jure, sed tantisper ipsis adimeret in servos pro suo jure animadvertendi facultatem. Hinc de querelis servorum cognitio suam habuit originem, cum ii olim frustra quererentur. Nulli non audita est Vedii Pollionis crudelitas, qui servos suos ob minimum delictum, in vivaria muręnarum immergebat apud quem cum cœnaret Augustus, & servus quidam, quod crystallinum fregisset, ad solitum illud supplicium traheretur, prohibuit Augustus, neque tamen in

8 Lib. 1. de Clem.

9 Lib. 3.

Pollionem quicquam acerbius statuit, quam quod jussit crystallina omnia frangi, & piscinas oppleri terrâ. 10

10 Senec. lib. de Ira.

De judicio servilium querelarum extat locus insignis apud Senecam. 11 *Inter se, inquit, contraria sunt beneficium & injuria. Potest dare beneficium domino servus, si à domino injuriam potest accipere. Atqui de injuriis dominorum in servos qui audiat, positus est, qui & sævitiam & libidinem & in præbendis ad victum necessariis avaritiam compescat. Quid ergo? Beneficium dominus à servo accipit? imò verò homo ab homine.* Est & Divi Pii de eodem judicio rescriptum hujusmodi. *Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, neque cuiquam hominum jus suum detrahi: sed dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam vel famem vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui juste deprecantur.* 12 Non interest dominorum, quorum de injuriis agitur, sed universè omnium, qui servos habent, interest, ut qui dominica potestate nimium licenter abutuntur, reprimantur: ut interest senatorum, si quis eorum quid deliquerit, senatoria exuatur dignitate, aut alia pœna afficiatur quod id ad totius ordinis existimationem pertineat. 13 Servus tamen dominum de injuriis sibi ab eo illatis in jus vocare non poterat, sed tantùm licentiam habuit confugiendi ad statuam principis, tanquam ad profugii locum, tum partes erant proconsulis, aut præsidis provinciæ, cognoscere de querelis servi. Sic enim Divus Pius subjungit: *Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulii Sabini ad statuam confugerunt, & si vel durius habitos, quam æquum est, vel infami injuria affectos cognoveris, venire jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. Qui si meæ constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum severius executurum.*

11 Lib. 3. de benefic.

12 l. si dominus. De iis qui sunt sui vel alieni juris.

13 Conan. Comm. Jur. Civ. lib. 2. cap. 2. à num. 6. ad 7.

Sed etsi magna erat atrocitas injuriæ, non solùm jure suo privabantur domini, ut in superiori rescripto statuitur, sed alia præterea pœnâ nonnunquam afficiebantur, ut ex alio Divi Adriani decreto, quod subjungit Ulpianus, demonstratur: *Divus etiam Adrianus* inquit *Vmbriciam quandam matronam in quinquennium relegavit, quod ex levissimis causis ancillas atrocissimè tractasset.* Igitur (ut rectè docet idem Conanus) hoc unum erat servis concessum, ut vel apud principem, vel ad ejus statuam possent de dominis suis conqueri, accusandi eos, aut in jus vocandi nullam habuere facultatem. Itaque accidebat, ut occidi sine

ſine cauſa poſſent impunè, quos verberare, aut pulſare non licebat. Nam poſt mortem non erat lamentandi locus. Cui malo ut occurreret Adrianus, prohibuit ſervos à dominis occidi, ut eſt apud Spartianum, & ſi quid commiſiſſent, judicum ut eſſet notio, ſtatuit. Quod ſic accipiendum eſt, ut occiſi ſervi cauſa judici probanda fuerit, non quod non licuerit domino ſervum merentem occidere, non expectata judicis auctoritate, quod Cajus Juriſconſultus non obſcurè ſignificat, dum dicit: *Igitur in poteſtate ſunt ſervi dominorum: quæ quidem poteſtas juris gentium eſt. Nam apud omnes peræquè gentes animadvertere poſſumus, dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe: & quodcunque per ſervum acquiritur, id domino acquiritur. Sed & hoc tempore multis hominibus, qui ſub imperio Romano ſunt, licet ſupra modum & ſine cauſa legibus cognita in ſervos ſuos ſævire.* 14 Quibus verbis Cajus innuit, licuiſſe dominis ſervos necare, & quodvis ſibi jus in eos ſtatuere, dum id ea cauſa feciſſent, quæ legibus probari poſſet. Quod etiam conſtitutio ſequens apertiſſimè demonſtrat, de qua ſubjicit Cajus: Nam & conſtitutione Divi Pii Antonini, qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubetur quam qui alienum ſervum occiderit.

14 l. 1. §. Igitur ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt.

Sed & major aſperitas dominorum ejuſdem principis conſtitutione coercetur. Nuſquam autem prohibetur dominus ſervum juſta de cauſa occidere, aut quo velit alio ſupplicio afficere.

Cæterùm hoc jus vitæ & necis in ſervos non uſque eò dilatandum fuit, ut quod ipſis dominis per ſe facere permittebatur, id ut eis liceret ad exemplum pœnæ publicæ per tortorem efficere. Nam quæ iſto modo pœna publicè imponitur, à judicis auctoritate venire debet, cujus etiam cognitionem quæſtionemque oportet antecedere. Quapropter quod pro ſua poteſtate domini conſtituunt in ſervos, id privatim exequi debent ipſi per ſe: Sin in eis quærunt exemplum pœnæ legitimæ & civilis, accedat oportet judicum auctoritas, & cognitio. *Servo* inquit Modeſtinus *ſine judice ad beſtias dato, non ſolum qui vendiderit pœnâ, verum & qui comparaverit, tenebitur. Poſt legem Petroniam, & Senatusconſulta ad eam legem pertinentia, dominis poteſtas ablata eſt, ad beſtias depugnandas ſuo arbitrio ſervos tradere. Oblato tamen judici ſervo, ſi juſta ſit domini querela, ſic pœnæ tradetur.* 15

15 Circumcidere Ad legem Juliam de Sicariis.

Quod de hac pœna idem jus fuit in cæteris publicis suppliciis, sed de bestiis nominatim lex Petronia facta est, quod pugnandi causa emerentur frequenter servi innocentes, & nihil tale meriti, sed quos avaritia adducti domini, libenter huic pœnæ generi offerrent. Nam de aliis suppliciis nihil cavendum fuit, quia nulla causa esset, cur eos domini publicè affici vellent, cum inde sibi nullum veniret lucrum.

Porrò quod concessum fuit dominis morte servos afficere, vel sine causa, quos tamen durius tractare sine causa non poterant, mirandum non est, & prius de injuriis servorum permissam quæstionem, quam de occisione eorum. Nec enim verisimile erat, de servorum nece cogitaturos quicquam dominos, sine magna aliqua ratione, quod id futurum eis esset damnosum: & si moribus servorum offendebantur, poterant eos vendere, & pretio frui. Quia tamen & in hoc quoque genere multa peccabantur, primus Adrianus constituit, ut de morte servi, quem dominus occidisset, cognosceretur. Sed non propterea adempta est potestas dominis de servorum delictis cognoscendi, statuendique arbitratu suo, dum ne modum in eo excederent. Quod & ex iis quæ supra dicta sunt perspicuum est, & ex Imperatoris Constantini de emendatione servorum rescripto, quod hujusmodi est. *Si virgis aut loris dominus servum afflixerit, aut custodiæ causa in vincula conjecerit, dierum distinctione, sive interpretatione depulsa, nullum criminis metum servo mortuo sustineat. Nec verò immoderatè suo jure utatur, sed tunc reus homicidii sit, si voluntate eum, ictu fustis aut lapidis occiderit.* 16 Igitur si delictum fuste dignum morte multarit dominus, reus est homicidii, nisi imprudens hoc fecerit, ut si ictu fustis servus intereat, domino castigare eum, non vero occidere volente, servi autem solebant virgis & flagellis cædi, eratque hæc pœna eorum propria.

16 l. Si Virgis C. lib. 9.

Potestas igitur dominorum in servos hujusmodi est, de qua constitutiones, quæ facultatem dedêre servis adversus dominorum sævitiam quærendi, nihil detraxerunt, sed illam humanitatis & justitiæ finibus continere voluerunt, ut ne quando posset ad nimiam crudelitatem erumpere. 17

17 Conan. Comment. Jur. Civ. lib. 2. cap. 2. à num. 8.

§. VIII.

§. VIII.

Quàm dura est conditio Servitutis.

ETsi hoc ex proximè dictis satis poterat intelligi, hic tamen clariùs adhuc aliqua, ad ea quæ diximus, adjiciemus. Quæstioni non alii melius, quàm qui in servitute fuerunt, responderint. Quis nesciat, quid illa Troiana captiva apud Senecam dixerit? *Durum*, inquit, *invisum & grave est servitia ferre.* 1 Quis nesciat, quomodo servitutem morte acerbiorem judicans apud Maronem quæratur, dum dicit:

1. Troad. Act. 4.

O felix ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec Victoris heri tetigit captiva cubile:
Nos patriâ incensa, diversa per æquora vectæ
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum
Servitio enixè tulimus: 2 ——— ——— —

2 Æneid. 3.

Atque hic questus cum sit mulieris contra herum amantem, facile est jam cogitare, quam durum est viro esse sub jugo domini sævientis. *O extrema*, inquit Innocentius, *conditio servitutis! Natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit, servus cogitur pati, & nemo finitur compati, dolere compellitur, & nemo condolere permittitur.* 3 Hinc potior Romanis fuit periculosa libertas quieta servitute: 4 hinc Ciceroni mors eâdem levior visa est: 5 hinc omnes gentes ultimam esse in malis illam judicarunt. Si quis vellet omnia colligere, quæ pertulerunt, & in servitute miseri homines perferunt, vix infinita caperent volumina. Retuli proximè Vedium Pollionem, qui servos pro levissimis peccatis in piscinas murænarum, quæ humanis carnibus saginabantur, damnabat. Summa hæc ejus crudelitas videri potuisset, nisi major fuisset. Quinti Flaminii Senatoris Romani, qui servum non aliam ob causam necari jussit, quam ut Cynædo gratificaretur, eique morem gereret, qui hominem occidi spectaculi causa cupiebat.

3 De Vilit. cond. humanæ.
4 Salluft.
5 Philipp. 10.

§. IX.

Vtrum Servitus justa sit, & Christianis licita?

QUæstio hæc illorum est, qui dubitant, jure naturæ, divino, aut humano probari, ut alius alio melioris sit conditionis ac juris. Nam cum natura pariter nos eadem lege in hanc vitam producat, æquum esse videtur, ut nemo alteri præferatur, sed omnes eadem lege utantur. Lex verò divina maximè Christianis per Apostolum promulgata, apertè (ut videtur) tollit servitutem. Sic enim loquitur Apostolus ad Galatas. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo IESV.* 1 Præterea Imperator quoque ultimum supplicium minatur Judæis, & Hæreticis, qui Christianum mancipium possideant. Proinde nullo jure probari videtur ista inæqualitas personarum, quâ homo hominis potestati subjicitur. Addo ad legem divinam posse etiam referri, id quod de inæqualitate personarum dixit Sanctus Augustinus. *Rationalem*, inquit, *factum ad imaginem suam, noluit DEus nisi irrationalibus dominari, non autem homines homini. Inde primi justi pastores pecorum magis quam reges hominum constituti.* 2 Et universim vulgata est regula, quod par in parem non habeat imperium. Hinc quidam contendebant, quemadmodum DEUS cæteris animantibus præfecit hominem tanquam præstantiorem naturam, ita ejus exemplo nos quoque debere DEO tanquam excellentiori naturæ relinquere in homines imperium, & non id contra naturalem libertatem, cum qua omnes nascimur, inter nos affectare, aut nobis id vendicare. Itaque Jurisconsulti summè servitutem aversati modis omnibus pro libertate pugnandum esse putant, & illa, quæ sive in legibus, sive in testamentis, sive in pactis conventis, sive in rebus judicatis obscura vel ambigua videntur, pro libertate sic interpretantur, ut nec legibus, nec testamentis locum ullum relinquant. Quod si tanta tamque perspicua vis est legum, ut ab iis discedi non possit, sibi tamen acerbitatem illarum legum, displicuisse testantur. 3

Contra Aristoteli servitus naturæ congruere visa est. *Videmus*

1 Cap. 3.

2 De Civitate Dei lib. 20.

3 Bodinus de repub. lib. 1 cap. 5.

mus, inquit, *alios quidem ad imperium, alios ad obsequium esse natos*: Quæ Philosophi sententia adeo quibusdam potentioribus grata est, ut illâ ad humilis plebis oppressionem abutantur. Nec desunt argumenta, quæ innuant servitutem naturæ esse consentaneam, ut quod illa ab ipsis orbis incunabulis, nimirum post aquarum eluviones ac voragines, ortum habuisse videatur, nec prius respublicæ quam servitia constitui cœperint, ac tametsi trecentos circiter aut quadringentos annos intermissa fuerit, 4 nunc tamen omnium fermè populorum summa consensione probetur. Hæc autem diuturnitas non potest nisi naturæ viribus niti, cum ea quæ cum natura discrepant non durent, & vi coacta facile ad ingenium redeant. Verisimile quoque non est omnes ubique populos ac nationes, tot reges ac principes, tam multos legumlatores, virtute rerumque gerendarum usu clarissimos, servitia tanta consensione suscepturos fuisse, si cum ratione ac natura pugnarent. Jam vero quid magis rationi ac humanitati est consentaneum, quam eos, quos justo bello ceperis, parta victoriâ servare, iis etiam victum ac vestitum suppeditare, summaque caritate fovere, ac pro tantis beneficiis obsequium & operas exigere? Num æquius illud est, quàm captivos crudeliter mactare? Etenim quicunque bellum aliis injuste inferunt, qui alterius bonis vitæ & libertati insidiantur, justè per divinas ac humanas leges à victoribus occiduntur: inter quos, etiamsi aliqui principes ac reges seipsos ferant, veriùs tamen est, ut in latronum numerum censeantur. 5 Non videtur igitur alienum à natura esse, ut plagiarii, qui alios iniquè in servitutem abducere armis tentaverunt, ipsi pœnæ servi efficiantur. Denique si contra naturam est, aliis in alios vitæ atque necis arbitrium tribui, nulla imperia, nullum regnum, nulli principatus, non contra naturam erunt, cum regibus ipsis ac principibus idem sit in cives ac liberos homines vitæ ac necis imperium, (si capitalem fraudem admittant) quæ dominis in mancipia.

4 Idem Bodinus ibidem.

5 Idem Bodinus.

Hæc atque his similia multa sunt apud Bodinum, quæ quamvis eidem Bodino non tantùm probabilia, sed etiam quodammodo ad assentiendum necessaria esse videntur, ipse tamen latè contra ea disputat. Sed maxima lis de verbis, in re autem non multum est dissidii, ut constat ex sententia ejusdem Bodini, qui

sic

sic loquitur. *Servitutem ego naturæ consentaneam arbitrer, si robustus homo ac dives, rerum gerendarum ignarus, ac prudentiæ expers, inserviat sapienti, qui egestate, inopia, corporisve imbecillitate, quominus labores ferre possit, impediatur: sed quid naturæ magis alienum, quam stultis servire sapientes, virum bonum scelerato, homines eruditos ignaris? Nisi quis justum putet servire stulto principi sapientem servatorem, insano ac luxu diffluenti domino servum sobrium ac temperantem. At qui bello injusto captivos servare humanitatis esse putant, consimiliter faciunt, ut latrones ac piratæ, qui se vitam iis dedisse jactant, quibus non ademerunt. Nam sæpissime usu venit, ut bello injusto, cujusmodi fere sunt omnia, quæ à potentioribus inferuntur, optimi quique viri sceleratis miserrimè ac turpiter servire cogantur. Quod si bellum à latronibus, qui se reges ferunt, injustè illatum est, cur victi non cæduntur, cur capti ad merita supplicia non trahuntur? Quod verò nihil diuturnum videatur, quod natura sit alienum, id quidem admitto in iis, quæ naturæ sponte, aut nutu divino, non hominum arbitrio ac voluntate reguntur: at homini voluntatem DEus omni necessitate solutam indidit. Sed homines jampridem à recto naturæ cursu deflexerunt: ac tanta vis est opinionis depravatæ, ut legis habeat auctoritatem, ac naturâ potentius dominetur: nulla enim ferè tanta impietas est, nullum tantum scelus, quod virtutis non induat nomen. Vnum hoc sit argumentum, quod nulla gens est, nulla natio, quæ humanis sacrificiis, quibus adhuc Perusani ac Brasiliani utuntur, fictos hominum opinione DEos olim placari non putârit. Et quidem summa religione majorum nostrorum ad ejusmodi sacrificia concursus fiebat. Eadem pietate & caritate parentes olim senio fractos in Thracum regione à liberis occidi, & iis epulari consuevisse legimus, ne scilicet languerent morbi diuturnitate, ac mortui vermium esca fierent. Neque majoribus nostris solum humanas hostias sacrificare moris erat, quod ab illis factum est usque ad Tiberii dominatum, sed etiam Amorræis & Ammonitis filios mactare usitatum fuit. Neq; tantum barbaris ut Scythis omnibus solenne fuisse Plutarchus tradit, sed etiam Græcis, in quibus non modo fuit, sed à quibus ad omnes populos humanitas pervasit. Nam Achilles apud Homerum Patroclo humana cæde parentavit: Themistocles ipse bello Persico tribus, rex Persarum eodem tempore duodecim hominibus, fecerunt. Nec Iuppiter Licius aliter, quam in humana cæde placari potuisse dicitur, ambiguitate veteris oraculi ac verbi φῶς, quo sine accentu lux & homo significatur. Nam*

Marcus

Marcus Tullius majores nostros execratur, quod humano sanguine litarent, sed id oratoriè, ut causæ inserviret, cum Marcus Varro idomnibus Italiæ populis tribuat. Hebræis quoque ipsis idipsum quodam modo licuisse plerique arbitrantur ex ipsius Iephtes ducis Hebræorum voto solenni, qui iisdem fere temporibus filiam immortali DEo mactasse dicitur, quo Agamemnon Græcorum Imperator Iphigeniam. Sed concepta vota religiosissimi ducis verius ac melius interpretantur eruditi, de pudicitia Virginis DEo consecrata, quam de humana cæde, quam lex ipsa divina execratur. Cæteri populi humanis hostiis summa religione fecerunt. Quare non est, quod naturæ leges ex hominum opinione metiamur, ac propterea servitutem naturæ consentaneam esse putemus, aut benignitati tribuamus, quod veteres servarunt eos, quos occidere jure belli fas erat, cum potius bestiarum in modum avaritiæ ac libidini suæ, cogerent inservire. Quis enim hosti vitam servaret, si plus utilitatis ex illius cæde, quam ex salute speraret? Exemplis abundamus, sed unum de multis. Cum Vespasianus Hierosolymam obsideret, miles Romanus aurum in Iudæi cæsi visceribus effusis collegerat: eodem momento cæsa sunt captivorum viginti millia, ut aurum quod sorbere putabantur à militibus investigaretur. O præclarum caritatis adversus captivos exemplum! At nutriuntur inquies, vestiuntur, pro servilibus officiis educantur: sed quæ tandem educatio? Cato major sapientiæ ac virtutis Romanæ princeps, cum omnia commoda, omnes utilitates ac fructus, qui à servis præstari poterant, ad extremam usque senectam percepisset, ut nihil amplius extorquere posset, pluris licitantibus proscribebat, ut sanguinis extremum illud pretium, quantumcunque esset corraderet, ne jam ætate defectos gratis alere, aut occidere, aut liberos dimittere cogeretur. Beatior Atticus ille Palladis mulus, qui senio confectus, libere vagari sine capistro, sine labore consuevisset. Iam verò cum nihil connubio sanctius hominum generi ab immortali DEo tributum sit, servis tamen nullum erat inter ipsos connubium, sed contubernium tantùm, adeo ut si liber homo captivus ab uxore filium suscepisset, patre apud hostes mortuo illegitimus censeretur. 5 Quid execrandos concubitus, & effusas utriusque sexus libidines commemorem, quas servi & nunc perferre & antea pertulisse queruntur? Nam crudelitatis ac immanitatis in servos exempla colligere si quis velit, infinitus sit: quanquam exigua sunt, quæ literis prodita legimus, nec tamen historias præterquam humaniorum populorum scriptis consignatas habemus. Nam catenis vincti agros colebant,

5 l. si quis prægnante de captivis.

uti nunc quoque fit in Africâ, & in antris per scalas mobiles demissi jacebant, ut scalis detractis domini cum hostibus domesticis tutiùs dormirent, ne vel incendio domos, vel cæde dominos perderent. Iam vero levißima quæque peccata servorum, nisi pretiosissimi essent, sic luebantur, ut cristallinum confregiße capitale fuerit &c. *Quod si dominum necari contigisset, servi, qui tunc sub iisdem tectis fuißent, omnes ad unum occidebantur. Nam cum cæso Pædanio, urbis Romæ præfecto, servorum magna multitudo ad supplicium posceretur, more inquit Tacitus à majoribus accepto, plebs Romana, quæ maxima sui parte libertini generis hominibus constabat, vehementer commoveri visa est, cum ob unius culpam quadringentorum hominum, & quidem innocentium, vita peteretur: re tamen in senatu disceptata, decretum est, morem majorum servari oportere. Omitto certamina gladiatorum, quibus servi, ut populo spectaculum ac mortis contemptum præberent, sese mutuis vulneribus confodere, aut bestiarum dentibus lacerari cogebantur in arena. Ac tametsi Petronia lex immerentes servos bestiis objici prohiberet, impunè tamen ab omnibus perrumpebatur.* Hæc Bodinus, & multa alia, quæ certe non oppugnant servitutem excepta ea, in quam injusto bello veniunt homines innocentes. Argumentum Bodini ab humanis victimis ductum solum ostendit, errore atque diuturna consuetudine pessimas quasque res posse pro optimis populo persuaderi: non vero ostendit, omnem servitutem injustam esse atque iniquam. Reliqua exempla non servitutis usum, sed dominorum potestate sua abutentium abusum accusant. Injuriis non tantum servi, quamvis hi maximè, sed etiam liberi homines opportuni sunt. Libidini, quam sæpe nec generis reverentia cohibet, nec sanguis extinguit, non minus ingenua, quam servilia corpora sunt obnoxia.

Cæterum Bodinus non negat aliquam servitutem naturæ congruere, ut constat ex iis, quæ proximè retulimus, consentitque Philosopho, secundum quem illi sunt natura servi, quibus melius est ut regantur, quam ut regant. 6 Tota difficultas est de servitute, ex injusto bello oriunda, quam Jurisconsulti facile expediunt, duplici justitia belli constituta. Dicunt etenim bellum aliud esse justum in genere belli, aliud vero justum in genere causæ. Bellum justum in genere belli vocant illud, quod princeps nullius imperio subjectus, simili principi, aut

6 Lib. 1. Polit. cap. 3.

una respublica alteri reipublicæ indicit, etiamsi nulla subsit justa causa bellandi: at bellum in genere causæ justum illud tantum esse volunt, quod principes supremi aut respublicæ ex justissimis inter se causis gerunt: Atque ita docent ad servitutem in foro politico justam non requiri, ut bellum & in genere belli, & in genere causæ simul sit justum, sed satis esse, si tantum in genere belli justum fuerit, etiamsi ex causa iniquum. Idque ita etiam antiqui Romani esse voluerunt, qui quamvis justa bella adversus injustos hostes gessissent, cives tamen suos ab hostibus injustè captos pro servis habuerunt, quamdiu illi in captivitate fuissent tametsi postea ex potestate dominica liberati, sicut omnia apud suos jura, ita & libertatem jure postliminii recipiebant. Hanc verò doctrinam ad commune atque publicum universarum gentium bonum pertinere Jurisconsulti existimant. Facilius enim est judicare, quodnam bellum sit justum in genere belli, quam quod sit tale in genere causæ, cum vix unquam possit esse bellum, ut non utraque pars justas se bellandi causas habere existimet. Atque ita, si ad legitimam servitutem bellum etiam ex causa justum esset necessarium, in summa omnino essent incertitudine omnes servitutes bellis quæsitæ.

Atque hæc doctrina locum habet in foro politico ac civili, in foro conscientiæ utrum valeat, ad Theologos pertinet definire.

Quamobrem ut ad quæstionem ab initio propositam aliquando respondeam, dico civiles ordinum gradus inter personas esse debere, etiam in rebus publicis christianis, licitamque etiam inter christianos esse servitutem. Nam ecclesia ipsa, quæ est omnis pietatis atque justitiæ cultrix, servos habebat, eósque jam dono accipiebat, jam alienabat, jam manumittebat, jam manumissos ob ingratitudinem in servitutem revocabat, ut apud Gratianum 7 multi Canones testantur. Agathensi concilio, fugitivi, qui retineri non possunt, alienari jubentur. *Fugitivi*, inquit, *domos suas aut familias deserentes, qui etiamsi revocati fuerint non possunt teneri, simili ratione ab episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.* 8 Sequenti etiam canone dicitur: *Injustum videri & impium, ut mancipia, quæ fideles viri seu fœminæ pro redemtione animæ suæ DEo & sanctis ejus consecraverunt, cujus-*

7 Causa 12. quæst 2.

8 Cap. fugitivi ibid.

juscunque muneris pretio, vel commutationis commercio iterum in sæcularem servitutem redigantur, cum canonica auctoritas servos fugitivos tantummodo distrahi permittat. Et ideo omnes rectores ecclesiarum summopere caveant, ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat: & est absurdum, ut ecclesiastica dignitate servus decedens, humanæ obnoxius sit servituti. 9 Item eodem concilio Agathensi manumissio servorum approbatur. *Si quos* inquit *de servis ecclesiæ benemeritos sibi episcopus libertate donaverit, collatam libertatem à successoribus placuit custodiri, cum hoc quod eis manumissor in libertatem contulerit.* 10 Tandem ut plurima hujusmodi non referam, concilio Hispalensi jubentur revocari in servitutem ecclesiasticam liberti, qui contra ejus libertatem superbiunt. *Octava*, inquit, *discussio agitata est de quodam Helisæo ex familia Agabrensis ecclesiæ, qui ab episcopo suo traditus libertati de libertate confestim ad contumaciæ morbum transilivit, sicque per superbiam non solum ejusdem episcopi veneficis artibus salutem lædere voluit, sed etiam patronam ecclesiam libertatis immemor prædamnavit. Adversus quem ingrati actio, canonum & legum auctoritate juste, dirigitur. Scilicet ut immeritæ libertatis damno mulctatus ad servitutis nexum revocetur. Talium enim status, qui contra episcopum suum vel patronam ecclesiam nituntur, decidi potius quam conservari convenit, ut quorum libertas perniciosa est, sit salutifera servitus, & qui superbire noverunt, adepta libertate, proditi discant obedire subjecti.* 11

9 Cap. Injustum. ibid.

10 Cap. Si quos. ibid.

11 Cap. Octava ibid.

Lex quoque divina, cujus optimus est interpres Doctor gentium Paulus, non tollit servitutem, sed officia servorum definit. *Servi*, inquit, *obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes DEum. Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 12 Et rursus, *quicunque*, inquit, *sunt sub jugo servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti.* 13 Ex his satis intelligi potest justam & licitam esse etiam apud Christianos servitutem, à sacris & profanis legibus permissam, moribus omnium populorum receptam.

12 Ad Coloss. 3.

13 1. Timoth. 6.

Sed jam ad ea, quæ ab aliquibus contra servitutem afferuntur.

tur, respondendum est. Vulgatum illud adagium, quo dicitur par in parem non habere imperium, & quod ex sancto Augustino dicitur noluisse DEum, ut homo homini, sed ut homo pecori dominetur, vult Conradus Lagus Jurisconsultus 14 intelligi, de hominibus in integra natura consideratis, non vero post primi parentis lapsum, quo corrupta est natura, ac eversa naturalis libertas, & ea nobis imposita servitus pravarum cupiditatum, ut sæpe nec facere possimus, quæ sana mens jubeat: quemadmodum & Divus Paulus de seipso testatur inquiens, *invenio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* 15 Certe si natura mansisset incorrupta, eadem mansisset in omnibus virtus & potestas agendi: Jam autem postquam vitio peccati collapsa est, & extincta vis naturæ, adeo ut nisi vegetetur benedictione divina, sterilis sit futura, sicut nec paribus viribus, tum corporis, tum animi, ita nec pari potestate regendi nos producimur ab ea. Proinde naturaliter evenit, ut qui benedictione divinâ ex meliore natura natus sit, imbecilliori, tanquam superior inferiori præsit. Neque dici potest, quod omnis potestas personæ in personam violenta sit, aut quod civili tantùm instituto subsistat. Videmus etenim invitis sæpe omnibus, non eum qui nominetenus, sed qui naturalibus virtutibus præstet, imperiis præesse. Unde & Plato 16 dicit, DEum reipublicæ non præficere homines, hoc est, quemvis humana specie natum, sed qui naturalibus animi virtutibus communem hominibus concessam facultatem superant, quos heroas vocamus, qui impetu divino & non humano ad res prudenter & fortiter gerendas rapiuntur. Non igitur violentia, aut arte humana, sed Deo corruptam naturam sua benedictione excitante & fovente, discrimina personarum inter homines ad regendum & conservandum eos, in tam varia eorum imbecillitate constituuntur. Ac proinde nec per discrimen personarum eripitur hominibus naturalis libertas, sed ea quatenus retineri in tam corrupta natura potest, Deo relinquitur gubernanda, ut ipse sua clementia pro necessitate omnium largiatur, qui illis præesse possint. Atque ita quamvis DEus non seipso præsit hominibus, tamen quia sola ejus benedictione alius alio præstat, non potest dici, quod per alium, quam per Deum, homo ab homine discernatur, & cuiquam aliqua in alium potestas concedatur. Sicut nec fœmina

16 In quarto de legibus.

aliqua DEo imputare poteſt, quod maſculo ſit inferior natura. Porro quod leges nonnunquam egrediuntur hoc diſcerniculum naturæ inter perſonas, ut in ſervitutibus mancipiorum, id inde fit, quod propter metum gravioris periculi neceſſe ſit duriorem quibuſdam imponere ſervitutem, ut quia metuendum eſt, ne captus ad hoſtem confugiat, ſi ipſi liceat paſſim vagari, jure videtur hæc dominis conceſſa poteſtas in eos, quos captos ſervarunt, ut abſque eorum voluntate nuſquam abeant. Atque ita civilis neceſſitas duriora conſtituit vincula ſervitutum, & tamen quia jura civilia, imitatione quadam naturæ conſtituuntur, non merentur nomen juris, ſi penitus ab æquitate naturali recedant, cum nulla poſſit dici legitima poteſtas perſonæ, quæ non ſit conjuncta beneficio. Nam nec natura quenquam alteri ſubjicit alio conſilio, quam ut ipſi proſit, ac ejus jura tueatur, ſicut eſt cernere in patria poteſtate. Itaque non eſt, cur aliquis has poteſtates perſonarum, quæ hoc jure conſtituuntur, tanquam jure divino, & naturali libertati repugnantes reprehendat. Nam ſunt harum poteſtatum etiam exempla ſcripturæ in ſanctis patribus, qui ſervos iis conditionibus, quæ Romanis legibus deſcribuntur, habuerunt.

Porro quod Apoſtolus dicit, inter eos, qui in Chriſto baptizati ſunt, neque ſervum, neque liberum eſſe, non ita accipiendum eſt, quod inter Chriſtianos non debeat aliqua eſſe perſonarum in perſonas poteſtas. Nam in eo loco non de libertate politica, ſed de libertate fidei & ſpiritus loquitur. Etenim Galatæ accepto Euangelio in ea erant opinione, quod non conſequerentur remiſſionem peccatorum, quæ per Euangelium promitteretur, niſi legem Moyſi, quemadmodum Judæi, ſervarent. Itaque illis ſtultam opinionem eximeret, aſſerit nihil referre ad impetrandam remiſſionem peccati, quod quis Judæus vel Græcus, ſervus vel liber ſit. Quod autem hic Apoſtoli locus ita debeat explicari inde liquet, quod in eodem contextu dicit, neque maſculum, neque fœminam eſſe inter eos, qui baptizati, ſunt in Chriſto. Sicut igitur abſurdum eſſet, ex Apoſtoli verbis contendere, nullam debere eſſe inter Chriſtianos inter maſculum & fœminam differentiam: ita non ſunt ferendi, qui propter hunc locum ſcripturæ politicam quandam differentiam inter Chriſtianos non debere eſſe contendunt.

Denique Honorii & Theodosii Imperatorum rescriptum, ne Christianum mancipium, hæreticus, Judæus, vel Paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat, non prohibet inter Christianos esse servos, sed non vult Judæis, aliisque hostibus Christi subjici, qui credunt se morte Christi liberatos ab omni servitute hostium Christi.

Quamvis autem negotium servitutis ita se habeat, ut dixi, tamen hodie capti inter Christianos captivi Christiani, servi non sunt, sed tantùm redemptionem debent victoribus, & non servatur jus postliminii in personis, sed in rebus, secundum Boërium. 17 Quanquam detentio, quâ utuntur victores, non multum abest à specie servitutis. 18 Et licet ut dixi permissa sit legibus conditio servitutis, libertas tamen omnium Christianorum magis est expetenda: *cum redemtor noster* (inquit Gregorius) *totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam voluit carnem assumere, ut diuturnitatis suæ gratia, dirupto quo tenebamur captivi vinculo servitutis, pristinæ nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, & jus gentium substituit jugo servitutis, in ea natura, qua qui nati fuerant, manumittentis beneficio libertati reddantur.* 19

17 in §. 1. de jur. person. in consue. Bitur.

18 Tolos. Syntag. Jur. Univ. lib. 14. cap. 3.

19 Cap. cum redemptor. 12. quæst. 2.

§. X.

An servitia rebus publicis sint utilia?

CUm ex doctrina Philosophi servus non tantum sit pars domus utilis, sed etiam necessaria, rectè dici videtur, servitutes rebus publicis esse utiles, & ad bene beatque vivendum necessarias. Nam publicum universorum bonum ex singulis privatorum bonis coalescit. Sed sapientissimus rerum politicarum scriptor Bodinus bene advertit, plus esse rebus publicis ex servitutibus mali & incommodi, quam commodi & emolumenti. Nam & privata dominorum salus sæpe servilibus insidiis appetitur, & respublicæ in maximo versantur discrimine, propter formidandam servorum multitudinem. Quis dominorum serviles insidias effugere potuit Sylla dictatore, qui triginta sestertia liberis hominibus, servis dominos prodentibus libertatem mercedis nomine proposuerat in singula capita eorum, quos ipse proscripsisset. Quo tempore in eo metu cives fuerunt,

fuerunt, quoad cæsis sexaginta civium millibus, & quodammodo pacata republica, servus aliquis ad extremum domini caput ad Syllam detulit, qui pactam quidem libertatem dedit, sed manumissum de rupe Tarpeia præcipitem dari jussit. Quanta autem ipsis rebuspublicis ex iisdem servis aluntur mala, ostendunt tot bella servilia, quæ à scriptoribus commemorantur, & à quibus ne Romanorum quidem potentia tuta fuit. Maximo profecto in periculo Athenæ fuerunt, ubi uno tempore censa sunt peregrinorum decem millia, civium viginti, servorum autem quadraginta millia. In simili timore Roma quoque erat, in cujus senatu cum aliquando ageretur de commutandis servorum vestibus, ut à liberis hominibus notâ quadam secerni possent, Senator aliquis intercessit, ne si seipsos servi numerare cœpissent, exitium dominis intentarent. Itaque Lacedæmonii, cum viderent servorum multitudine, agros, domos, & urbes repleri, exercitum servorum, qui bello aptiores essent, cogere imperarunt: deinde conscripto trium millium exercitu, omnes una nocte occidi jusserunt, idque tanta celeritate ac silentio, ut quo perrexissent, sciri non potuerit, præterquam ab iis, qui rei gerendæ præpositi fuerunt. 1

1 Plutarchus in Lycurgo.

Quare propter metum, qui civitatibus impendebat, servis arma tractare non licebat pœna capitali subjecta, 2 aut si hostium vis urgeret, servos ad arma vocari, vocati simul manumissionis beneficium consequebantur. Fateor equidem in Parthorum exercitu, qui M. Anthonii exercitum fugavit, quinquaginta servorum millia fuisse, ex ingenuis vero non plures, quam quingentos viros: sed quia Parthi eadem penè caritate servos, qua filios complectebantur, merito securiores suæ salutis erant, quam alii populi durius suos servos tractantes, apud quos, ne quid servi in rempublicam moliri possent, opificiis ac sellulariis artibus impediebantur: sed ne hac quidem via omne periculum evitabant. Plura de his Bodinus, 3 quæ si hic omnia vellem referre, nimis essem prolixus.

2 l. 4. in principio de re milit.

3 De repub. lib. 1. cap. 5.

§. XI.

§. XI.

Qualis debet esse Dominorum in Servos potestas.

SIcut non omnium servorum eadem est virtus & mores, ita & dominorum non idem est erga illos omnes officium: duri erga malos, erga fideles humani esse debent. De servis malis hæc in sacris libris conscripta sunt: *Servus verbis non potest erudiri, quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit.* 1 Et alibi: *Cibaria & virga & onus asino, panis & disciplina & opus servo. Operatur in disciplina & quærit requiescere: laxa manus illi & quærit libertatem. Iugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet. Multam enim malitiam docuit otiositas: In opera constitue eum. Sic enim condecet illum. Quod si non obaudiverit, curva illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem: verum sine judicio nihil facias grave.* 2 At de servis bonis longe aliter eædem literæ loquuntur. *Non lædas*, inquiunt, *servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* 3 Et Apostolus: *Domini*, inquit, *quod justum est & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cœlis.* 4

1 Proverb. 9.
2 Ecclesiastici 33.
3 Ecclesiastici 7.
4 Ad Coloss. 4.
5 Epist. 47.

Seneca in sua elegantissima epistola 5 humanitatem erga „ servos maximopere commendat. Cum servis, inquit, famili- „ ariter vivere decet. Servi sunt? imo homines. Servi sunt? „ imo contubernales. Servi sunt? imo humiles amici. Servi sunt? „ imo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere for- „ tunæ. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum servo suo „ cœnare: Quare? nisi quia superbissima consuetudo cœnanti „ domino stantium servorum turbam circumdedit. Deinde „ subjungit. Vis tu cogitare illum, quem servum tuum vocas, „ ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, „ æquè vivere, æquè mori. Tam tu illum ingenuum videre po- „ tes, quam ille te servum. Stare ante limen Calisti dominum „ suum vidi, & aliis intrantibus excludi. Martiana clade mul- „ tos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pa- „ storem, alium custodem casæ fecit. Et infra. Sic cum infe-

„ riore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis.
„ Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat,
„ veniat in mentem, tantum in te domino tuo licere. At ego,
„ inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan ha-
„ bebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus,
„ qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes.

Nec tantùm à dominatu facilis est lapsus in servitutem, sed sæpe etiam usu venit, ut domini servorum suorum fiant mancipia. Multa sunt exempla, sed unum sufficit. Marcus cum in Bruti partibus præturam gessisset, hostis judicatus est, & postea in Philippicis campis superato Bruto, ut plerique alii, captus fuit. Astu verò cum servum se fingeret à Barbula emptus est. Qui cum in eo & prudentiam & ingenium animadverteret esse, aliis eum servis ac simul domui gubernandæ præfecit. Sed cum in dies re ipsa videret modestiæ atque veræ urbanitatis plus in eo, quam communiter in servis soleat esse, secreto compellatum efficacibus verbis urgere cœpit, ut si in rebellium numero esset, illud ne occultaret, quoniam ejus liberandi rationem initurus esset. Sed Marcus risu discutere rem quærebat, negans ex eo numero se, sed vere servum esse: eos quoque quibus ante serviverat, tempusque quo venundatus fuerat, ceu rem veram apposité narrabat. Verum Barbula, ut certiora hac de re argumenta eliceret, dixit, velle se Marcum Romam secum ducere, ratus si inter rebelles haberetur, præ timore Romam ire recusaturum. Marcus autem non minus quam Barbula ingeniosus, affirmat libenter secuturum. Profectus igitur ad urbem cum Barbula, dum ad consulis valvas dominum moratur, à cive Romano agnitus est, qui Barbulæ ceu amico eum detexit. Is nulla mentione de hoc cum Marco facta statim ad Agrippam profectus, per eum ab Augusto impetravit, ut Marco ignosceretur: atque eum postea ad Augustum deduxit, à quo in amicorum numerum receptus est. Non multo post Barbula inter Antonii amicos, post Actiacam pugnam captus est, atque incognitus à Marco emptus. Sed cum Marcus paulo post Barbulam esse cognovisset, ab Augusto salutem ejus impetravit. Horum casibus fortuna satis varietatem suam expressisse videtur, cum eum qui Prætor fuerat servum fecit, nec multo post egit, ut dominum, cui Prætor servierat, Marcus servum haberet. 6

6 Fulgos. lib. 6. cap. 11.

Redeo

Redeo ad Senecam, qui ſub nomine Lucilli his verbis quemvis dominum monet. Vive cum ſervo clementer, comiter quoque & in ſermonem admitte, & in conſilium, & in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eoſdem deprehendam alienorum ſervorum oſcultantes manum. Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint? Dominum patremfamiliæ appellaverunt: ſervos (quod etiam in minis adhuc durat) familiares. Inſtituerunt diem feſtum, quo non ſolum domini cum ſervis veſcerentur, ſed quo utiq; honores illis in dominos gerere, jus dicere permiſerunt. Quid ergo? Omnes ſervos admovebo menſæ meæ? Non magis quam omnes liberos. Erras, ſi exiſtimas me quoſdam quaſi ſordidioris operæ rejecturum, ut puta illum mullionem, & illum bubulcum: non miniſteriis illos æſtimabo, ſed moribus. Sibi quiſque dat mores: miniſteria caſus aſſignat. Quidam cœnent tecum, quia digni ſunt, quidam ut ſint. Si quid enim in illis ex ſordida converſatione ſervile eſt, honeſtiorum convictus excutiet. Non eſt mi Lucilli quod amicum tantum in foro & in curia quæras: ſi diligenter attendas, & domi invenies. Sæpe bona materia ceſſat ſine artifice. Tenta & experire. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat. Servus eſt? ſed fortaſſis liber animo. Servus eſt? hoc illi nocebit? Oſtende quis non ſit. Alius libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo conſularem aniculæ ſervientem; dabo ancillulæ divitem; oſtendam nobiliſſimos juvenes mancipia Pantomimorum. Nulla ſervitus turpior eſt quam voluntaria. Quare non eſt, quod faſtidioſi te deterreant, quominus ſervis tuis hilarem te præſtes, & non ſuperbe ſuperiorem. Colant potius te quam timeant. Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum ſervos, & dominos de faſtigio ſuo dejicere: quod dixi, colant potius dominum quam timeant. Itane inquit prorſus colant tanquam clientes, tanquam ſalutatores? Hoc qui dixerit, obliviſcetur id dominis parum eſſe, quod DEo ſatis eſt,

„ qui colitur & amatur. Non poteſt amor cum timore miſ-
7 Ibidem. „ ceri. 7

Quæ Seneca docet multi dominorum fecerunt, innumera ſunt exempla, ſed ſancti Jobi illuſtriſſimum, in quo diligendo ſervi communes amoris metas erant prætergreſſi, *Si non dixerunt*, inquit, *viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* 8 Incredibilis hic ſervorum amor, non poterat niſi ex incredibili bonitate domini proficiſci.

8 Job. 31.

Porro quòd (ut ſuperius dictum eſt) certis feſtis atque ſolennitatibus convivia domini ſervis & epulas adornabant, id non ſolis Græcis, neque ſolis Romanis, ſed multis etiam aliis gentibus uſitatum fuit. Nam ut Athenæus Beroſi atque Cteſiæ hiſtoricorum teſtimoniis comprobat, 16to. Kalendas Septembris feſtum Sacean in urbe Babylone quinque dierum ſpatio celebrabatur, quibus moris fuit, ut ſervi dominis imperarent, & illorum aliquis, ſtola regiæ ſimili indutus, (quem Zoganem appellabant) univerſæ familiæ præeſſet. Neſcio annon in ſacris quoque literis hujus rei exemplum nobis ab ipſo Chriſto proponitur, cum ait: *Beati ſervi illi, quos cum venerit dominus inveniet vigilantes: amen dico vobis, præcinctus faciet ut diſcumbant, & prodiens miniſtrabit eis*, 9 hoc eſt interprete Theophylacto, promptus & paratus erit ad ſervis ſuis dandam plenam & perfectam quietem animi atque corporis, ad illorum fida officia atque miniſteria remunerandum.

9 Lucæ 12.

Domini igitur ſervabunt in ſua poteſtate modum, nec ſervos loco pecorum habebunt, multo minus homines liberos ſervilem in modum tractabunt, ut effugiant acerbiſſimam ſervitutem, quam malis dominis Dominus DEus minatur. 10

10 Hieremiæ cap. 34.

Caput XII.

De Re Familiari.

Oeconomiam ſupra diximus eſſe rectam domus adminiſtrationem. Domus autem partes ſunt, familia & res familiaris. De familia, quæ eſt ſocietas certarum perſonarum jure domeſtici convictus devinctarum, hucuſque egimus, de re familiari ſuperius aliqua inſinuavimus, ad quæ hic etiam pauca addenda ſunt.

Rei

Rei ergo familiaris primo acquisitio, deinde acquisitæ possessio, ac conservatio, tum denique possessæ & conservatæ dispensatio est necessaria. Acquisitio industriam desiderat & modum. Industria certis domesticis certos labores ad acquirenda bona distribuit. Hos domesticos labores paterfamilias vigilanter & prudenter observet, manum etiam, cum necesse est, & pro laborum ratione, sedulò operi admoveat. Nullus enim res alienas æquè tuetur atque suas. Ex quo Porus interrogatus, quid maximè æquum saginaret? Oculus inquit domini. Libys etiam interrogatus, quid optimè pinguefaceret agrum, vestigia respondit domini. Ideo Socrates dicere solebat, dominum ante servos exurgere, & ultimum ire cubitum oportere. Surgere namque noctu, & ad valetudinem, & ad Oeconomiam, & ad Philosophiam confert vehementer.

Modus acquirendi alius est à natura præscriptus, alius ab arte. A natura Agricultura & Pecuaria: quæ benedictionem DEi & pium familiæ laborem requirunt. Erycius Puteanus pecuarios homines dicit esse pigerrimos, qui (ut ipse loquitur) absque sudore alimentum inveniunt magis quam parant. 1

Agriculturam nemo est qui non laudet, & meritò, cum sit omnium acquisitionum prima, & maximè secundum naturam, non ex hominum instituto & præscripto orta. 2 Hujus cura & acquisitio circa alimenta est, quæ cum propter cætera animalia data sint, tum præcipuè propter hominem, quem tanquam perfectissimum animal natura maximè intendit, ut philosophatur Politicus in Oeconomicis, 3 ubi dicit possessionis primam curam esse eam, quæ est secundum naturam, secundum naturam verò potissima est agricultura. Natura enim omnis educatio est à matre, quare & hominibus à terra. 4 Est autem summè honesta, utilis, justa, jucunda, & necessaria. Omnium rerum inquit Orator, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. 5 Et rursus: Vita inquit rustica, quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, ac justitiæ magistra est, atque maximè distincta à cupiditate, & cum officio conjuncta. 6 Denique nulla inquit vita beatior esse potest, neque solum officio, sed & delectatione & saturitate, copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominum & cultum etiam pertinent. 7 Justitiam agriculturæ,

1 Civil. doctrinæ lib. 1. cap. 5

2 1. Polit. 5.

3 Lib. 1. cap. 2.

4 1. Polit. 7.

5 Lib. 1. De offic.

6 Pro Rosc. Amer.

7 Cato major

culturæ, Plinius prædicat, dum dicit nullum esse justius genus
8 lib. 9 Epist. 37. reditus, quàm quod terra, cœlum, annus refert. 8 Necessitatem vero explicat Vitruvius exemplo satis eleganti. Quemadmodum inquit natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci: sic civitas sine agris & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri. 9 Quamobrem merito Philosophus toties in libris Politicorum optimam esse asserit rempublicam, cujus cives ex re rustica atque pastione vivunt. Cujus rei hanc causam reddit, quia ex legibus seque resque suas regunt. Habent enim ex opere suo, quantum satis ad vivendum sit, & tamen eis otiosis esse non licet. Cæteras respublicas, quas opificum & mechanicorum multitudo tenet, longe deteriores judicat, cum ignava eorum hominum desesque vita sit, neque ullum opus eorum cum virtute congruat. Ex quorum numero crediderim fuisse illum, qui à patre terram colere coactus, postquam in tabella scripsisset, Agriculturam esse rem infinitam, & nunquam posse absolvi, laqueo sibi vitam finivit. 10

9 de Architectura lib. 2.

10 Phavorinus Philosophus.

Merito & Maro exclamat:

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus,
Si non ingentem foribus domus alta superbis,
Mane salutantum totis vomit ædibus undam:
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreiaque æra:
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies, & nescia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ vivique lacus: at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni.
Non absunt illis saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, parvoque assueta juventus,
Sacra Deûm, sanctique patres extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit. 11

11 Georgic. lib. 2.

Porro

Porro ad artem pertinet Mercatura, & Locatio operæ. Mercatura alia est laudabilis, alia sordida, illa divinitus concessa, societatique civili est necessaria, honesti lucri gratia exercetur, hæc ob proprium lucrum, & cum aliorum detrimento. Ad hoc genus Mercaturæ spectat annonæ flagellatio, & vorax usura.

Operæ locatio est acquirendi modus, quo pro mercede opera hominis venditur: eaque fit exercitio artificiorum, non modo liberalium, sed maxime etiam manuariorum.

Denique possidentur ac conservantur acquisitæ facultates per parsimoniam, recte dispensantur ad nostram necessitatem, & amicorum commodum, maximè si tantæ fuerint, ut & nobis & amicis sufficiant.

Tractant hoc loco scriptores de domo seu ædibus privatis, similiter de pecunia & divitiis, de quibus nos alibi commodius.

Finis Libri primi de Politica hominum Societate.

DE

DE POLITICA HOMINUM SOCIETATE,

LIBER II.

DE CIVITATE.

CAPUT I.

De Civitatis & Metropolis definitione.

§. I.

Quid sit Civitas?



Ivitatis appellationem variè à scriptoribus accipi invenio. Inprimis usurpatur pro mœnibus duntaxat & ædificiis: sicut etiam ecclesiæ significatio ad paucos ordines redigitur, adeoque ad templum seu ædes sacras. 1 Cum ecclesiæ nomine etiam civitatem intelligi testis sit Simon Schardius. 2 Deinde accipitur *civitas*, pro jure civium ac libertate, qua cives utuntur: unde dicebantur olim civitate Romana donari, quicunque ad jura libertatemque Romanorum admittebantur. Exempla commemorat plurima Cicero, 3 quæ huc referre non est necesse. Præterea dicitur *civitas* quicunque populus iisdem legibus & moribus gubernatus: ut civitas Allobrogum, Helvetiorum. 4 Tandem *civitas* propriè non pro loco aut juribus, sed pro ipsis civibus sumitur, atque ita dicimus, factas preces civitati, aut mandatum esse aliquid eidem. 5 Disertè id testatur Nonius, secundùm quem hoc urbem inter, ac civitatem interest, quod civitas dicantur incolæ, urbs verò ipsa ædificia complectatur. Cujus rei ignoratione Carthaginenses in re maxima decepti sunt. Nam cum in Senatu Romanorum de Carthagine excindenda decerneretur, pervulgata fama Carthaginenses legatos Romam miserunt, ne urbem rerum antea gestarum glo-

1 Tit. Cod. de Sacrosanct. Eccl. & de his qui ad Eccl. confug. in rubr. Oldend.

2 Lexic. Jurid. Verbo Civitas.

3 Pro l. Corn. Balbo pro Archia Poëta & alibi.

4 Conan. lib. 1. c. 7. num. 1.

5 L. si quando C de bon. vac. lib 10. Alciat. de Verb. sign. in lege 2.

ria clarissimam ac urbis ipsius Romæ decus monimentumque victoriarum illustrium delerent. Nihilominus re diu multumque in senatu agitata decretum est ad imperii Romani salutem deleri Carthaginem oportere, tum propter loci opportunitatem, tum etiam propter insitam Pœnis perfidiam, qui jam Romanorum socios bello lacessiverant, & finitimos populos latenter ad defectionem invitabant. Postеaquam ita decretum esset, legati Carthaginensium in senatum venire jubentur, quibus responsum est à consule, ut in fide Senatus populique Romani permanerent, obsidibus trecentis, ac navibus populo Romano datis: civitatem Carthaginensium salvam fore, jura, privilegia, immunitates easdem habituros, quibus antea semper usi fuissent. Legati accepto responso læti domum redeunt. Interea Scipio Africanus Junior accepta classe Carthaginem maturè proficisci jubetur, & urbem ferro flammâque delere, salvis civibus ac rebus omnibus, quas ex urbe exportare possent. Scipio Censorinum legatum mittit, qui posteaquam obsides una cum navibus Carthaginensium recepisset, jussit populum universum Carthaginensem ex urbe excedere: sic tamen, ut quæcunque vellet exportare, urbemque à portu remotiorem condere liceret: Carthaginenses imperio ducis perterrefacti, fidem senatus populique Romani appellant: quibus responsum est, populum Romanum semper fidem coluisse: & quæcunque legatis eorum promissa fuissent præstitisse: civitatem verò mœnibus urbis minimè contineri. Ita Carthaginenses verborum ambiguitate decepti, urbem totius Africæ pulcherrimam ardere & solo æquari viderunt. 6 Ita sæpissimè (subjungit hic Bodinus 7) legati juris fæcialis, ac legum imperiti, in pacis actionibus fœderibusque feriendis gravissimè peccant.

6 Appian. in Lybico.
7 De rep. lib. 1. cap. 6.

Ex quibus planum est urbem sine civitate dici posse, quin etiam potest ipsa civitas sibi constare mœnibus urbium solo æquatis, vel oppidis ac magnis civibus vacuis, ut Athenienses bello Persico urbem penitus deseruerunt, & navibus salutem sibi quæsierunt: sic enim oraculum Themistocles interpretatus est, civitatem non aliter quam ligneis mœnibus servari posse, id est, civium cœtum ac multitudinem legibus sociatam, adversus hostium, copias non aliter, quàm navibus tutam fore. 8 Idem contigit Megalopolitanis, qui Cleomenis exercitu territi, urbem

8 Plut. in Themist.

urbem omnino desertam esse passi sunt: non minus tamen urbs erat, quam antea, sed neque civitas neque respublica dici poterat, cum civitas quodammodo ex urbe exiisset. 9 Sic enim Pompeius cum ducentos Senatores ac meliorem civium partem ab urbe quam Cæsari reliquerat seduxisset. *Non est*, inquit, *in parietibus respublica.* 10

9 Bodinus de rep. lib. 1. cap. 6.

10 Diod. lib. 41.

Planum item est, posse esse alicujus reipublicæ cives, quamvis in urbe non habitent, cum habitatio ad jus civitatis non requiratur, nec sufficiat. Multi habitant in urbibus, qui tamen cives non sunt, ut incolæ, peregrini, servi & cives honorarii: & multi extra mœnia habitant, qui cives sunt. Nam Quintus ad Consulatum aut Dictaturam vocatus est ab aratro, item Seranus. 11 Cato Senex, Lucullus, & infiniti alii traduxerunt familias in villas. Unde Halycarnassæus universos cives Romanos dividit in urbanos & rusticos. 12 Quin & Athenienses sæpe legimus ex agris ad suffragia esse citatos, 13 & Clienses totam ferè vitam ruri exegisse, 14 qui tamen unius civitatis cives erant. His addi possunt Lacones, quos ita de se loqui apud Senecam invenio. *Aliud cæteros, aliud Lacones decet; nos sine deliciis educamur, sine muris vivimus, sine vita vincimus.* 15

11 Plin. lib. 3. cap. 18.

12 Sigon. de jur. Civ. Rom. cap. 6.

13 Demost. in orat.

14 Polyb. lib. 4.

15 Lib. Suas.

Porro in definitione civitatis non conveniunt Scriptores Politici, Tullius vocat civitates concilia cœtusque hominum jure sociatos: quod non placet Arnisæo, 16 quia melius sic vocari possunt collegia & tribus: & civitas non tam hominum quam familiarum est societas. Nam ut bene dicit Bodinus, 17 quamvis paterfamiliæ septingentas uxores habeat, quot Salomon rex Hebræorum, & sexcentos liberos, quot Hieronymus rex Parthorum ab uxorum multitudine sustulit: aut quingentos servos, quot M. Crassus in censum retulit; quia sub unius & ejusdem patrisfamiliæ imperio sunt, nec populi, nec civitatis appellatione veniunt: etiamsi filios omnes, ac servos, connubiorum ac commerciorum jure conjungat, quamdiu fuerint sub ejusdem potestate, quem etiam in cunis adhuc vagientem lex ipsa patremfamilias appellat.

16 Doctr. Polit. lib. 1. cap. 6.

17 De rep. lib. 1. cap. 2.

Itaque idem Arnisæus laudat Aristotelem, secundum quem civitas est domorum & generum seu familiarum societas. 18 Georgius Schönbornerus, 19 & cum eo multi, describunt civitatem, quod sit hominum secundum easdem leges viventium

18 lib. 3. Polit. cap. 6.

19 Polit. lib. 1. cap. 13.

certa ratione moderatus cœtus. Extat & Sancti Augustini definitio, qua dicitur civitas esse cœtus multitudinis juris consensu & utilitatis communione sociatus. 20

20 Lib. 19. de Civit. Dei cap. 21.

Inter civitatem & rempublicam id discriminis Arnisæus & Schönbornerus aliique scriptores esse volunt, quod civitas sit quasi materia, respublica vero tanquam forma. In quo intellectu fuisse videtur Isocrates, qui rempublicam, animam civitatis vocavit. Et Aristoteles 21 qui rempublicam choris & harmoniis, civitatem personis & numeris comparat. Sicut enim iidem homines mox Tragicum, mox Comicum possunt instituere chorum, ita & civitas eadem variis potest informari rerumpublicarum formis: sicut Judæorum civitas nunc à judicibus, nunc à regibus, nunc à principibus gubernata est.

21 Lib 8. Polit. cap. 3.

§. II.

De Metropoli.

Metropolis (Budæo teste 1) illa dicitur civitas, ex qua coloniæ, nempe alia oppida processerunt; ex qua nimirum coloni & incolæ in alium locum translati sunt. Unde (ut bene Suidas & Simplicius advertit) Metropolis sicut mater, coloniæ sicut filiæ habentur, quæ si beneficio afficiantur, honorem urbi matrici tribuunt, si verò lædantur, abalienantur. 2 Priscis Monopolis dicebatur quam agricolæ soli inhabitabant. Dipolis, quam agricolæ & mercatores. Tripolis caput cujusque provinciæ. Tetrapolis, quæ nobis Metropolis. 3

1 ad L. observare de offic. Procons. in annot. prior ad Pand.

2 Lib. 8. de Geometr.

Quia verò à robore dignitate & amplitudine metropoleos, totius provinciæ cujus illa caput est, pendet salus & gloria, ideo munire illam inprimis oportet ut reliquæ civitates tempore belli perfugium habeant. Quo consilio Romani patres orbis metropolim collocaturi.

3 Inst. Herold. contin. belli sacri lib. 1. c. 8.

Delegêre locum & posuere in montibus urbem.

Deinde necesse est eandem Metropolim modis omnibus ornare, & amplificare, id quod & res ipsa exigit, & Syracides admonet, *fili*, inquit, *ædificatio civitatis confirmabit nomen.* 4 Et certè, ubique gentium adeo negotium hoc curæ principibus fuisse reperio, ut etiam in Polonia ac Lithuaniâ, ubi summa libertas, & summa est nobilitas, ac quod inde sequitur, nullo pretio, nisi virtute

4 Eccl 40.

ac

ac meritis comparabilis, ea tamen duabus, Cracovienſi nimirum in Polonia, & Vilnenſi in Lithuania, civitatibus liberaliſſimè & perfectiſſimè collata ſit. Qua de re his verbis ſcribit Petrus Mieſzkeroski. 5 *Majores noſtri civitates ſuas liberaliſſimis privilegiis immunitatibuſque donarunt. Cracoviam certe quæ regni caput eſt, jure quodam nobilitatis gaudere permiſerunt, idemque & Vilnenſi in Ducatu Lithuaniæ primariæ urbi conceſſerunt, adeo ut inter terreſtres nuncios, qui ad comitia generalia ex ſingulis Palatinatibus confluere conſueverunt, illarum etiam nuncios admiſerint, & liberrimi voti copiam ſententiæque dicendæ in ordine ſuo conceſſerint; & quod caput eſt ad S. R. M. deoſculandam manum in frequentiſſimo ſenatu evocari conſueverint.*

5 In Polono Jure Polito in Mercatore pag. 406.

Ad quod præclari certe Scriptoris teſtimonium non eſſet neceſſe quidquam adjicere, niſi verbo *quodam* extenuata videri poſſet dictarum civitatum nobilitas. Nam Cracoviam (inquit) quæ regni caput eſt jure *quodam* nobilitatis gaudere permiſerunt. Verum ne ulla deinceps maneat dubitatio, Jus Curiæ Vilnenſis, quod ſolùm nunc ad manum habeo, allegandum & ad verbum ex archetypo transſcribendum exiſtimavi: illud autem hujuſmodi eſt.

„ In nomine Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus „ Sancti Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Literas propterea eſſe repertas non ignoramus, ut quarum rerum memoriam ſempiternam extare cupimus, & illarum monumentis „ contineantur, & ad poſteros transmittantur. ideo nos Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, „ Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæ, Dominus & heres. Cupientes noſtram erga civitatem Vilnenſem ſedem ac domicilium imperii in Lithuaniâ, noſtræ gratiæ ac clementiæ prodere ad poſteritatis memoriam teſtimonium, notum ac teſtatum eſſe volumus, quorum intereſt, vel intererit, aut quocunque modo intereſſe poterit, univerſis & ſingulis, qui nunc ſunt, quique poſt futuri „ ſunt, tam domeſticis, quàm externis: quod cum ſingularem „ fidem, obſervantiam, ſubjectioniſque reverentiam, ac cultum erga nos civitatis Vilnenſis incolæ ſemper declaraſſent, „ hocque præſertim belli tempore, nos, remque publicam noſtram & pecunia ſæpe juviſſent, & pro noſtra, reique publicæ

„ nostræ salute ac dignitate, extrema quæque pati paratos se
„ omni alacritate demonstrassent; aliisque fidelium & obse-
„ quentium subditorum officiis suam fidem nobis sæpe pro-
„ bassent, ut parem meritis illorum gratiam à nobis vicissim
„ consequi possint, in comitiis hisce generalibus Grodnensibus
„ hoc nos privilegio prę cæteris omnibus civitatibus & oppidis,
„ ornandos & condecorandos duximus; ut omnes quicunque
„ in Magistratum electi Reipub. illius civitatis negotia tra-
„ ctant, & quorum cura ac solicitudine pro eorum virili parte
„ illius civitatis tranquillitas & incolumitas continetur, Advo-
„ cati scilicet, Proconsules, Consules, Scabini, & Notarii, or-
„ dini equestri nobilitatique exæquentur, iisque omnibus li-
„ bertatibus, immunitatibus, prærogativis honoribus, reputa-
„ tionibus ornati gaudeant, quibus indigenæ terrarum Li-
„ thuaniæ nobiles gaudent. Igitur motu proprio auctoritate-
„ que nostra regia, qua non minore quàm reliqui omnes Reges
„ ac Principes, imo majore etiam, qui nullum in terris superi-
„ orem in secularibus recognoscimus, fungimur, decernimus
„ & in perpetuum constituimus. Primùm, ut si qui sunt in Ma-
„ gistratu Vilnensi tam Advocatiali, quàm Proconsulari, Con-
„ sulari, Scabinali, ac Notoriali munere fungentes ex nobili
„ genere, tam hic, quam foris nati, eorum nobilitati functio
„ Magistratus ne obsit. Deinde qui sunt in illo Magistratu ex
„ plebeio, ignobilique genere, ob Magistratus tamen in prima-
„ ria & de nobis optimè merita civitate gesti & administrati
„ dignitatem, nobilibus exæquamus, ita scilicet ut æquales &
„ pares perpetuo sine ullo probro & ignobilitatis notâ censean-
„ tur, eorum quoque liberis, si vilibus artibus se non contami-
„ naverint, sed liberalia vel militaria studia coluerint, eadem
„ dignitate gavisuris, ut ad omnes honores Spirituales, & secu-
„ lares, item ad possessiones terrestres, quæ solis fere genere
„ nobilibus deberentur, aditus illis patere perpetuo possit;
„ tamque ad Ecclesiastica beneficia quælibet, majora & mino-
„ ra, ac Prælaturas, seu in Cathedralibus, seu Collegiatis ac qui-
„ busvis aliis Ecclesiis, quam etiam ad secularia officia digni
„ semper habeantur. Hoc enim privilegio nostro parentibus
„ eorum pro Magistratus civilis functione concesso, ipsi quo-
„ que majore studio & ardore virtutem colent, atque omni ho-
„ nesto

„ nesto officio ut pares esse tanto decori à nobis concesso pos-
„ sent, contendant, unde ad Rei hujus publicę usum & utilitatē,
„ majus uberiusque seminarium pullulare perpetuo posse, certo
„ nobis persuademus. Licebitque prædicto Magistratui & eo-
„ rum liberis nobilium stemmata seu insignia si volent sibi as-
„ sumere, de consensu tamen & voluntate alicujus familiæ ejus
„ generis, quod ea arma gerit, quæ illi assumere optaverint,
„ quibus insignibus, in omnibus actionibus suis tam in annu-
„ lis signatoriis, quam in sculpturis ac picturis privatis uti po-
„ terunt perpetuo, non requisito deinceps vel nostro vel suc-
„ cessorum nostrorum consensu, aut alio privilegio novo &
„ speciali. In publicis verò officii civilis negotiis & actibus, u-
„ tentur sigillo civitatis usitato, S. Christophori imaginem
„ continente, cera verò rubra more primariarum in Regno Po-
„ loniæ civitatum. Eximimusque illos ab omni probro, nota,
„ convitio, ignominia, contemptu, contumeliis, quibus igno-
„ biles à nobilibus insectari & proscindi solent. & eandem pœ-
„ nam in exprobrantes præfato Magistratui Vilnensi ignobili-
„ tatem & vilitatem statuimus, quæ in statutis nostris in eo de-
„ creta est, qui verè nobili ignobilitatem exprobret. Volentes
„ insuper, uti qui plenum laboris & sollicitudinis pro repub.
„ munus sustinent, ac quotidie gravissimis totius civitatis cu-
„ ris anguntur pręceteris concivibus suis aliquod sentiant prę-
„ mium, liberamus omnes in Magistratu constitutos, Advoca-
„ tos, Proconsules, Consules, Scabinos, Notarios, ab omnium
„ hospitum aulicorum videlicet nostrorum, vel Successorum
„ nostrorum, vel quorumvis aliorum cujuscunque status, con-
„ ditionis, praeminentiæ, receptatione, tam comitiorum tem-
„ pore, quam alio quovis, ut domus habitationesque illorum,
„ in quibus ipsi degunt liberæ perpetuo sint, ne domini domus
„ quorum industria consilio & providentia respublica civitatis
„ regitur, receptorum hospitum molestia turbati, ad sui mune-
„ ris functionem segniores ac ineptiores reddantur, ac uti hacte-
„ nus fieri experimur, bonus ordo & regimen civitatis impe-
„ diatur. Quod quidem privilegium à nobis, Advocatis, Pro-
„ consulibus, Consulibus, Scabinis, Notariisque Civitatis Vil-
„ nensis, & eorum successoribus datum, nos ratum firmumque
„ perpetuo conservaturos pro nobis & successoribus nostris,
„ verbo

„ verbo fideque nostra regia pollicemur, nullo unquam tem-
„ pore immutandum. Caventes insuper si M. Ducatus Lithu-
„ aniæ, quod speramus cum regno Poloniæ unitus realiter &
„ in effectu fuerit, hoc privilegium præfato Magistratui datum,
„ æquè in Regno, sicut in Magno Ducatu valiturum. Volumus
„ etiam insuper, ut Magistratus sæpe nominatus Vilnensis, ad
„ omnia Comitia generalia tam in Magno Ducatu Lithuaniæ,
„ quam etiam in regno Poloniæ, si unio ipsorum dominiorum
„ debitum sortita fuerit effectum, binos vel ternos Consules ex
„ Collegio suo mittant, qui secundùm nuntios terrestres resi-
„ dendi, & de rebus ad statum civitatis Vilnensis pertinentibus
„ dandæ sententiæ jus potestatem facultatemque perpetuis
„ temporibus sunt habituri. In cujus rei fidem, & evidentius
„ testimonium, præsentibus sigillum nostrum est subappressum.
„ Datum Grodnæ in conventione generali 15. Junii Anno
„ Domini 1568. Præsentibus Rndmis, illustrissimis, Magnifi-
„ cis, Domino Valeriano Vilnensi, Victorino Luceoriensi, Ge-
„ orgio Mednicensi, Nicolao Kijoviensi Episcopis. Nicolao
„ Radziwill in Dubinki & Birze Duce, Palatino Vilnensi,
„ Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellario, Borisoviensi Li-
„ densique Capitaneo. Gregorio Chodkiewicz Castellano
„ Vilnensi, & exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ summo,
„ & Grodnensi, Mosirensi Carnoviensiq; Capitaneo. Stephano
„ Duce Zbarascen', Palatino Tracen', Georgio Chodkiewicz,
„ Castellano Trocensi, Joanne Chodkiewicz libero Barone in
„ Szkloro & Bychoro, Capitaneo Samogitiæ, Magni Ducatus
„ Lithuaniæ, Magno Marschalco, Archiepiscopatus Rigen'.
„ Administratore, Plotelensi Telzen' tenutario. Stanislao Do-
„ woynic, Polocen', Paulo Sapieha Novogroden', Georgio
„ Tyszkienrez Bresten', Volcoviscen'que Capitaneo. Georgio
„ Oscik, Mscislaviensi, & Capitaneo Braslaviensi. Gabriele
„ Hornostay Minscen' Palatinis. Georgio Zienonwicz Polocen'
„ & Leplen' Capitaneo, Georgio Wolowicz Novogrodnen'
„ & Slonimen' Capitaneo, Georgio Tryzna Podlasen'. Joan-
„ ne Hayko Bresten' Castellanis, & Capitaneo Vilkien', Eusta-
„ chio Wolowicz Magni Ducatus Lithuaniæ Vicecancellario,
„ ac curiæ Marschalco, Bresten. Kobrinenque Capitaneo. Ni-
„ colao Naruszewicz Thesaurario terrestri Magni Ducatus Li-
„ thuaniæ,

„ thuaniæ, Markoucen', Miedalen', Capitaneo. Nicolao Kiſzka „ Pocillatore noſtro, Drokicen'que Capitaneo. Chriſtophoro „ Radziwill Inciſore noſtro. Nicolao Olechowicz. Doroſtayski „ Brimario Dapifero, alias Stolnick M. D. Lithuaniæ, Velunen „ tenutario; Joanne Szymkowicz, Marſchalco, ac in Magno „ Ducatu Lithuaniæ noſtro tenutario, Tikocienſi, Vilkominen- „ ſi Capitaneo. Luca Swirſki, Joanne Woloczek, Joanne „ Swirski, Marſchalcis noſtris, Laurentio Woyna, Michaele „ Haraburda, Baſilio Dizewinski, Matthia Sawicki, Notariis „ & aliis quàm plurimis conſiliariis officialibus noſtris.

„ Sigismundus Augustus Rex.

„ Nicolaus Naruszewicz Theſaurarius ac
„ Notarius terreſtris M. D. Lithuaniæ.

Quod privilegium (ut patet) Magiſtratui Vilnenſi conceſſum eſt antequam unio inter Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ facta eſſet: in concordia autem unionis, fide publica & Sacramento, quo ſtatuitur, omnia in Lithuania in eodem ſtatu, in quo erant ante unionem ſervanda eſſe, confirmatum eſt.

Ex quo conſtat privilegium hoc, eadem firmitate & robore niti, qua, & quo nititur fœdus ac concordia unionis inter Regnum & Ducatum concluſæ. Hinc & Sereniſſimi reges, in hujus libertatis ac nobilitatis cauſis ſemper ſecundùm privilegium pronuntiaverunt, & Magiſtratum Vilnenſem ac Cracovienſem, eſſe in perpetuo ſuorum privilegiorum uſu & Petrus Mieſzkoroſki, & tota reſpublica atteſtatur.

Caput II.

De Cauſis Civitatis.

Ut nulla res (ſolo Deo excepto) ſine cauſa exiſtit, ita & civitatum, certas cauſas exiſtere neceſſe eſt: cauſam nimirum effectricem à quâ; materiam, ex qua, finem ad quem factæ ſunt civitates. De quibus ſolis agendum eſt nobis hic, nam de quarta forma videlicet civitatis, libro tertio, quem de Republica inſcribimus, commodius agemus.

§. I.

De Origine Civitatum & causa efficiente earundem.

DE primo urbium ac civitatum exordio, varii varia comminiscuntur, multaque etiam fabulosa admiscent. Aristoteles qui mundum æternum existimavit, nullum exordium civitatum statuit. Poëtæ aureo sæculo Saturno imperante, nullas urbes fuisse, sed sub Jove tandem inceptas exstrui, qui post diluvium regnavit, testantur. Ægyptii persuaserunt Soloni, urbem Athenarum novem annorum millibus conditam ante Solonis ætatem. Nonnulli Thebas antiquissimas jactarunt. Græci existimarunt Cecropen auctorem primæ urbis, & Cecropiam nominatam: alii tamen Argos primam fuisse autumant, ejusque conditorem Phoronæum. Verum Cecrops Moysi, & Phoronæus Jacob Patriarchæ ævo conterminus fuit.

1 Genes. 4. Hos omnes sacer textus de Henochia à Cain condita loquens, 1 confutavit. Primus igitur qui primam civitatem ædificavit fuit Cain, eamque nomine filii sui Henochiam vocavit. Nec dubium est eum etiam in illa habitavisse, ac profugum esse sub finem vitæ desiisse. Nam secundum Josephum, non statim à Deo profugit, sed facile 400. aut 500. annis post, cum jam filios ac filias, nepotes neptesque genuisset, qui Henochiam incolerent, condere illam civitatem cœpit. 2

2 Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 8.

Fuisse autem Henochiam conditam circa Libanum montem qui est ad orientem, in comparatione regionis Damascenæ. Fuisse item urbem amplissimam, ac habitationem gigantum, testis est Berosus, Ammianus. 3

3 in lib. de Temporibus.

Atque hæc prima & unica fuit civitas ante diluvium: quam Sanctus Augustinus 4 dicit fuisse figuram Romanæ urbis ut enim hujus conditor extitit fratricida Cain, ita etiam illius.

4 sup. cit.

Porro dissipata mole aquarum & desiccata terra, anno à condito mundo, millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Noha pater, singulari Dei beneficio cum filiis servatus, urbem juxta Araxim majoris Armeniæ fluvium, condidit, atque illic habitare cœpit: posteros suos cultum divinum, & puram religionem edocens, vivendique leges & disciplinam præscribens. Postea cum paulatim augesceret hominum numerus, auctor

fuit

fuit ſuis liberis atque poſteris, ut in diverſas regiones profecti, terram colerent, & urbibus extructis colonias deducerent. 5

Rude autem & inconcinnum urbium exordium fuit, neque enim ab initio muris aut propugnaculis muniebantur, ſed ut Halicarnaſſeus refert, aggeribus tantùm & arborum truncis, ſive in altum erectis, ſive mox inter ſe contextis & implicatis cingebantur. Quomodo olim Galli & Germani (ut Hubertus Leodius tradit) urbes ſuas extruebant. Trabes enim debitis intervallis diſtantes in ſolo collocabant, eaſque denſo aggere veſtiebant, interpoſitis grandioribus ſaxis: eaque ratione & ab incendio, & arietis robore muniebantur, cum ignem lapis, arietem agger & trabes repellerent.

5 Sim Maiol. Colloq. 4. de Orig. Soc. Hum. & Beroſus Babyl.

Tandem opibus creſcentibus muri circumdari, foſſæ & propugnacula excitari cœperunt: præſertim accedente hominum induſtria in urbibus occupandis, expugnandiſque, laborari etiam debuit, qua tandem ratione munirentur. Unde & muralis corona mox decreta illi, qui primus murum hoſtilis civitatis aſcendiſſet. 6

6 Laurent. Beyerl. Theat. Vit. hum. lib. 3.

§. II.

De Cauſa materiali Civitatum.

CAuſa materialis civitatum, ſeu materia ex qua civitates coaleſcunt ſunt cives. Quid autem ſit civis variant auctores.

Bodino civem fieri placuit, cum paterfamilias ex ædibus, in quibus domeſticum imperium habet egreditur foras, ſeque cum aliis familiarum principibus, ad res rationeſque contrahendas conjungit; tunc certe (inquit) patrisfamilias ac domini nomen amittit, ut ſocium ac civem ſe ferat, & quodammodo è familia exit, ut in civitatē ingrediatur, ac pro domeſticis negotiis publica tractet. *Civis*, autem ſecundum illum nihil aliud eſt, *quam liber homo qui ſummæ alterius poteſtati obligatur.* 1 Prius enim (inquit) quam ulla civitas, aut reipublicæ forma extaret, pater „ quiſque familię ſummum jus vitę ac necis habuit in liberos & „ uxores. Poſtea verò quamvis imperandi cupiditas, tum etiam „ avaritia, & ultionis appetitus aliis in alios arma ſuppeditavit, „ quos bellorum exitus victores fecerat, victos potentiorum li-

1 De repub. lib. 1. cap. 6.

„ bidini servire cogebat: & qui ducem se ferens fortiter rem „ gesserat, non modo familiæ suæ, sed etiam hostibus æquè ac „ sociis imperabat: his quidem ut amicis, illis autem ut servis. „ Tunc plena illa, & à natura cuique tributa libertas vivendi ut „ vellet, victis omnino adempta fuit, ut ipsis quoque victori- „ bus, ab eo quem sibi ducem elegerant quodammodo dimi- „ nuta: propterea quod summum alterius imperium agno- „ scere quemque privatim oporteret. Inde prima servitutis ac „ subditorum, inde civium ac peregrinorum, principis ac ty- „ ranni, origo. Hæc Bodinus. A quo definitionem civitatis da-
2 Doct. Pol. cap. 6. de civib. tam impugnat Arnisæus, 2 quia illam non civi ut civi, sed illi ut subdito, qui à republica constituitur convenire dicit. Potestatis inquit mentio hic in civis definitione fieri non debet, cum subditum complectatur potius, dicatque respectum ad rempublicam, à qua civitas hic abstrahitur. Hinc fit ut & subditis iis competat qui non sunt cives, ut incolis, quippe qui sunt liberi homines, alterius potestati subjecti. Ne dicam quod libertas, licet sit conditio necessaria, ad civis tamen essentiam non pertineat: item quod civis qui in relatione ponitur, per absolutum genus, videlicet hominem definiri non possit.

Aristoteles qui solicitè civem describit, jus in eo atque potestatem suffragii requirit. *Quærimus*, inquit, *eum qui simpliciter civis dicatur, nec habeat aliquam adjunctionem quæ restringat & corrigat: cum & de infamibus & de exulibus eo modo ut supra dubitari & responderi potest. Civis simpliciter, nulla alia re definitur magis, quam participatione potestatis publicæ judicandi & decer-*
3 Polit, lib. 3 cap. 1. *nendi.* 3

Qua in re carpunt Philosophum scriptores, quem tamen defendit Arnisæus proximè à nobis relatus, dicitque eum loqui de cive nondum potestati reipublicæ subjecto. Tum enim ait sicut cives omnes sunt æquales, ita æquale jus habere debent in rebus communibus; quippe quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari juxta regulam 29. Jur. Can. Verum hæc subtilis Arnisæi doctrina minus hic fuit necessaria, cum perspicue Philosophus doceat quemnam illa definitione civem definiat, differentiamque inter ipsos cives statuat. Sic enim ibidem loquitur. *Quare civem quoque esse alium atque alium, necesse est secundum differentiam rerumpublicarum. Itaque ille de quo diximus in populari quidem*

quidem statu maximè est civis : in aliis vero speciebus esse quidem potest, non tamen necesse est. In quibusdam enim civitatibus nec populus est, nec concionis usus, sed senatum habent & judicia, ut apud Lacedæmonios de contractibus cognoscunt hi, qui Ephori nuncupantur, alii alios: de cæde autem Senatus, & forsan alius magistratus de aliis, eodemque modo apud Carthaginenses de omnibus quidem causis magistratus quidam cognoscunt. Sed recipit correctionem quandam definitio civis, quod in aliis rebuspublicis non est indeterminata illa potestas, quæ in concione decernit & judicat, sed determinata secundum jurisdictionem. Horum enim aut omnibus, aut quibusdam concessum est deliberare ac judicare, vel de omnibus, vel de quibusdam. Quis igitur sit civis ex his patet.

Petrus Mieszkoroski in suo Polono Jure Polito definiturus civem, non satis sibi fieri illis definitionibus dicit, *ex quibus quædam, omnem hominum in una civitate aut regno congregationem, nomine civium appellant. Quædam eos tantummodo qui sunt ingenuis oriundi & nobilibus civibus. Quædam qui alterutro tantum ingenuo cive nati sunt. Nonnullæ civem ad avos proavosque referunt; aliquæ peregrinos etiam in societatem assumptos civem vocari existimant. Omnium rectissimè Aristoteles, qui nomine civium eos appellat, qui Magistratus gerendi jus in civitate habent, & ex liberis ingenuisque (addo ego Nobilibus) sunt orti parentibus.* 4 — 4 In Nobili pag. 226.

Sed quid hic auctor velit, non satis intelligo. Nam rejectis inter alias etiam illis definitionibus, quæ eos tantum nomine civium appellant, qui sunt ingenuis oriundi & nobilibus civibus, amplectitur Aristotelem, cui cives illi sunt, qui magistratus gerendi jus in civitate habent, & ex liberis, ingenuis, & (ut addit auctor) Nobilibus sunt orti parentibus.

Aristoteles civem, cui (ut ejus verbis utar) habilitas est participandi potestatis publicæ, deliberativæ & judiciariæ, non Monarchiæ, aut Aristocratiæ, sed solius Democratiæ definivit: illam quoque nascendi in cive felicitatem non ipse requisivit, sed ab aliquibus requiri dixit. *Consueverunt*, inquit, *etiam dicere civem, qui ex duobus civibus ortus sit, & non ex altero solum, seu ex patre & matre: alii verò magis ultra requirunt, seu avos & proavos, vel plures.* 5 — 5. Supr. cit.

Quanquam illa civis ab Aristotele allata descriptio, ne ad popularem quidem statum (ut bene advertit Bodinus 6) accommo- — 6 Lib. 1. de Rep. cap 6.

commodari poteſt; cum in Athenienſium ſtatu omnium maximè populari, quarta claſſis quæ civium multitudine cæteris triplo major erat, ab imperiis ac judiciis arceretur. 7 Quare Athenienſes ipſos in ſua republica & quidem populari, peregrinos fuiſſe fateatur neceſſe eſt uſque ad Periclis ætatem, 8 quiſquis Ariſtotelis definitionem probare volet.

7 Plut. in Solone.

8 Plut ibid.

Quod ſi quis adhuc contendat, ab Ariſtotele eo loci non tantum popularis, ſed etiam omnis politiæ civem definiri; ei facile reſponderi poteſt, Philoſophum nimis in ea re ſuperſtitioſum fuiſſe; idque patet ex eo quod ſecundum illum & pueri nondum ætate perfecti, & ſenes ob ætatem à muneribus publicis vacantes, non ſimpliciter cives dicendi ſunt, ſed quodammodo cives. 9 Addo, ſi vera illa Philoſophi doctrina eſſet, matres atque uxores noſtras minime cives eſſe, cum fœminæ nullum jus ferendi ſuffragii habeant.

9 Ibidem.

Quod attinet ad generis nobilitatem, quam in vero cive Petrus Mieſzkoroski 10 exigit, id jam pridem Plato refutavit, ſecundum quem, non ex medico & medico, neque ex agricola & agricola, ſed ex medico & agricola reſpublica conſtat. 11 Eſt certe civitas veluti quædam natura animata; & ſicut animal bene diſpoſitum ſecundum naturam componitur ex quibuſdam proportionatis partibus invicem ordinatis, ſuaque opera ſibi mutuo communicantibus, & ad totum: ſic civitas ex quibuſdam talibus conſtituitur, cum bene diſpoſita & inſtituta fuerit ſecundum rationem. 12 Congregati autem ſunt homines propter acquirenda neceſſaria quædam, viciſſitudinaria communicatione inter ſe. Nam bene vivere volentibus plura exiguntur, quæ tamen per homines unius ordinis procurari omnia non poſſunt. Atque hi ordines diverſi, ſeu officiorum communicationes multiplices, pro conſervatione vitæ factæ, nihil aliud ſunt, quàm pluralitas & diſtinctio partium civitatis.

10 Ubi ſup. Num. 4.

11 De repub.

12 Marſil. Patav. in defenſore pacis.

Stat etiam pro me Bodini contra Ariſtotelem ſimilia docentem diſputatio. Quod, inquit, tradit Ariſtoteles, patricios „ magis cives eſſe quam plebeios, id abſurdum eſt, non modo „ in populari Athenienſium ſtatu, ſed etiam Helvetiorum & „ Argentinenſium, ubi nobiles fere ab omnibus imperiis ſummoventur. Veriùs eſt à Plutarcho traditum cives dici, qui le- „ gibus ac immunitatibus civitatis fruuntur; quod ex ætate,

„ ſexu,

„ sexu, statu & conditione, cujusque metiendum venit; ut pa-
„ tricii quidem jure patriciorum, plebeii jure plebeiorum. An
„ corporis humani membra de sua conditione querentur? dicet
„ ne pes oculo, cur non in sublimi corporis loco positus sum,
„ an propterea pes inter membra non censebitur. At si Aristo-
„ telis definitioni locus sit; quam multæ seditiones, quot bella
„ civilia, quantæ civium strages in mediis civitatibus exoriren-
„ tur. Certe plebs Romana(addo ego, fortassis & Polona)non
„ aliam ob causam à patribus secessit, quam quod non iisdem
„ imperiis ac immunitatibus quibus nobilitas frueretur: nec
„ aliter sedari potuit quam proposita corporis humani fabula,
„ qua sapientissimus Senator Agrippa, plebem cum patribus
„ conciliavit.Non Romulus ille creator urbis plebem ab impe-
„ riis, sacerdotiis, omnique auspiciorum jure summovit; pa-
„ tricios ea capessere jussit, qui scilicet generis sui stirpem du-
„ cerent ab iis, quos in senatum legerat quosque iis conscri-
„ pserat. 13 — 13 Ubi sup. Num. 6.

Quamobrem optima videtur illa definitio civis à Bodino allata, quæ dicit civem nihil aliud esse quàm liberum hominem summæ alterius potestati obligatum. Non mala & Arnisæi, secundùm quem civis est socius qui cum sua familia in societate familiarum bene vivere intendit. 14 — 14 Doct. Polit. cap. 6. de civit. & civib.

Atque ex istis etiam constat, quid sit Peregrinus. Est enim homo qui civis non est; sive nunquam fuerit civis, sive amiserit civitatem. Quod ab interpretibus animadversum non fuit. *Qui deportantur*, inquit Imperator, *si hæredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt.* 15 Dicuntur & ἀπόλιδες à Jureconsultis, quòd civitate careant. 16 Cæterum in pervulgata constitutione Frederici, cujus initium est, *Omnes peregrini.* aliter accipitur, sed per abusionem ut & in aliis quibusdam locis, pro eo scilicet qui peregrinatur, & peregre abest à domo sua: & ita in Doctorum hominum scriptis interpretari debemus, ne eorum voluntas, quæ verborum proprietati anteponenda est, pervertatur. 17 Peregrinus quoque olim teste Cicerone 18 dicebatur, quem nunc hostem appellamus.

15 L. 1. Cod. de hæred. inst.

16 L. quidam ff. de Pœnis.

17 Duaren. lib. disp. anniverſ. 1. cap. 9.

18 lib. 2. offic.

§. III.

§. III.

De varia Civium inter se distinctione.

DIversum inter cives ordinem pro gentium atque populorum diversitate fuisse à Scriptoribus observatum est. Apud Athenienses primus Theseus, nobiles & doctrinæ deditos quos εὐπατρίδας vocavit sejunxit; deinde agricolas tum plebem & artifices. Nobilibus & eruditione præditis, tractandi rem divinam; magistratus ex suo ordine creandi, administrandique leges; tum pia religiosaque interpretandi definiendique potestatem fecit. 1 Indi in septem genera suos distribuerunt. Unum Philosophorum, qui ab omni opere immunes & præstantissimi sunt habiti: secundum agricolarum: tertium pastorum & venatorum: quartum opificum: quintum militum: sextum ephororum & præsidum: postremum consiliariorum & assessorum regiorum. 2 Ægyptii septem habuerunt ordines: quorum primus fuit Sacerdotum; alter pugnatorum; tertius boum pastorum; quartus subulcorum; quintus rusticorum; sextus interpretum; postremus gubernatorum navalium. 3 Arabes trifariam rempublicam suam partiti sunt, in Sacerdotes, agricolas, & milites. 4 Galli Julii Cæsaris tempore omnes in duo genera divisi fuerunt; Druidum videlicet, & equitum, quorum illi rebus divinis ac religioni operam dabant: hi bellis gerendis districti tenebantur. 5 Romani tres ordines civitatis constituerunt; unum senatorum, alterum equestrem, tertium plebeium. 6 Totidem constituit ordines & Plato, sed diversa ratione: ut esset primus agricolarum, opificum, mercatorum, qui cæteris civibus, veluti horum ministri, ad vitam necessaria compararent: alter militum, qui civitatem tuerentur: tertius custodum, quorum auctoritate & consilio res tum pacis, tum belli tempore gererentur. 7 Aristoteles sex ad civitatem esse necessarios ordines contendit; secundùm res, quæ necessario in urbe requiruntur: & constituit agricolas primum, seu glebæ addictos, & pastores, propter victum: secundo opifices propter instrumenta varia: tertiò milites propter arma: quartò divites propter pecuniam: quintò Sacerdotes propter rerum divina-

1 Plutar. in Theseo.

2 Strabo lib. 15.

3 Herodot. lib. 2.

4 Diod. lib. 6. cap. 10.

5 Jul. Cæsar. lib. 6.

6 Livi. lib. 1. à Condita urbe.

7 Lib. 2. de rep.

rum procurationem: postremo judices & Senatores, propter judicationes & consultationes. 8 — 8 Polit. 7. cap. 9.

Sunt & aliæ apud alios populos civium divisiones, quas hic referre non est operæ pretium. Et de plebeiis quidem civibus nulla est inter auctores controversia, nam plebeios à plebe esse dictos nemo ignorat. Plebs autem eo à populo differt, quod in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines contineantur: plebis autem appellatione sine patriciis & Senatoribus cæteri cives, vulgus nimirum viliorque pars populi significantur. 9 — 9 Balduin. Acteius Capito, & Brecheus in l. plebs tit. de Verb. & rer. Sign.

Romæ multi ex patriciis fiebant plebei, sicut ex plebeiis patricii. Id quum fiebat per adoptionem, nomen mutabatur: quum verò non adoptione, sed aliquo privilegio, aut à plebe ad patres, aut à patribus ad plebem transibant, conservabatur nomen: quod Octaviæ gentis exemplo ostendit Suetonius. Ait enim modo patriciam, modo plebeiam fuisse nomine conservato. Et Dio 10 P. Cornelium Dolabellam, qui Ciceronis gener fuit, transisse ad plebem tradit, ex quo postea tribunus plebis factus est Dolabella, nec desiit esse Cornelius, sed desiit esse patricius. — 10 Lib. 42.

Plebeiorum itaque (ut dixi) civium facilis est apud omnes definitio: at de nobilibus magnæ sunt inter eruditos contentiones.

§. IV.

De Nobilitate.

QUia negotium nobilitatis longam à nobis tractationem exigit, ideo titulum hunc in minores secare partes visum est, ne longior sine interpunctione sermo tædium & nauseam afferat legentibus.

SECTIO I.

De Etymologia Nobilis seu de Nobilitate Grammatica.

VOx *Nobilis* originem suam traxit à *noscendo* veluti *noscibilis*, idemque significat, quod notus, illustris, egregius, insignis, præcipuus, &c. 1 estque (ut Grammatici loquuntur) ver- — 1 Fest. Pomp. & Nonius Marcell.

verbum medium, ſicut fortuna, fama, & ſimilia. Nam nobilis, inſignis, præcipuus, non laudis nomina ſunt, ſed excellentiæ in quacunque re, ſive bona, ſive mala. In bona, cum ad generis dignitatem, aut aliud quid ſimile refertur. Sic Salluſtius dixit Catilinam nobili genere natum : Cicero nobili loco natum. 2 In mala verò re, idem verbum excellentiam ſignificat cum ad aliquod malum apponitur. Sic Livius vocat nobilem clade Romanâ locum, & Plautus velle dicit aliquos ſcelere fieri nobiles. Quare dicimus, facinus nobile, nobilem formam, nobile templum, nobile flumen, nobile gymnaſium, nobile ingenium, nobile nomen, nobilem gemmam, nobile lethum, nobilem equum, nobilem victoriam, nobile vinum, nobilem potorem, nobilem hortum, nobilem fontem, nobile ſcortum, nobilem latronem, nobilem gladiatorem. & ſexcenta alia quæ ferè omnia variorum auctorum teſtimoniis nimis fusè confirmat Andreas Tiraquellus. 3

2 De Divinat. 1.

3 De Nobilit. cap. 2.

Nobili opponitur *ignobilis*, qui non ſemper pro *plebeio* aut *vili*, ſed etiam pro ignoto, uſurpatur. Qua de re celebris eſt apud Plautum locus,

Nunc quando ego ſum, vapulabis niſi hinc abis ignobilis. 4

Et alius,

Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis. 5

Sed maxime inſignis aqud Virgilium.

Solus ut in ſylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret —— — —— —— 6

4 In Amphitr.

5 in Pſeudolo.

6 Æneid. 7.

Ubi Poëta loquitur de Hippolyto, & per ignobilem non vilem, ſed ignotum intelligit, ut bene animadvertit Servius. Neque enim pro vili, aut ignobili in vulgari ſignificatu recte potuit intelligi, cum Hippolytus admodum eſſet nobilis, utpote qui filius Theſei regis Athenienſium, & qui è genere deorum erat. Iſocrates quoque Theſei patrem fuiſſe Neptunum aſſerit. 7

7 In encomio Helenæ.

Sectio II.

De Nobilitate Philoſophica.

Nobilitas hæc nihil aliud eſt quam excellentia & claritas „ ſola virtute quæſita. Gloriari (inquit Phalaris 1) de nobili-

1 Epiſt. ad Axiochum

„ bilitate ut de alio quovis bono licet. Ego autem, virtutem „ solum nobilitatem scio, cætera omnia fortunam. Et fieri quidem posset alius ex ignobilibus parentibus clarus, alius ex claris ignobilis, ipseque seipso, & abjectissimis ignobilior. Itaque animi virtutem apud Syracusanos laudibus prosequi debes: non majorum mortuam in ignobilibus successoribus „ nobilitatem. Similis styli fuit Alphonsi clarissimi Aragonum regis responsum. Nam cum eum aliquis à nobilitate maxime laudaret, quod scilicet esset rex, regis filius, regis nepos, regis frater, interpellans laudatorem, dixit. Nihil esse quod in vita minoris ipse duceret, quàm quòd ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non suam sed majorum suorum esse: quippe qui justitia, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparasset, successoribus quidem oneri regna cedere. & ita demum honori, si virtute potius quàm testamento illa suscipiant. A se itaque, si qua modo extent, elicerent ornamenta, non à mortuis extorquerent. 2 — 2 Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.

Responsum dixi, oraculum est. Nam si omittamus falsam vulgi opinionem, & ipsa principia rerum contemplemur, certum est, nos omnes homines ab uno homine originem habuisse: virtus sola æqualiter nos natos distinguit, & quorum opera extollit eos nobiles & claros reddit: & quamvis vulgi opinio ignara quædam & indocta aliter sentiat, veritas tamen suo dimoveri loco non potest. Itaque is vere est nobilis existimandus, cujus opera virtuosa conspiciuntur, & qui aliter appellant, non illi detrahunt quem non appellant, sed seipsos ignorantiæ, stultitiæque condemnant. 3 Recte itaque Platina. 4 Si animi (inquit) nostri bonis artibus & disciplinis imbuti, servare justitiam, pietatem, constantiam, & prudentiam rebus in omnibus didicerint, quonam pacto fieri potest, ut is nobilis censeatur, qui sine doctrina & eruditione intemperantiæ se, injustitiæ, impietati, & nequitiæ addixerit: imo verò hunc non modo ignobilem, verùm etiam scurram & nebulonem improbum appellabimus: id quod sentire & Cicero videtur; scribens enim ad M. fratrem de petitione consulatus, cum Antonii & Catilinæ mentio fieret: Nequaquam sunt inquit ii tam genere insignes, quam vitiis nobiles. Nobilitatis enim proprium est recta sequi, gaudere officio, cupiditatibus imperare, avaritiam co-

3 Æn. Silv in hist. Cancredi.
4 De vera nobilitate.

coërcere. Hoc qui facit, etiamſi ex infima ſorte hominum natus fuerit, is merito ſuo nobilis haberi, & dici poteſt. Neque eſt cur parentem rerum omnium naturam (ut quidam improbi faciunt) reprehendamus, quod hos nobiles, illos vero ignobiles facit, æquale ſiquidem omnibus temperamentum præſtat. Non genus, non potentiam, non opes inſpiciens: eadem enim quo ad animum pertinet, naſcendi ratio in privatorum hominum filiis eſt, quæ in principum ac regum natis, licet ii in purpura & magnis domibus, illi in centonibus ac caſulis plerumque naſcantur. Virtutes certe & vitia faciunt, ut alter altero nobilior ſit.

Eant nunc ii nobiles in quibus (ut Salluſtii verbis loquar) ſicut in ſtatua præter nomen nihil eſt additamenti: ii nimirum qui nihil niſi inſignia ſua, & proavos, & clarum nomen avorum crepant, & interim nullo virtutis ſtudio ducuntur, nullum ejuſdem edunt documentum; imo ſæpenumero vitam agunt quovis mediaſtino impuriorem. In quos propterea non incongruè accommodari poſſet illud Poëtæ:

Sit tibi Gallorum rex & regina parentes
Et maneat virtus pectore nulla tuo.
Non pluris faciam te, quam ſi ruſtica mater
Sit tibi & ignotus ruſticus ipſe parens. [5]
— — *Quis enim generoſum dixerit hunc qui*
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Inſignis? nanum cujuſdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, parvam totamque puellam
Europam, canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Lævibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, & ſi quid adhuc eſt
Quod fremit in terris violentius. [6]

5 Codrus Urceolus.

6 Juven. Sat. 8.

Gentis certè (ut ait Stephanus Vinandus) atque familiæ, non minus quàm arboris generoſitas, ex fructuum probitate cognoſcitur, & ex virtutis ſuæ merito diligitur. Quod quidem meritum quo diutius in eadem ſtirpe, per plures ætates transfunditur, eò certè pretioſior atque generoſior hæc haberi debet, atque ſtemmatibus exornari ſplendidioribus. Virtus enim honore gloriaque non minus in animo humano quam in agro plantarum fructus cultu promovetur. Hinc Lycurgus ſtudens cives

cives suos à moribus præsentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere: *Non vobis*, inquit, *ô cives nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi omni studio & opera illa ipsa gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus extitit, ac per omnem vitam quæ honesta sunt, & discamus & exerceamus.* 7 — 7 Plut. in Lacon.

Si genus & sanguis majorum, parum confert ad veræ hujus germanæque nobilitatis prærogativam, quanto minus ad eandem conferent opes, privilegia, & principum diplomata. Eleganter Gregorius Nazianzenus. *Illud*, inquit, *nobilitatis genus, quod in principum diplomatibus & edictis consistit, tum ullo loco ac precio habebo, cum pictam quoque pulchritudinem laudandam duxero, simiamque ob id venerari cœpero, quod leo esse jussa sit.* 8 — 8 Orat. 18.
Ex quo stultos se atque manes esse fateantur necesse est, qui sine ullis virtutis adminiculis, solo principum favore ad hoc decus ascendere nituntur. Præclarè Maximilianus Imperator, supplicanti cuidam supra modum diviti, ut datis multis aureorum millibus nobilis designaretur respondit; Ditare quidem te possum, at nobilitare nonnisi te propria virtus potest. Insinuabat autem illud Ausonii — 9 Corrozetus

Pulchrius multo parari, quam creari nobilem. 9

Hic sensus, ea mens, prisco illo ævo, nervum nobilitatis esse virtutem at nostro hoc

—— — *Virtus sine censu languet ubique.*

SECTIO III.

De Christiana & Theologicâ Nobilitate.

NObilitatis Christianæ eadem omnino est, quæ & Philosophicæ origo, eadem sunt stemmata & insignia. Utraque enim non opibus aut genere, sed sola virtute illustris est. *Sola*, inquit Sanctus Hieronymus, *apud Deum libertas est, non servire peccatis; Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* 1 — 1 Ad Celestiam.
Unde infert. *Nulla te unquam de generis nobilitate præponas, nec obscuriores quaslibet, & humili loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. Quid apud Deum in viris nobilibus Petro, qui piscator & pauper fuit? Quid in fœminis Beata MARIA illustrius, quæ sponsa fabri describitur? sed illi piscatori & pauperi cœlestis regni à Christo creduntur*

claves. Hac sponsa fabri, meruit esse mater illius, à quo ipsi claves datæ sunt. Elegit enim Deus ignobilia & contemptibilia hujus mundi, ut potentes ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Nam & alias frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum universi paris honoris, & ejusdem apud Deum pretii sint, qui uno Christi sanguine redemti. Nec interest qua quisque conditione natus sit, cum omnes in Christo renascamur. Nam si obliviscimur, quia ex uno omnes generati sumus, saltem id semper meminisse debemus, quia per unum omnes regeneramur.

Cum sancto Hieronymo ejusdem sententiæ est Chrysostomus. *Ille*, inquit, *clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille hinc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur vitiis servire, & ab eis non superari.* 2 Et rursus: *Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis quem mores adornant? ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod fuerit Noe filius? nonne separatus de medio filiorum qui secundum carnem frater fuerat natus, secundum animam factus est servus: nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. Quid Timotheo nocuisse creditur, quod fuit ex patre gentili? aut quid nocuit Abrahæ, quod patrem habuit Tharam, luteorum deorum cultorem? nonne separatus à genere suo positus est in caput fidelium? ut jam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? nec potuerunt ejus gloriam sordidare paterni errores.*

2 in Matth.

His similia sentit Sanctus Ambrosius. Verba illius sunt. *Illud autem animadverte, quod extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier, ut advertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam comparat sibi. Denique extra paradisum, hoc est, in inferiori loco vir factus, melior invenitur.* 3

3 Habetur Distin. 40. illud.

Quod Sanctus Chrysostomus in Timotheo & Abrahamo, Sanctus Ambrosius in Adamo, id Sanctus Hieronymus in ipso etiam Christo ostendit, sanguinem nimirum & ignobilitatem parentum minime filiorum claritudini officere. Sic enim loquitur: *Dominus noster Iesus Christus voluit non solum de alienigenis commixtionibus, sed etiam de adulterinis nasci, nobis magnam fiduciam præstans, ut qualicunque modo nascamur, dum tamen vestigia imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cujus per fidem membra effecti sumus.* 4

4 Habetur distinct. 56. dominus noster.

Quamobrem bene Leo Imperator 5 scripsit, sicut animantia omnia

5 Opusc. de App. bel.

omnia ex moribus & actionibus ipsorum exquirimus, utrum generosa sint an inertia: sic & hominum nobilitatem non ex laude majorum, sed ex suismet actionibus, rebusque gestis esse æstimandum. Nam (ut recte monet Lucanus)

—— —— —— perit omnis in illo
Nobilitas cujus laus est in origine sola. [6] 6 Ad Pisonem.

Bene item Ferdinandus Imperator, [7] Boni viri & boni vini originem non censet indagandam. Nam ut interdum loco non nimis celebri generosum vinum nascitur, ita ex loco & genere humili sæpe prodeunt laudatissimi. 7 Nicol. Reusn. Class. 3. Symb. 40.

Atque hæc vera genuinaque nobilitas quamvis summo jure, summaque justitia nitatur, quamvis non sanctorum tantum Patrum, sed etiam ipsarum sacrarum literarum patrocinium pro se habeat, (nam diserte apud Prophetam dicitur: *Nunquid non pater, unus omnium nostrum, nonne DEus unus creavit nos?* [8] Et alibi: *Nunquid non in utero fecit me qui & illum operatus & formavit me in vulva unus.* [9]) quamvis inquam, ista nobilitas ita munita sit, acriter tamen à cassa illa nobilitate, quæ nimirum nihil præter vacuum nobilitatis vocabulum habet oppugnatur, si præsertim nobilitati generis non fuerit conjuncta. Adeo enim quibusdam ista non nativa nobilitas exosa est, ut cane, aut si quid cane vilius est, deterius habeatur. Non factis egregiis, non virtutibus, non ipsis miraculis, maculam hanc originis quis deleverit, seque à contemptu vindicaverit. Ipsi cœlites, nisi splendidis natalibus sint, parum illis videntur: ipse fortassis Christus, omnis ille nobilitatis fons, si de cœlis descenderet, non aliter quibusdam nobilis esse videretur, quàm si nobilem prosapiam, & jus civitatis (indigenarum vocant) doceret. Invidiam hanc an superbiam dixerim, an stultitiam, an omnia? nescio: illud scio, tantam nonnullorum esse vanitatem, ut contaminari nomen nobilitatis atque profanari hominibus plebeiæ originis existiment, quantumvis ii summus virtutibus effulgeant. Certe sanctiorem isti putant esse suam nobilitatem, quam Dei Omnipotentis divinitatem, quæ sibi per illam admirabilem atque sanctissimam unionem (Hypostaticam Theologi vocant) univit humanitatem, atque adeo totam naturam humanam ad summam dignitatem evexit.

8 Malach. cap. 2.
9 Job. 31.

Cæterum exprobrantibus genus, respondendum est, omnes homi-

homines ipsius Dei testimonio, filios esse Dei, juxta illud: *Ego dixi dii estis & filii excelsi omnes.* 10 Paulo aliter respondit Hostiensis. 11 *Omnes*, inquit, *sumus ex iisdem parentibus. Vnde quicunque te de nobilitate generis jactas eundem te reperies cum eo quem ex ignobilitate despicis si vere computare sciveris sursum versus. Nam & quantum ad animam, ex iisdem quoque patre & matre, Deo scilicet & Ecclesia. Et ideo propriè nobilitas sanguinis non est alia, quàm stercoris & fœtoris unde merito dicitur:*

10 Psalm. 81.
11. in cap. pen. extra de præbend.

Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

Est & illa Divi Ambrosii elegans responsio. *Nonne sic utero conceptus & natus es ex utero, quemadmodum & pauper natus? Quid te jactas de nobilitatis prosapia? Soletis & canum vestrorum origines, sicut divitum recensere soletis & equorum vestrorum nobilitatem, sicut consulum prædicare. Ille ex illo patre generatus est, & illa matre editus. Ille avo illo gaudet, illis se proavis attollit. Sed nihil istud currentem juvat. Non datur nobilitati palma sed cursori, deformior est virtus in quo nobilitas generis periclitatur.*

Non prætereunda quoque est Marii oratio, qua apud Sallustium 12 novam suam nobilitatem defendit. *Contemnunt*, ait, *novitatem meam ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur. Quanquam ego naturam unam & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse.* Et paulo post: *Quod si me jure despiciunt, faciant idem majoribus suis, quibus uti mihi ex virtute nobilitas cepit.* Et rursum: *Nunc videte quam iniqui sunt, quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse.*

12 in Bell. Jugurth.

Extat etiam Martii Septimii obscurissime nati, qui post Gallienum, imperium tenuit ejusdem argumenti oratio. Scio (inquit) commilitones, posse mihi objici artem pristinam, cujus mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, utinam semper ferrum exerceam, non vino, non floribus, non mulieribus, non popinis, ut fecit Gallienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate. Ars mihi objiciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denique ut omnis Alemania, omnisque Germania cum cæteris quæ adjacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, ut specialiter in

„ nobis

„nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim, fecisse „vos principem, qui nunquam quicquam scierit tractare nisi „ferrum. 13

13 Trevellius Pollio.

Concludant hoc totum argumentum elegantissimi versus Boëtii:

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.
Vnus enim rerum pater est,
Vnus cuncta ministrat.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proavos strepitis?
Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum. 14

14 Lib. 3. de Consolat. Philosoph.

SECTIO IV.

De Nobilitate Politica, quid videlicet illa sit, & quotuplex?

Politica nobilitas sita est in genere ac origine. Definit eam Aristoteles primò, quod sit *virtus generis*, 1 id est majorum. Secundo quod *sit quædam majorum claritas seu honorabilitas progenitorum. Nam attenditur secundum virtutem generis.* 2 Ex quo perspicuum sit, Philosophicam & Christianam nobilitatem causam esse & matrem, Politicam verò, effectum esse illius, ac filiam. Ad Politicam nobilitatem pertinet etiam illa (quamvis non ita sicut majorum claritas æstimetur) quam principes & respublicæ certis hominibus conferunt. Duobus autem id ferè modis contingit, altero, quando principes aut respublicæ ex certis causis nominatim aliquos creant nobiles: altero verò, cum nullis personis nominatis ita nobilitatis conditiones præscribunt, ut quicunque illas impleverint, nobiles efficiantur. Atque hoc pacto nobiles fiunt Doctores, ex plebeio ordine nati, 3 & certi in privilegiatis curiis magistratus. Quæ nobilitas nova dicitur, & à vetusta nobilitate contemnitur, quam juste, patet ex oratione Marii superius relata.

1 Polit. lib. 3. c. 8.

2 2. Rhetor.

3 Cyr. Rayn. Cassiod. Cepol. Salic. Angel Paul. Castr. Franc. Aretin. cit. Tiraquel de Nobil. cap. 5

Porro nobilitas ista Politica, apud alios solo genere, apud alios solis opibus, apud alios vero utroque constat. Et quidem apud multos populos solam nascendi felicitatem sufficere ad nobilitatis decus ita clarum est, ut non sit opus testimoniis. De nobilitate verò quæ solis opibus contenta est, videtur loqui Aristoteles, ubi dicit: *Nobilitatis differentiæ sunt secundum opulentiam & magnitudinem census. Sunt enim alii equites, quod munus nemo faciliter supportare potest, nisi sit dives. Itaque antiquis temporibus, quæcunque civitates equestri potentia excellebant, in his paucorum potentia gubernabat, equitatu autem bella contra finitimos exercebant, ceu Eretrienses, & Chalcedonenses, & Magnesii, &*

4 Polit. lib. 4. cap. 3.

aliæ plures Asiaticarum civitatum. 4 Et alio loco, postquam recensuit multa plebeiorum genera, illud confestim subdit: *Nobilium vero opulentia, clari natales, virtus, eruditio, & his similia, quæ*

5 Polit. lib. 4. cap. 4.

differentiæ causa nominantur. 5

Hujus quoque sententiæ videtur fuisse Euripides, cujus versus sic ex Græco vertit Gesnerus. 6

6 In Stobæi traduct. Serm. 89.

Non reddideris eum divitem: nam si pauperior sit,
Humilis erit. Ingens autem vis est
Divitiarum, quas qui nactus est, statim nobilis evadit. 7

7 In Archelao.

Ejusdem sunt & illa:

Nobilitatis mentionem amabo ne mihi feceris,
Hoc in pecuniis situm est. 8

8 In Æolo.

Da operam opibus. Nam illæ nobilitatem donant,
Et nuptiis primariis potiri in causa sunt.
In paupertate vero obscuritas inest,
Utcunque sapias, & ignominia vitæ. 9

9 In Erechtheo.

——— *Divites*
In omnibus inclyti & illustres hominibus. 10

10 In Iphigenia in Aulide.

His accedit, quod scribit Horatius:

Scilicet uxorem cum dote fidemque & amicos
Et genus & formam regina pecunia donat. 11

11 Lib. 4. Epist. 1.

——— ——— *Omnis enim res*
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, sapiens, etiam rex. 12

12 Serm. 1. Satyr. 2.

Et Juvenalis:

Clarus genere atque opibus vir. 13

13 Lib. Satyr. 2.

Ad quem locum Andreas Tiraquellus 14 dicit, clarum idem esse

14 de Nobilit. cap. 2.

eſſe quod nobilem : ſicut etiam illuſtrem , ſplendidum , ſublimem, ſummo loco natum, ſumma familia , ſummo genere, inſignem,inclytum &c: id quod multorum auctorum teſtimonio confirmat.

Nec nobiles tantùm , ſed etiam pluſquam nobiles efficiunt divitiæ. Nam non deſunt , qui volunt omnes divites dici poſſe principes , [15] divitias deos; cujus rei teſtis locuples eſt Menander.

15 Guil. à à Monte in Clem. 1, de bapt.

Epicharmus inquit quidem deos eſſe dicit
Ventos, ſolem, terram, aquam, ignem, ſtellas
Ego autem utiles eſſe deos arbitror
Argentum noſtrum & aurum.
Nam illos ſi collocaveris in domum ,
Pete quicquid voles, aſſequeris omnia,
Agrum, domos, ſervos, argentea pocula ,
Amicos , judices, teſtes : largire ſolum :
Sic enim vel ipſos deos habebis miniſtros. [16]

16 Apud Stobæum ubi ſup.

Hinc opitme Amaltheæ cornu deſcribit Philemon.

Putaſne inquit Amalthea cornu hujuſmodi eſſe ,
Quale pictores cornu bovinum depingunt ,
Argentum eſt, quod ſi habueris, petas
Ab ipſo quicquid voles, omnia tibi addentur ,
Amici, auxiliatores, teſtes, domuum multitudo.

Non abſque ratione itaque facultates à nonnullis ita dictæ putentur , quod rerum omnium facultatem , ac veluti facilitatem quandam præbeant , Græcorum imitatione , qui facilitatem & opulentiam uno verbo ſignificant.

Cæterum quænam divitiæ nobilitent in ſententiis poſitum eſt. Alii id quibuſvis divitiis tribuunt , alii nonniſi antiquis , ſcilicet à noſtris progenitoribus relictis, alii cum virtute etiam progenitorum conjunctis. In prima ſententia ſunt auctores quorum teſtimonia proximè retulimus. In ſecunda Divus Hieronymus , cujus hæc ſunt verba : *Nobilitas mundi nihil aliud eſt quam inveterata divitiæ.* [17] Cum Divo Hieronymo nonnulli Jureconſulti,præcipuè verò Pertica, [18] & Plutarchus. [19] Quos ſecutus Tiraquellus [20] dixit, recentes novaſque divitias, nuper ſcilicet à nobis partas , non eſſe in tanta exiſtimatione, precio, ac dignitate , in quanta ſunt à majoribus noſtris acceptæ. Et rectè

17 ad Helbidiam.
18 in l humilem, Cod. de inceſt. nupt.
19 Lib. adverſus nobilitatem.
20 de Nobil. cap, 3.

21 2Rhet. cap. 9. recte. Nam & teſte Ariſtotele 21 ii, qui divitias nuper aſſecuti ſunt, magis offendunt, ſive moleſtia afficiunt alios, quam qui olim, & à genere receperunt: & aliàs νεοπλούτους, id eſt nuper ditatos, ſive repente divites factos, veluti improbos & inſolentes, taxant omnes juſti rerum æſtimatores. Notum eſt illud Ciceronis in Vatinium: *Quæro ex te, ſisne ex pauperrimo dives factus illo ipſo anno, quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima!* Et Plutarchus ſcripſit Scyllæ aliquando glorianti poſt Africanam victoriam, & militiam, magnificis utenti verbis, à quodam ex honeſtiori ordine fuiſſe dictum: *Quonam modo vir bonus eſſe potes, qui cum nihil à patre tibi ſit relictum, tot ac tanta poſſideas?*

22 in Scylla. 22 Idem quoque auctor tradit, Craſſum ipſum virtutes, quas plurimas habebat, unius avaritiæ ſordibus obſcuraſſe: hoc enim in ipſo præcipuum vitium cætera quæ in eo erant longe ſuperabat.

23 In Craſſo. 23 Denique ut plurima prætercam Cornelius Tacitus in vituperium Fabii Valentis: *Is*, inquit, *diu ſordidus repente dives mutationem fortunæ male tegebat.* 24

24 Lib. 17

Jam verò in numero illorum, qui utrumque conjungunt, qui ſcilicet ad nobilitatem majorum & opulentiam & virtutem requirunt, quaſi altera non ſufficiat, ſunt Ariſtoteles, Guido Papæ, Felin. & Franc. Purpur: quorum teſtimonia hic ne longus ſim, non refero præter unius Ariſtotelis, cujus hac de re i-
,, ſta exſtat ſententia. Perſpicuum igitur id eſt, dixi ego de quo
,, dubitabamus, quamobrem tandem qui ex majoribus diviti-
,, bus, aut etiam majoribus bonis, nobiliores his eſſe videantur,
,, qui nuper bona poſſident. Qui enim per ſe ſtudioſus eſt, pro-
,, pinquiùs bona poſſidet, quam qui avum ſtudioſum nactus fu-
,, erit. Sit igitur nobilis, qui vir bonus eſt. Quidam enim id di-
,, xerunt ſic, (ut convincerent alios qui aliter ſentirent) ſyllo-
,, giſmum nobilitatis concludentes, ut etiam Euripides ait, ne-
,, gans nobilitatem eorum, quorum majores clari fuerunt, ſed
,, ejus tantum eſſe, qui per ſe bonus ſit: ſed hoc non ſic habet.
,, Sed recte quæſtionem hanc movent, qui virtutem antiquam
,, proponunt, quia videlicet, ut jam diximus, nobilitas virtus eſt
,, generis, virtus autem laude digna eſt: laudabile etiam genus
,, eſt, in quo multi generoſi naſci ſoliti ſunt. Accidit autem id,
,, cum origo ſtudioſa fuerit. Origo enim hanc vim habet, ut
,, multa præparet talia, qualia ipſa eſt. Hoc quippe principii
,, opus

„ opus est, ut plurima sibi similia efficiat. Cum igitur talis quispiam adeoque generosus in aliquo genere fuerit, ut bonum „ ab eo perfectum in multas ætates duret, hoc certe genus nobile & laude dignum esse necesse est: multi enim homines „ generosi erunt, si hominum sit genus, si equorum equi, similiter & in aliis animalibus. Itaque neque divites, neque boni, „ sed qui ab antiquis divitibus, aut antiquis bonis sunt geniti, „ nobiles dici debent: Vera enim sermo inquirit. Nam principium supra omnia est. Sed nec absolutè nobiles sunt, qui „ ex majoribus bonis orti sunt, sed qui authores posterorum „ sunt. Qui igitur ipse bonus est, sed non eam vim naturæ habet, ut multos similes generet, principii rationem ad posteritatem non habet. Origo igitur generis talis sit, & nobiles „ qui inde orti sunt (non si pater nobilis, sed si author generis: „ non enim ejus causa pater generavit bonum, sed quia ex eo „ genere erat) 25

His consonat illa cujusdam Imperatoris definitio. Nobilitas est antiqua æris & divitiarum possessio, cum pulchris regiminibus, & moribus. 26

25 Apud Stobæum sent. capit. 85. Nam inter opera Aristotelis hic liber non reperitur.

26 Dantes Hor. & Bart. in l. 1. Cod. de dign. lib. 12.

SECTIO V.

Referuntur argumenta contra Nobilitatem, maximè verò Politicam.

NOn tantum Philosophica aut Theologica, sed etiam Politica nobilitas suos habet oppugnatores, inter quos Henricus Cornelius Agrippa multis argumentis etiam ab ipsa mundi origine petitis (quorum præcipua hic referenda sunt) stirpitus eam è rerum natura tollere conatur. Si nobilitatis, inquit, „ primordia exquiramus, comperiemus hanc nefaria perfidia „ & crudelitate partam: si ingressum spectemus, reperiemus „ hanc mercenaria militia & latrociniis auctam: quod si etiam „ regnorum & imperii originem quæramus, occurrent impia „ fratrum parentumve parricidia, funesta conjugia, & pulsi re„ gno patres à liberis, aut trucidati principes, in quorum verba „ juratum erat. Sed ipsam nobilitatem nunc à primis unguibus „ exploremus. Ipsa revera nihil aliud est, quàm robusta impro„ bitas, atque dignitas, nonnisi scelere quæsita benedictio, & hæredi-

„ reditas pessimorum quorumcunque filiorum. Quod ita esse
„ primùm nobis sacræ literæ, deinde etiam antiquæ gentium,
„ & recentiores historiæ notum faciunt. Nam cum ab initio
„ creationis genuisset transgressor Adam primogenitum suum
„ Cain agricolam, & alterum Abel ovium pastorem, in quibus
„ humana familia bivium fecit, videlicet in Abele plebis, in
„ Cain nobilium, qui cum secundum carnem crudelis & super-
„ bus esset, de more persequens eum, qui secundum Spiritum
„ humilis erat, interfecit Abel, sed reparata fuit plebeia familia
„ Seth tertio Adæ filio, ipse itaque Cain parricidio fratris mi-
„ litiæ & nobilitatis initium dedit, ac contemptis Dei ac natu-
„ ræ legibus, confidens autem in propriis viribus, usurpans sibi
„ dominationem, primus condidit urbes, constituit imperium,
„ ac creatos à Deo liberos homines, & filios generationis san-
„ ctæ, vi, rapina, servitute, & iniquitatis legibus opprimere
„ cœpit, donec illi etiam contempto Dei judicio, & corrupta
„ omni carne, promiscua libidine inquinati, genuerunt gigan-
„ tes, quos interpretatur scriptura potentes à sæculo, viros fa-
„ mosos. Atque hæc est vera & commodissima nobilium defi-
„ nitio. Opprimebant enim inopes extollentes se latrociniis,
„ & superbientes opibus, celebrantes nomina sua, imponentes
„ ea regionibus, & urbibus, & montibus, & fluminibus, & a-
„ quis, & mari: quorum primus parens Cain, natura malignus,
„ intestino odio invidus, à divina correptione incorrigibilis,
„ dissimulata ira proditor, in proprium sanguinem parricida,
„ maledictioni superaddens blasphemiam. Atque hæc sunt illa
„ antiquissima & primæva nobilitatis munia, hæ virtutes, hæc
„ ingenia, quibus usque in hunc diem ipsa ornatur nobilitas,
„ cujus architectus pater ille gigantum, quos delevit Dominus
„ in diluvio aquarum, uno solo reservato Noha, viro justo in
„ generationibus Seth, cum sua familia, cui cùm tres essent filii,
„ Semus, Japetus, & Chamus, atque illi instaurato post dilu-
„ vium sæculo, priscorum gigantum exemplo, etiam urbes
„ conderent, & regna constituerent, idcirco Scriptura à Noha
„ usque ad Abrahamum nullam facit mentionem justorum,
„ omnes siquidem ad Abrahamum usque nobilitatis artifices
„ extiterunt, robustæ videlicet improbitatis, impietatis, con-
„ fusionis, potentiæ, militiæ, violentiæ, oppressionis, venationis,
luxus,

„ luxus, pompę, & vanitatis, & similium nobilitatis stigmatum,
„ quæ Nohæ filii huic impresserunt: equorum numero Chamus,
„ eò quod cæterorum esset nequissimus, atque in parentem im-
„ pius, primum & super omnia regna dominatricem monarchi-
„ am promeruit. Ipse genuit Nimbrotum, quem scriptura descri-
„ bit potentem in terra, & robustum venatorem adversus Do-
„ minum. Hic ædificavit Babylonem illam magnam, & lin-
„ guarum confusioni initium fuit, tradiditque regnandi disci-
„ plinam, nobilitatumque gradus, honores, dignitates, officia,
„ imaginesque discrevit. Exinde in plebem leges sancitæ, in-
„ troducta servitus, & exactiones à populo, conscripti exerci-
„ tus, gestaque crudelia bella. Abs eodem Chamo processe-
„ runt Chus, à quo Æthiopes, & Mizraim, à quo Ægyptii, &
„ Chanaam, à quo Chananæi, nobilissimæ quidem gentes, sed
„ deterrimæ, reprobatæ, & à Deo maledictæ. Exacto tandem
„ multo tempore rursus elegit Deus hominem justum, Patri-
„ archam illum Abrahamum, ex quo suscitaret sibi semen ac
„ populum sanctum, quem circumcisionis signaculo ab alia-
„ rum gentium multitudine distinxit. Hic duos ab initio genuit
„ filios, unum ex ancilla Ismaelem, alterum ex uxore legitima,
„ cui nomen Isaac. Factus est autem Ismael homo ferus & sa-
„ gittarius, vir nobilis & potens, princeps Ismaelitarum, genti
„ nomen suum perpetuum relinquens. Nobilitatem ejus in ra-
„ pina & militia esse indicavit Scriptura, inquiens: *Manus ejus* Genes. 16.
„ *contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione fratrum*
„ *suorum figet tabernacula.* Isaac autem perseverans in justitia
„ patris sui, illius gregem pascebat, atque hic ex Rebeca sua du-
„ os genuit filios, Esau & Jacob. Esau itaque odiosus Deo, ho-
„ mo rufus & hispidus, venator & sagittarius, helluo & ventri
„ deditus, adeo ut pro uno pulmento vendiderit primogenita,
„ factus est vir potens, atque princeps Idumæorum, benedicti-
„ onem accipiens nobilitatis in pinguedine terræ & rore cœli,
„ in gladio & excussione jugi.

Multa hic iste auctor ex sacris literis comminiscitur, post quæ tandem dicit, nobilium creandorum consuetudinem mansisse penes reges & cæsares, à quibus (inquit) alii pro pecunia
„ emunt nobilitatem, alii illam lenocinio, alii veneficiis, alii
„ parricidiis commeruerunt: Multis proditio nobilitatem con-
„ ciliavit,

,, ciliavit, ſimul atque divitias peperit, quemadmodum de Eu-
,, thicrate, Philocrate, Euphorba, & Philagro hiſtoriis prodi-
,, tum eſt. Plerique adulatione, detractione, calumniis, ſyco-
,, phantia, plures ob proſtitutas regibus uxores & filias nobiles,
,, facti ſunt. Multos venationes, rapinæ, cædes, præſtigia, &
,, aliæ malæ artes ad nobilitatem promoverunt &c.
,, A ſacris ſic tranſit ad profana. Jam verò progredientes ad
,, ethnicorum hiſtorias, ſimiliter oſtendamus ipſam nobilita-
,, tem non aliud eſſe quam improbitatem, furorem, latrocini-
,, um, rapinam, homicidium, luxum, venationem, violentiam
,, à peſſimis ubique principiis ortam, pejoribus proſecutam,
,, turpiſſimum ſemper habuiſſe exitum: quod in illis quatuor
,, famatis monarchiis, deinde in cæteris quoque nobilium re-
,, gnis conſtabit. Prima itaque poſt diluvium monarchia Aſſy-
,, riorum, cui initium dedit Ninus primus, qui prior omnium
,, non contentus ſuis militibus propagandi imperii libidine ar-
,, ma foras extulit, & cruenta bella vicinis inferens totius Ori-
,, entis populos ſubegit, magnitudinemque ſui imperii, ſequen-
,, tibus ſemper novis victoriis, continua provinciarum acceſſi-
,, one adauxit, ſubacta Aſia, perdomito Ponto. Porro Zoroa-
,, ſten Bactrianorum regem parricidiali pugna oppreſſum in-
,, terfecit. Uxor erat Nino nomine Semiramis, hæc (ut refert
,, Dio Hiſtoricus) petit à viro, ut quinque dies imperaret: quo
,, conceſſo impetratoque, ſtolam ac coronam ſibi aptavit, ac in
,, ſellam regiam conſcendit, imperavitque ſatellitibus, ut Ni-
,, num virum ſuum regiis ornamentis exutum interficerent:
,, quo ſic extincto, ipſa ſucceſſit in imperio, nec contenta re-
,, gni terminis Æthiopiam regno ſuo adjecit, in Indiam bella
,, extulit, Babyloniam muro auguſtiſſimo cinxit, poſtea à filio
,, Nino ſecundo, quem flagitiosè conceperat, impiè expoſue-
,, rat, inceſtuosè cognoverat, occiditur. His itaque parricidiis
,, Aſſyriorum monarchia obtinuit principatum, donec ſub Sar-
,, danapalo rege, viro omni muliere corruptiore, deficeret,
,, quem Arbactus Mediæ præfectus inter ſcortorum greges
,, comprehenſum interfecit, ipſeque ſe conſtituens regem im-
,, perium omne ab Aſſyriis tranſtulit ad Medos, idque Cyrus
,, tandem detulit ad Perſas, penes quos filius ejus Cambyſes,
,, novæ Babylonis conditor, adjectis multis regnis ſecundam
monar-

,, monarchiam obtinuit, quam & fratris & filii parricidio con-
,, ſecravit: hæc tandem in Narſo Ochi filio inclinavit, cui, in-
,, terfecto eo abs Bageo Eunucho ſurrogatus eſt Darius Perſa
,, Arſoi filius, Gademanus antea vocatus, qui abs Alexandro
,, Magno devictus Perſarum monarchiam ſimul cum vita fini-
,, vit, quam idem Alexander, paternæ cædis una cum adultera
,, matre conſcius & conſultor, hoc ipſo famoſo parricidio tran-
,, ſtulit in Macedonas, atque hæc tertia fuit monarchia, quæ
,, extincto Alexandro mox & ipſa corruit. Succeſſit quarta
,, Monarchia Romanorum, qua nulla in rebus humanis poten-
,, tior, ſed ſi temporum ſeries abs urbe condita repetatur, illam
,, invenimus à peſſimis initiis ortam, & à peſſimis frequentius
,, geſtam, ideoque hæc nobis paulò altius & à primis urbis con-
,, ditoribus repetenda eſt. Urbs Roma à geminis fratribus Re-
,, mo & Romulo, ex inceſtuoſa Veſta genitis, à meretrice edu-
,, catis, in Italia primum condita eſt, cujus regnum Romulus
,, parricidio fratris inſtar Cain vitiavit: Cumque ſe deorum
,, filium dici pateretur, collecta ſceleratorum ſatellitum manu,
,, promiſſa illis impunitate, rapuit filias Sabinorum, & conſti-
,, tuens illis uxores ex omnibus, quas elegerant, genuerunt gi-
,, gantes, illos inquam Romanæ nobilitatis reges, atque pro-
,, ceres toti orbi formidabiles. Jamque Sabinorum fœminis &
,, filiabus fraudulento fœdere proditorioque ludo pellectis, ne-
,, fariè raptis, crudelibus nuptiis ſibi ſuiſque ſociatis, parentum
,, ac maritorum nece obtentis, novis inſuper parricidiis defen-
,, dit. Nam ſoceri ſui ſanguinis incontinens etiam Titum Ta-
,, cium, pium ſenem Sabinorum, honeſtiſſimum ducem in ſoci-
,, etatem regni aſſumptum miſerabiliter occidit. Hæc fuere
,, Romani regni primordia, quod per ducentos quadraginta
,, tres annos ſub crudelibus regibus rectum, ſub Tarquinio Su-
,, perbo flagitio ſtupratæ Lucretiæ deſiit: Et quemadmodum
,, Cain in ſeptenaria generatione periit ſub diluvio aquarum,
,, ſic & iſti Romuli ſucceſſores in ſeptenario regum numero
,, à populari tumultu obruti ſunt, & licet Romana urbs regum
,, exuiſſet imperium non tamen evaſit tyrannidem. Exactis
,, namque regibus, cum poſt tumultuantis populi inundatio-
,, nes, regnum ad optimates tranſlatum eſſet, Brutus quidam
,, vir nobilis primus Romanorum conſul deſignatus eſt. Hic

„ quo tantum stabiliret imperium, primum illius conditorem, „ regemque Romulum, non solum exæquare parricidio, sed & „ vincere studuit, quippe filios suos adolescentes, totidemque „ uxoris suæ fratres Vitellios, medio foro virgis cæsos securi „ percussit: Cumque imperium hoc sub optimatibus & plebe „ per diversos magistratus, privatasque tyrannides per multa „ sæcula stetisset, sub Julio Cæsare, viro difficile dictu an bello „ fortiore, aut libidine corruptiore, atque deinceps sub Anto- „ nio identidem libidinis mancipio terminavit, totaque Roma- „ ni imperii summa uni Octaviano Augusto Imperatori colla- „ ta est, in hoc quarta illa orbis monarchia initium cœpit. Ne- „ que verò absque parricidio, quamvis Augustus hic principum „ omnium mitissimus haberetur, tamen avunculi Cæsaris, à „ quo adoptatus fuerat in imperium, & hæres institutus, filium „ atque puellam ex Cleopatra susceptas proles interemit, ne- „ que nomini, neque beneficio, neque affinitati, neque pueri- „ tiæ parcens. Jam Romanorum principis urbis monarchiam „ tenuerunt, atque Neronem, Domitianum, Caligulam, Heli- „ ogabalum, Galienum, aliaque crudelitatis & turpitudinis „ monstra produxerunt, sub quibus totus orbis concussus est, „ quousque magnus ille Constantinus interfecto Maxentio, „ qui ob libidinem & crudelitatem Romano populo infensus „ erat, à Senatu Augustus declararetur, &c.

His similia in multis reliquis Romani imperii successoribus, aliorumque regnornm principibus enumerat, quæ quia multum habent invidiæ, sileo, ac epilogum tantùm illorum subjicio. Nimis (inquit) longum foret hoc loci regnorum omni- „ um initia recensere, & per omnes antiquitatum historias dis- „ currere. Ego hanc rem, quam hic summario conceptu teti- „ gi, ampliore volumine descripsi alibi, ipsam nobilitatem suis „ coloribus & lineamentis exactè expressi, ostendique non fu- „ isse nec esse aliquod in orbe regnum, insignemve principatum, „ quæ non inceperint parricidio, proditione, perfidia, crude- „ litate, strage, cædibus, aliisque horrendis sceleribus, artibus „ inquam nobilitatis, cujus cum talia sint capita, facile cogno- „ scere poterimus, cujusmodi sint reliqua belluæ illius membra, „ eaque omnia ad violentiam, ad rapinam, ad cædem, ad vena- „ tionem, ad libidinem, & omnis generis luxum prona & exer- „ citata.

„ citata. Velit quis nobilis fieri, primum venator fiat, hoc primum elementum est nobilitatis, deinde miles mercenarius, „ & pretio locet homicidia, hæc vera nobilitatis virtus, in qua „ si se fortem latronem exhibuerit, nulla major nobilitatis gloria. Qui ad hæc ineptus est, hic nobilitatem emat pecunia, „ siquidem & ipse etiam venalis est: aut si id non poterit, parasitetur regibus, aut alia quavis aulica fraude se intrudat, & „ palatinarum meretricum lenonem agat, aut principi prostituat uxorem vel filias, aut ipse dominarum expleat libidinem, „ aut regio scorto nubat, aut eorundem spurias filias ducat uxores. Hic summus est nobilitatis gradus. Unum siquidem „ corpus efficitur cum illis. Hæc sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus, quibus ad nobilitatis apicem compendioso tramite conscenditur. Qui verò cæteris generosiores, & in genere suo „ nobilissimi omnium videri volunt, progenitores jactant ejusmodi, cujusmodi nemo non contemneret, videlicet homines alienos, Trojanos, Macedones, incertis sedibus vagabundos ac transfugas, & mille scelestissimis facinoribus coopertos, atque adhuc (si diis placet) laudare oportet & extollere „ hanc eorum nobilitatem, quę tam scelestissimos habuit ortus. „ Alii cum à meretriculis & scortis ortum habuerunt, turpitudinem hanc fabulis tegunt, qualem de Melusina legimus. „ Sunt qui alios sceleratos habuere ortus, incestus, stupra, raptus, adulteria, & ejusmodi. Porro quatuor sunt principalia „ nobilium istorum munera, in quibus omnis eorum sita est felicitas. Primum illorum rapacitas, qua præter fas & æquum „ habent, capiunt & possident: alterum voluptas, qua omnis „ luxus & libidinis genere insolescunt: tertium libertas, qua „ contemptis legibus, violentiæ viribus stipati, omnia pro libitu agunt: quartum ambitio, qua tumefacti supra sortem & „ statum suum, nullum non scelere altiora petunt. Omnium „ denique nobilium sufficientia in eo probatur, si venaticam „ noverint, sive in alia fuerint damnabilius instituti, si corporis vires ingentibus poculis commonstrent, si naturæ „ robur numerosiore Venere comprobent, si audacter strenueque profundant, si fastu, si luxu, omnique intemperantiæ dediti, virtutumque hostes obliviscantur, quod „ nati, quodque morituri sunt. Nobiliores autem si hæc per-

„ nicies à patribus emanarit in filios, magnisque subintrarit au-
„ thoribus, ut

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

„ Hæ sunt nobilium insignes virtutes, sed habent præterea a-
„ lias quasdam nobilitatis artes, quibus cum maxime nocentis-
„ simi sunt, id agunt ut viri probi atque boni esse videantur, &
„ prudentia, liberalitate, pietate, justitia, insignes appareant, ad-
„ eo se prębent faciles, benignos, affabiles & omnium virtutum
„ hypocrisi claros, molliunt sermones suos supra oleum, & ipsi
„ sunt jacula. Conquisitis quotidie convivis epulantur splen-
„ dide, in sermone & colloquiis liberiores disputant de repu-
„ blica, aliorumque sententias captantes ex illis sapientiæ pru-
„ dentiæque famam in principum conciliis sibi aucupantur,
„ liberalitatisque etiam famam sibi avaritia usurpant, dum
„ quod auferunt uni dono dant alteri, munifici prædones, &
„ quod veteres de Sylla scribunt, alios per aliorum injuriam
„ locupletare studentes, ipsique inter quotidianas rapinas sem-
„ per inopes. Proinde justitiæ & pietatis nomen sibi venantur,
„ dum pauperum quæstiones libenter suscipiunt, foventque
„ eorundem causas contra ditiores, sed eo usque duntaxat affli-
„ ctis illis succurrunt, donec interim exhauriant loculos pleni-
„ orum. Neque enim animus est prodesse pauperibus, sed no-
„ cere divitibus, quod cuivis illorum facilius est, quam prodes-
„ se: atque hac justitiæ pietatisque umbra tantam sæpe licen-
„ tiam sibi arrogant, ut civitatibus & potentioribus vim infe-
„ rant, & publica hostilitate vexent, & unde legum auctoritate
„ nullam sperare licet veniam, isti nobilitatis prætextu asse-
„ quuntur gloriam, & tanquam antiqui gigantes gloriantur in
„ peccatis suis, & cum veluti mali dæmones undique quærunt
„ ut noceant, tunc maximè prodesse putantur, quando solum
„ nocere desistunt, agentes ut omnibus sint terrori, amentur à
„ nullo, cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portio-
„ nem, & qui se custodiæ eorum tradunt, depopulantur & op-
„ primunt: nec ullum hominum genus civitatibus pestilenti-
„ us, quam nobiles isti, qui sibi ipsi placentes, quasi cæteris ge-
„ nerosiores, semper superbo spiritu turgent. De quibus id-
„ circo non male consulit Aristophanes, inquiens, *Non oportere*

in

in urbe nutriri leones, sin autem alti sunt, obsequi illis oportere. Horum tyrannide oppressi olim Helvetii nobiles omnes occiderunt, & totam eorum progeniem patria extirpaverunt, hac insigni nobilium strage nomen sua virtute celebre cum libertati adepti sunt, qua plus quadringentis annis in hunc diem feliciter imperant, atque regnant, semperque hoc nobilium hominum genus oderunt. Olim nulli erant populis gratiores, nec majoribus præmiis digni censebantur, quam qui tyrannos eorumque stipatores & satellites etiam, vel innoxios liberos interemerunt, quin & Jurisconsulti docent, nonnunquam innoxios recte occidi posse, si id magnopere prosit reipublicæ, ut extincto tyranno & liberos trucidare ne repullulet nova tyrannis: quemadmodum & Græci post eversum Ilium occiderunt Hectoris filium Astyanactem, ne novi belli instaurandi occasio superesset. Legamus liceat veterum temporum historicos, Titum Livium, Josephum, Egesippum, Quintum Curtium, Suetonium, Tacitum, Serenum, Tranquillum, & reliquos, semper licuit tyrannis insidiari, licuit decipere, honestissimum autem occidere &c. Attestantur istis etiam Sacræ literæ in Eglon, in Sisara, in Holoferne, quos interemerunt Aioth, Jehel, Judith, quod etiam coram Deo licuit, occisis quoque facinore tyrannis jugum excutere, omnesque illi, quorum facinore afflictus populus liberatus est, sacris Bibliorum annalibus pro ministris Dei honorati sunt. Jam vero nobilitatem non tam usu & consuetudine quam etiam natura malam esse non ambigimus, siquidem inter aves & quadrupedia nulla alia nobilitatis prærogativam habent, præter illa, quæ cæteris animantibus etiam hominibus non tam infesta, quam exitio sunt, cujusmodi aquilæ, vultures, falcones, accipitres, corvi, milvi, struthiones, & fabulosæ harpyæ, gryphi, sirenes, & hujusmodi monstra. Simili ratione tigrides, leones, lupi, pardi, ursi, apri, dracones, serpentes, bufones. Ex arboribus verò nullæ aut paucæ diis sacræ & nobiles habentur, nisi quæ aut steriles sunt, aut nullum hominibus edilem fructum ferunt, ut quercus, esculus, fagus, laurus, myrthus. Inter lapides non marmora, non ædiles, non molares, sed gemmæ, quæ nullum hominibus utilitatis usum præbent, habentur nobilissimæ. Sic & in metal-

„ metallis, argentum admodum perniciosum, & ferro nocen-
„ tius aurum, nobiliora sunt, & digna habita, pro quibus tot
„ cædibus, & humani sanguinis dispendio populi dimicent. 1

1 De Nobilitate cap. 8.

Atque hæ sunt machinæ, quibus Henricus Cornelius Agrippa, hostiliter nobilitatem oppugnat. Post quem multi alii eidem nobilitati vanitatem atque sua vitia objiciunt. Annon
„ existimamus omnes (verba sunt Aristodemi apud Plutar-
„ chum) ipsam nobilitatem in opibus, aut gloria, quam longi
„ temporis progressus confirmavit, esse positam? Atqui neu-
„ trum horum est in potestate nostra, sed alterum fortunæ te-
„ meritate, alterum intemperiis hominum est obnoxium. Ita-
„ que nobilitatis arrogans hoc nomen, quod ut sumamus ani-
„ mos facit, à duabus rebus, quæ propriæ nostrûm non sunt,
„ perinde nec divitiæ reddunt filios ei similes, qui illos procrea-
„ vit: sed qui natus ex virtute fuerit, impressam animo suo ge-
„ rit imaginem æqui & boni, quum ea sola transmittatur à pa-
„ rentibus in liberos. Hæc demum vera nobilitas est, morum
„ similitudo secundum justitiam. Nunquid autem opulentia
„ Midæ nobilior quam Aristidis inopia? Tamen hic ne in se-
„ pulchrum quidem sumptum reliquit moriens. Verum sita
„ non est in opibus nobilitas, (omnis autem improbitas adin-
„ star ignis fere est: nam utrumque horum, nisi alatur, evane-
„ scit & extinguitur.) Quid? Socratis ignobilitas matre ob-
„ stetrice, statuario patre, annon plus veræ nobilitatis præ se
„ tulit, quam illa Sardanapali gloria? Ne vero ne censeas no-
„ biliorem Xerxen fuisse Cynægiro. Huic enim pro patria di-
„ micanti manus amputata est: ille vitæ præsidium fuga quæ-
„ sivit, & regni amplissimi gloriam mutavit cum turpitudine
„ summæ timiditatis. 2

2 Lib. pro Nobilit.

Andreas etiam Tiraquellus, optime alioqui de nobilitate meritus, sua nobilibus asserit esse vitia, & ea quidem (inquit) ut multis placuit innata, genuina, propriaque ac peculiaria, ut vix ullum reperias, qui his non sit deditissimus 3 Teste Agidio 4 & Benedicto, 5 Sunt nobiles honoris immodici appetentiores, suorumque progenitorum, & aliorum contemptores: Teste Baldo, sunt maxima ex parte superbi, inimici popularium, gulosi, luxuriosi magis quidem quam populares ipsi. Non dico tamen (ait) de illis, quos virtus nobilitat. Illi enim verè sunt perfe-

3 De Nobilitate cap. 23.
4 Lib 1. de regim. princ. part. 3.
5 in rep. c. Raynutius in gloss. 1. num. 26.

perfecti, quamvis careant divitiis, sed de illis loquor, qui etsi abundant divitiis, nihil tamen sciunt, nisi comedere, bibere, superbire. 6 — 6 In l. per adoptionem in 1. lect. ff. de adopt.

Certe superbiam insitum esse nobilitatis malum Salustius, T. Livius, Tullius, Sabellicus, Julius Firmicus, Velleius Paterculus, multique alii attestantur. Salustianum est illud: *Ea res inprimis studia hominum accendit, ad consulatum mandandum Marco Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat, & quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamvis egregius, novus homo adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere.* 7 Et illud: *Metello quanquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum,* 8 Livii verò: *Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit adversus superbiam nobilium, plebeia libertatis referam.* 9 Tullii: *Proponit mihi inania nobilitatis, hoc est, hominum arrogantium nomina.* 10 Sabellici: *Vetus in magnis rebuspub. malum est, nimia imperandi in nobilitate insolentia.* 11 Firmici. *Quinta pars Geminorum in horoscopo inventa nobiles faciet, & erecto semper superbiæ spiritu sublevatos.* 12 Velleius denique Paterculus naturalem dicit esse nobilitati superbiam. 13 — 7 in Catil. 8 in Jugurth. 9. Dec. 1. lib. 9. 10 2. in Verrem act. 11 in Rapsodiis. 12 Lib. Astron. 8. cap. 21. 13 Lib. 2. Rom. hist.

Porro libidinem, luxuriam, impotentiam, aliaque ejus generis vitia, quæ nobilitati objiciuntur, multitudine testimoniorum, quibus abundamus, non est hic confirmare necesse, cum ea Cornelius Agrippa (quem proxime retulimus) nimis ostendere conetur.

SECTIO VI.

Defenditur Nobilitas adversus ea, quæ ipsi objiciuntur.

QUæ ex Henrico Cornelio Agrippa contra commemorata sunt, morbo non judicio ab illo esse dicta ipse testis est. Nam in dedicatione libri sui, in quo maledictis nobilitatem incessit, dicit se ferme cum Trojana illa Hecuba versum esse in canem, ac nullarum virium esse ad bene dicendum. *Nihil amplius*, inquit, *memini, nisi mordere, oblatrare, maledicere, convitiari, atque sic adfectus, scripsi his diebus volumen satis amplum, cui de incertitudine & vanitate scientiarum titulum feci,*

feci, in quo sic universam illam scientiarum atque artium gigantomachiam oblatravi, sic omnes illos scientiarum & artium robustissimos venatores validissimis morsibus perstrinxi, ut quoties opus ipsum reviso, ipse ego me demirer talem in homine canem, & cui nihil caninum desit præter unam adulationem, licet aulico admodum necessariam. Quare cum canis mordens non remordeatur ab hominibus, nec maledicta maledictis regerantur, cum Cornelio Agrippa latrante non rixabor, sed ad ea tantummodo respondebo, quæ sive ab hoc, sive ab aliis, probabiliter dicuntur.

Omnia quæ nobilitati objiciuntur, ad duo potissimum capita referri possunt. Alia enim ipsam nobilitatem, (& ut ita dicam,) ipsam nobilitatis vitam petunt, alia mores ejusdem oppugnant. Prioris capitis sunt illa: Nobilitas revera nihil est; nobilitas merum est vanorum atque superborum hominum commentum; nobilitas est nequitiæ partus; nobilitas est fructus & præmium scelerum. Ad alterum caput pertinent illa, quæ proximè ex variis scriptoribus, vitia nobilitatis notantibus, retulimus.

At primò, nobilitatem non figmentum, sed rem maximi pretii esse, testatur princeps Philosophorum Aristoteles, secundum quem (ut superius diximus) nihil aliud illa est, quàm virtus generis & quædam majorum claritas. Ea enim est vis atque efficacitas virtutis, ut non tantum suis cultoribus (licet hoc maximè) verum etiam aliis utilis sit, illisque lucem quandam & claritatem afferat. Majorum gloria (inquit apud Salustium 1 Jugurth. Marius) posteris quasi lumen est, 1 quod ubi veluti per gradus ad liberos posterosque defertur, & avos proavosque illis in memoriam revocat, & excitato eorum nomine, notos atque illustres iis satos efficit.

Equidem scio celebrem illam esse Marii apud eundem Salustium orationem, qua degenerem Romanorum nobilitatem taxat: *Majores*, inquit, *illorum omnia, quæ licebat, illis reliquêre, divitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquêre, nec poterant. Ea sola neque datur, neque accipitur.* Sed non minus etiam celebre est illud Venusini Poëtæ:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in equis patrum

Virtus:

Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam. 2 — 2 Lib. 3. Carm. Od. 4.

Quo elegantissimus vates indicare voluit, sæpe majorum virtutem ad posteros transmitti. Et rectè: nam tametsi sua cuique mens divino est creata arbitrio, pleræque tamen sunt animi vires, quæ simul cum corpore à parentibus transfunduntur in filios. Sic enim natura comparatum est (ut cum Ficino loquitur Andreas Tiraquellus) ut corpus & anima proportione quadam harmonica congruant, motusque corporis in animam, sicut & animæ in corpus (quod Medici adstruunt) facillimè & vehementissime penetrent. Ideoque quanquam non educitur anima filii, aut à corpore parentis, aut ab anima, ex orthodoxorum sententia, tamen corpus tale, & cum tali quadam proclivitate, à tali quodam corpore parentis educitur. Sic *uvas acerbas comederunt patres, & dentes filiorum obstupuerunt.* 3 Qua de re plurima extant celeberrimorum scriptorum testimonia. Plutarchus 4 postquam multis Homeri locis docuisset arcana quædam primordia virtutis & igniculos in ortu cujusque spargi, subdidit: Non opinor toties parentes, genus, nobilitatem vates prudentissimus commemoraret, nisi ea inter laude res dignas numerandas existimasset. Tyrteus hortaturus in prælium suos Herculis invicti progeniem dixit eos esse. Quoties apud Simonidem, Pindarum, Alcæum, Ibycum, Stesichorum nobilitas majorum commendatur? Quin & Plato gloriam parentum cum magnum thesaurum ait esse, non se contemnere docet nobilitatem. Horum esse proprium ait Philemon, ut in mortem ruant, & bellum, non aliter atque victimæ. Quin nescio quo pacto in summis rerumpublicarum inclinationibus id accidisse videas, ut hæ ignobilibus rempublicam occupantibus acciderent. Ita Demades à Philippo captus funesta illa ad Chæronem pugna, rogante Philippo, ubi esset nobilitas Atheniensium, ubi Cecropidarum illud genus, ubi robur? Tu quidem, ait, agnosceres rex urbis robur, si Philippus Atheniensibus, Chares Macedonibus imperaret. Forte enim tum Chares præfuerat.

Sæpe solet similis filius esse patri.

Ad semen nata respondent Sen. Epist. 87.

3 Jerem. 31.

4 Pro Nobilitate.

Quid igitur impudentiùs Alexide, qui cum agricolam nobili militanti præferat, non agnoscit, quantùm servile opus ab herili differat? At nos quoque ignobiles (inquit) militamus. Sed certe non eadem præmia utrisque, non idem semper animus,

mus, non idem ardor: quin si verum excutias, non eadem alacritate parent ignobili qua nobili. Revocas me ad vetusta tempora? An ad Deucalionis, & si quæ à Chaldæis aut Ægyptiis vetustiora prodita sunt? At hoc fuerit, ad rudem illam indigestamque molem, & primordia nascentis sæculi nos revocare. Auctas urbes, consitos agros, exculta vineta, nolis revocare ad vetustatem illam inconditam: ita nec generosum illum sanguinem par fuerit revocare ad initia exornati mundi. Visne igitur ad ea redeamus tempora, quibus ut ille ait:

Sectantem videas qui errant per pascua porcos
Ad Coracis saxum, juxta fontemque Arethusam.

Sed eo tempore deprehendes, suum honorem delatum nobilitati. Inter pastores educatus Romulus vides quo pacto Martium sanguinem spirarit, velut insignia regni inter pastores quoque affectans. Cyro quoque idem accidisse proditum est.

Huc spectant venustissimi illi Euripidis versus:

Quamvis familiæ haud suppetant nobis opes,
Generosus animus, prisca nobilitas manent
(Proh sancta divum numina!) patris nobilis
Quos addit animos, quod decus, fiducia?
Quamvis egestas nobilem oppugnet virum,
Cunctis verendus tamen erit: nec non patris
Secum ipse reputans facta, crescet moribus:
Quid nostri egentem casus huc te detulit?
Sperare de quo multa nobilitas jubet.
Quæ cætera aufert inopia, generis decus
Auferre nescit.
Id vero multum retulit prosapia,
Sitne imperator nobili, fama bona:
Generosa patrum filiis virtus inest,
Vnaque crevit melior opulentis thoris.
Illustre & ingens specimen in mortalibus,
Stirps clara, generis nomen augescit, cui
Decus exprobrari familiæ jure haud potest.

Et illi ejusdem:

Non præmium ullum liberis præstantius,
Ac nosse patrem nobilem, fortem, probum,
Sociamque lecti nobilem, Si quis mala

Libidine

Libidine amens jungis obscuras faces,
Non laudo. Tanti num voluptas, liberis
Probrum ut relinquas generis, & turpem notam?
Generosus animus vincit adversa & domat,
Ignavus illis cedit. En nos ultimo
Mersi periculo sensimus amicum fidem.
Usque adeo puerum, sat scio, incessit pudor,
Celebrare cœtus qui bonorum assueverit,
Sanctosque mores didicit. Hunc ergo malum?
Istone natum genere vitiosum putas?
Hoc mihi probabit nemo, nec persuaserit.
Hos magna generis claritudo spem facit,
Illo superba sceptra fixuros solo.
Conjunx vetusta gente, quamvis fœda sit,
Appetitur: hanc spes liberûm gratiam facit,
Opibusque potior dignitas multis placet.
Si ut prædicas te nobilem, ita se res habet,
Nomen parentum & patriæ narra: Ex bonis
Quicquid creatum, pollui dictis nequit.

Hoc ipsum alii quoque Poëtæ cecinerunt. Virgilius ad illam alludens fabulam, qua Deucalion Arcadiæ rex post diluvium Themidis oraculo edoctus lapides fingitur post tergum jecisse, eosque in homines convertisse, sic loquitur:

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati durum genus. 5 — 5 Geor. 1.

Ubi Servius ait, propter ipsos lapides, ex quibus nati sumus, durum genus dici. Nam & Græcis populi λαοὶ dicuntur à lapidibus. Unde etiam illud Ovidii:

Inde genus durum sumus experiensque laborum,
Et documenta damus qua simus origine nati. 6 — 6. Met. 1.

Hinc Paris Helenæ scribens, ad genus illius respicit, dicitque:

Vix fieri si sint vires in semine morum
Et Iovis & Ledæ filia casta potes. 7 — 7 Ovid. Heroid. epist. 15.

Hinc illud Maronis:

Nunc scio quid sit amor, duris in cotibus illum
Ismarus aut Rhodope aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum nec sanguinis edunt. 8 — 8 Pharmaceut.

Hinc Dido inhumanitatem Æneæ carpens:

Te lapis, inquit, *& montes, innataque rupibus altis*
9 Ovid. Heroid. epist. 7. *Robora, te sævæ progenuere feræ.* 9

Et iterum:

Nec tibi Diva parens generis nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
10 Æneid. 4. *Caucasus.* 10

Hinc denique (ut alios Poëtas taceam) Catullus:

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
11 de Nuptiis Pelei. *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?* 11

Atque hæc evincunt, non tantùm nobis à parentibus & majoribus nostris divitias, imagines, & memoriam illorum præclaram, non tantum magnum ad virtutis decus invitamentum, sed sæpe virtutem etiam illorum relinqui, quod etiam sacræ literæ annuere videntur. *Bonorum*, inquit sapiens, *laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ: Filii autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur: Et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum: Etsi celerius defuncti fuerint non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.* 12

12 Sapient. 3.

Jam verò quod Cornelius Agrippa convitiis nobilitatem impetat, propterea quod alii eam injustis bellis ac latrociniis, alii lenonia arte, uxores vel filias suas principibus prostituendo, alii scorta regum ducendo, alii aliis sceleribus quærant, id nequaquam ipsi probro dari potest, tum quia paucorum crimen male objicitur universis, tum quia id non nobilitatis, sed malorum principum, pessimorumque hominum culpa contingit. Certe ut nemo dixerit pecuniam, aut beneficia (ut vocant) ecclesiastica, esse mala, quod illi fures insidientur, hæc verò Simoniaci nundinentur: ita & nobilitatem nemo jure reprehenderit, quod illa turpiter detur, aut accipiatur.

13 Lib. 1. de gest. Rom.

Adde, quod sicut populus Romanus teste L. Floro 13 quod vi & injuriâ occupaverat imperium, religione atque justitia gubernarit, ita multos nobilitatem malis ab initio artibus partam, magnis postea virtutibus conservare, augere, atque propagare.

Porrò vitia, quæ nobilitati objiciuntur, non nobilitatis sunt,

sed

ſed hominum nobilium, ut bene advertit Plutarchus. Qui (inquit) tuetur relictam à majoribus gloriam, & virtutem, ipſe quidem multis nominibus generoſus dici poteſt: ſi non tuetur, non ideo inceſſenda abigendaque nobilitas: non minus hercule, quam Muſica, aut Geometria, aut Jus civile, aut Medicina, aut ars militaris, ſi inciderint in nequam hominem. 14 Sed quid neceſſe fuit dicere illa vitia hominum nobilium eſſe? Cum nemo non videat eaſquè etiam eſſe plebeiorum. Cum Chryſippus (inquit idem Plutarchus) peculiares nobilitatis ſatellites irridet arrogantiam, faſtum, violentiam, humani denique juris contemptum, ſi quando obruti his ſunt nobiliſſimi aut reges, aut proceres, non agnoſcit in pleroſque ignobiles hæſiſſe eoſdem quoque, quos ſatellites nobilitatis procaci nomine vocat. Illorum hanc eſſe iram ait:

14 Lib. pro Nobilit.

Innumeris quæ ſæva malis afflixit Achivos,
Heroumque animos tot fortis impulit orco
Membra minutatim quorum laniata moloſſis
Alitibuſque dedit.

Sed an ſolius Achillis talem ille iram putavit? annon fuit deterior aut Phalaridis, aut Agatoclis, aut Dionyſii, quos ignobiles fuiſſe legimus, neque verò vates ille doctiſſimus cum ait:

Nil magis eſt hominis natura infirmius omni
E numero ſpirant quæcunque animalia terris.

Potius de nobili quam ignobili agit. Utcunque omnium ſit infirma natura, non tamen generoſus nihil ab ignobili differt. Quin potius naturæ commoda veluti à Deo collata admiratur.

Haud uni dat cuncta DEus, formoſus ut idem
Sit pariter prudens, ac multa laude diſertus
Qui ſpecie caruit, Deus hunc venerabilis ornat
Viribus eloquii: quo fit mirentur ut unum.

Neque vero ſi ignobiles magiſtratus, præfecturas, regna invadere videas, ſi his dejici nobiliſſimos, jure ideo inceſſenda nobilitas. Non minus enim illud ad nobiles quam plebeios pertinet.

Si lege natus Trophime tu fores ea,
Vt omnia ad votum tibi quæ velles fluerent,
Et id Deorum aliquis recepiſſet tibi,
Recte doleas quidem, fefellit enim fidem

Ac fecit absurdè. Sed iisdem legibus
Commune quoniam tu quoque quibus nos alii
Cœlum hauseris, ut audentius tecum loquar,
Ferenda sunt hæc fortius.

Talia inquam dicta sunt & plebeis & nobilibus, quibus in hac parte neque nobilitas prodesse potest, neque natales obscuri. Sunt profecto sua vitia non tantum nobilibus sed etiam plebeiis, & nescio annon his majora quàm nobilibus: sed illa in ignobilioribus reipublicæ membris facile latent, hæc in facie conspicua sunt.

His & similibus etsi non male defenditur nobilitas, nihil tamen eam, præsertim apud vulgum & Stoicos ita defendit, sicut virtus & mores. Proinde quilibet nobilium sibi esse dictum putet ab Euripide:

——— ——— *imitare mores*
Patris justi, filio enim gloria hæc
Pulcherrima, qui ex patre probo natus
Consentit cum parentis moribus. 15

15 in Helena.

Sectio VII.

Nobilitatem reipublicæ esse utilem, ejusque præcipuam rationem habendam.

PRæcipuam rerumpublicarum felicitatem in nobilibus sitam esse, nemo qui legit, dubitat. Beata terra (ait Sacra Scriptura) cujus rex nobilis est. 1 Omnium civitatum, omniumque rerumpublicarum ac regnorum (si historiis credimus) nobiles conditores fuere, nobiles auctores & conservatores. Nobiles fuerunt illi magni heroes, quorum nomina ob egregia in patriam merita immortalitati consecrata sunt. Nobilis fuit ille, quem æternis apud Tragœdum lacrymis Troianæ lugent matronæ.

1 Eccles. 10

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.
Tecum cecidit, summusque dies
Hectoris idem, patriæque fuit. 2

2 Senec. in Troa.

Nobi-

Nobiles Romam bello & pace auxerunt, nobiles injustos reges ex civitate ejecerunt, nobiles tyrannos sustulerunt. Nobilis est illud apud Poëtam elogium :

Unus homo nobis cunctando restituit rem. 3 — 3 Ennius.

Nobiles sunt, qui patriam ab externis, libertatem à domesticis hostibus tuentur; nobiles unicum sunt rebuspubl. à tyrannide munimentum. *Cedo* (inquit Augustus Imperator Cinnæ insidiatori suo) *si spes tuas impedio. Paulus ne te, & Fabius Maximus, & Cossi, & Servilii ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina præferentium, sed eorum, qui imaginibus suis decori sunt.* 4 — 4 Senec. de Clem. lib. 1. cap. 9.

Felicitatem Reipublicæ Polonæ Pio Quinto Pontifici Maximo descripturus magnus ille orator M. Ant. Muretus, præcipuam illius partem in multitudine nobilitatis collocavit. *Habitatorum* (inquit) *ea multitudo, ut cum equitatus regius ex solis nobilibus constet, centum quadraginta equitum millia armare, & in aciem secum, si res ferat, educere Rex Poloniæ possit. Homines natura fortes & animosi, quique non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam immortalitatis instar, vitam per dedecus retentam quavis morte pejorem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint, ut mortem, nihil.* 5 — 5 Orat. pro Sigism. August. Rege Polon.

Certe quicunque diligentius historiarum monimenta evolverit, facile videbit, & in vita nobilium salutem esse patriæ, & in morte interitum. Tritum est apud Politicos scriptores, post præstantium virorum mortes magna turbamenta in rebuspublicis oriri. Nam quemadmodum remotis gubernatoribus navim frangi, magnaque & eminentia ædificia subrutis columnis collabi necesse est, sic futurarum calamitatum & imminentium malorum minimè fallax indicium est, quando viri graves & spectati, quorum prudentia & dexteritate, inprimis verò vitæ sanctimoniâ publica res velut suffulta diu stetit, vita decedant. rarum est, ut non insignis mutatio in religionis cultu, aut morum consueta ratione subsequatur. Ita & Thebis post Epaminondæ excessum, & Athenis post Periclis mortem cuncta in præceps iverunt. 6 — 6 Joan. Lericcius observ. Polit. Observ. 311.

Atque has ob causas omnes boni semper nobilitati favent, eamque legislatores variis privilegiis gaudere volunt, primam illam ad honores, primam ad dignitates admittunt. Exempla hujus

hujus rei profana quia sunt infinita non refero. In sacris literis celebre est illud Moysis, qui tulit de tribubus Israel viros sapientes & nobiles, & constituit eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & decanos super populum. 7 Quod Moysis exemplum omnes principes docet, ut honores ac magistratus mandent nobilibus, nec aliter plebeios, quam si virtute sua nobiles genere post se reliquerint. Propter cujus ordinis contemptum Maximinus Imperator, Antonius Scala, Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui sutori suo Fecialis ac Internuncii, tonsori Legati partes detulerat, Philippus Pulcher, aliique principes in summum discrimen venerunt. 8

7 Deut. 1.

8 Jul. Capitol Bellofo-rest. & Meyer. lib. 2.

Sectio VIII.

Vtrum Nobilitas infamiâ aut vitæ turpitudine amittatur?

Nobilitatem per scelera & vitæ dedecus deperdi legibus Romanis ostenditur apud Andream Tiraquellum, 1 præcipuè verò lege *si qua*, 2 ubi dicitur mulierem intra annum luctus nubentem probrosis inustam notis, honestioris nobilisque personæ decore & jure probari. Cujus rei eam reddit Baldus rationem, quod sine honestate nulla possit esse nobilitas. 3 Et lege *Quoties*. 4 Honorius & Theodosius Imperatores statuunt, ut viri illustres in criminalibus negotiis, dignitate sua, quâ se per suum perjurium indignos esse probaverint, spolientur, utque in eos utpote illustri dignitati per suum facinus privatos, inconsulta etiam imperatoria pietate judicibus legum severitatem liceat exercere. Idem sacris quoque canonibus decretum esse constat ex capitulo *primo*, & ibidem *glossa ac Doctoribus extra de Purgatione Canonica*, & ex capitulo *nobilis*, *Causa 2. quæstione 5.* ubi nobilis homo vel ingenuus, si in furto, aut perjurio, aut falso testimonio fuerit deprehensus, ferventi vel candenti ferro purgare suam innocentiam jubetur, ac si non esset ingenuus aut nobilis, amisso scilicet par scelera nobilitatis privilegio. Quo pacto amissam nobilitatem, neque per emendatos mores, neque per honestam vitam, sed per principem restitui, magni docent auctores. 5

1 De nobilit. cap. 23.
2 Cod. de secund. nupt.
3 In d. l. *Si qua*.
4 Cod. de dignit.

Quamvis autem hæc doctrina satis sit sacris juribus munita, contra illam tamen Andreas Tiraquellus 6 negat ob infamiam atque

5 Bart. in l. 1. Cod de dign. & Joan. Rayn. tract. de nobilit.
6 Ubi sup.

atque delicta ita amitti nobilitatem, ut continuo quis nobilis esse desinat, sed tantum docet privilegia nobilitatis deperdi liquido id colligere licet ex iis, quæ jura statuerunt de mitiùs puniendis nobilibus sceleratis, quàm ignobilibus. 7

Atque hanc Tiraquelli doctrinam fulcit inprimis consuetudo regni Poloniæ, ubi infames nobiles solis nobilitatis privilegiis privantur, ut patet ex eo, quod in comitiis generalibus non nobilitatem amissam respublica recreet, sed privilegia propter certa merita petentibus restituat. Fulciunt deinde sacri Canones, qui ecclesiasticis etiam ob summa scelera non sacerdotium, sed tantum privilegia adimunt.

Ad leges pro priori sententia allatas dicendum est, eas tantummodo in delictis ibi expressis locum habere, non vero in aliis, juxta illam juris regulam: Odia restringi & favores convenit ampliari. 8

7 l. *Mulieres* Cod. de dignit & ibi D D.

8 De regul. Juris in Sexto.

SECTIO IX.

Vtrum Nobilitas paupertate amittatur?

NOn desunt, qui negent nobilitatem posse consistere cum paupertate. Nam secundum Maronem *turpis egestas* est. Secundum Menandrum

Inopia & generosos facit ignobiles

Secundum Euripidem

——— *nobiles mortalium*

Dum pauperes sunt non amplius clari existunt.

Theodosius quoque ac Valentinianus Imperatores paupertati vilitatem attribuunt, 1 veluti paupertas ipsa vilis sit & ignobilis. Quibus accedunt illi, qui non alium volunt esse nobilem, quam qui & genus habeat nobile, & honores, & divitias. 2

Sed fortuna non mutat genus, non tantùm apud Poëtam, sed etiam apud Jurisconsultos 3 qui ad id probandum proferunt illam legem, quæ dicit humilem & abjectam fœminam non esse, quæ licet pauper sit, ab ingenuis tamen parentibus nata est, ideoque licere senatoribus ita natas, quamvis pauperes, matrimonio sibi jungere, nullamque hac in re inter egenos & opulentos esse differentiam. 4 Huc etiam pertinet illud Euripidis:

1 L. 2. Cod. quan. & quib. quart. pars.

2 Barb. in l. *nobiliores* Cod. de Commerc. & merc. & Barr. Boix. in Indice verbo *nobilis*.

3 Joan. Bland. & Joan. Ravn. in cap 1. §. *firmiter*.

4 L. *humilem* Cod. de incest. nupt.

 Pecuniæ

Pecuniæ quidem domesticæ nos deficiunt,
5 Apud Stob. Serm. 86. *Nobilitas autem & generositas manent.* 5
Similiter quoque Virgilii:
6 Æneid. 8. —— —— *tum res inopes Evandrus habebat.* 6
Et paulo post:
Vna omnes juvenum primi, pauperque Senatus.

Licet autem non tollat paupertas nobilitatem, mancam nihilominus illam atque contemptam reddit. Ut non immerito quispiam dixerit, sicut fides sine operibus mortua est, ita & nobilitas sine divitiis. 7 Nam si virtus ex Peripateticorum sententia indiget opum adminiculis, quid de nobilitate dicendum est, quæ longo intervallo omnium sententia virtute inferior est. Hinc sapienter illi principes faciunt, qui bene meritis pauperibus cum nobilitate opes simul largiuntur. Nam ut bene à Comico scriptum est,

7 B. Curt. tr. de Nobilit.

Præstat divitem eße & popularem, quàm nobilem & mendicum.

Sectio X.

Vtrum Nobilitas usu vilium artium amittatur?

Apud omnes fere populos, qui artificia discunt, pro ignobilibus, qui verò à manuariis operibus abstinent, pro nobilibus habentur. 1 Causam subjungit Xenophon: *Mechanicæ,* inquit, *omnino sunt abjectæ ac jure à plerisque improbantur: Quippe quæ corpora exercentium atterant, tum adsidere homines, atque umbratiles esse cogant. Nonnullæ vero ex iis totos dies igni incubare compellant: enervatis deinde labore membris necesse est & animos debilitari, ac quodammodo ægrotare. Eædem illiberales artes tantas habent occupationes, ut amicis & reipublicæ dari opera non possit. Quo fit ut ejusmodi homines nec amicorum usui videantur eße commodi, nec tueri patriam possint. Etiam nonnullis in urbibus, maximè quæ bellis occupantur, ne quidem licet cuiquam civium sordidas hasce artes exercere.* 2 Et Aristoteles: *Opificum,* ait, *ac forensium, & mercenariorum prava est vita, nullumque virtutis opus eorum, quæ tractat multitudo.* 3 Et rursus: *Itaque artes illæ, quæcunque deterius disponunt corpus, & cuncta mercenaria exercitia, sordida nuncupamus. Mentem enim occupatam & vilem reddunt.* 4

1 Herodot. in Euterpe.
2 Oeconomicis.
3 lib. 6. Polit. cap. 4.
4 Lib. 8. cap. 2.

Jurisconsulti, ut turpi vitâ, ita & his artibus non nobilitatem tolli,

tolli, sed privilegia duntaxat nobilitatis perdi existimant, idque tamdiu, quamdiu quis in iis versatur. Nam reversus ad nobilem vitam pristina etiam privilegia recuperat. 5

Imo ne privilegia quidem nobilitatis aliter dicunt suspendi, nisi si quis illas per se exerceat. Nam uti in illis opera servorum aut institorum non est illiberale. 6 Siquidem legimus apud Plutarchum Marcum illum Crassum, haud dubie nobilissimum Romanorum, artificum servorum opera divitem factum fuisse. Scimus & Pertinacem Imperatorem Romanum mercaturas per homines suos exercuisse. 7 Scimus denique multos homines nobilissimos similia fecisse, & etiam nunc facere, salva omnino nobilitatis suæ prærogativa.

5 Masue. in tit. de tallis § item illi qui sunt nobil. decor. Guido Pap. dec. 196 & Bart. Chass. consl. 64

6 Alber. in L. humilem C. de incest. nupt. Alciat tract. de præsumpt. reg. 1. præsum. 48. Num. 10. & Pet. Reb. in Interp. auth. habita. C. ne filius pro patre.

7 Jul Capit. in vita illius.

SECTIO XI.

Vtrum Nobilitas per mercaturam amittatur?

Sordidissimum esse negotiatorum genus vix est qui dubitet, utpote qui res omnium sordidissimas tractant, idque sordidissimis rationibus, cum passim mentiantur, pejerent, furentur, imponant. 1 Acute Horatius:

—— —— plenius, inquit, *æquo*
Laudat venales qui vult extrudere merces. 2

Acutè inquam. Quid enim (ait Orator) stultius, quam venditorem, vitia rei quam vendit, narrare, & quasi preconem predicere, domum pestilentem vendo. Hoc genus celandi quis non videat? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non boni viri, sed potius versuti, obscuri, astuti, fallacis & callidi est. 3 Atque hoc ipsum antiqui illi Poëtæ indicare voluerunt, qui eundem Mercurium deum atque præsulem furum & mercatorum simul fecerunt, tanquam scilicet furtum & mercatura sint quadam cognatione conjuncta. Quem quidem Mercurium & Suidas κλῶπα id est furem fuisse vocatum tradit, & κλέπτην Phurnutus. Ex quo Prudentius:

Expertes furandi homines hæc imbuit arte
Mercurius Maia genitus.

Hinc Hierocles Apollonius adolescentem, qui se mercaturæ esse deditum dixerat, carpit & ab illa veluti sordida & scelerata dehortatur: *Infortunatum*, inquit, *vivendi genus ut arbitror elegisti.*

1 And Tiraq. de nobil. cap. 33.

2 Lib. 2 Epist. ad Julium Florum.

3 Cic. lib. 3. de offic.

Primùm enim hujusmodi homines omnes nundinas circumeunt, ut qui minimo emant, quæ sibi sunt opus. Deinde cum peregrinis & cauponibus degentes assiduè aliquid emunt, venduntque, & sceleratis usuris capita supponentes, ad perniciem suam festinant. Quod si prosperè res successerint, bene navigat navis, & multus illis ubique sermo est, quod neque inviti, neque volentes tale studium deserent unquam. Si ex mercatura non consequantur utilitatem, minora navigia conscendentes, naves pertingunt, & causam in deos impiè referentes non inviti alienis opibus potiuntur. 4 Hæc Apollonius, qui etsi de maritima tantum mercatura loquitur, non incommodè tamen ad cæteras quoque referri possunt. Idem Apollonius, sæpe mercatores increpare solebat, quod odium ab eis adeo contemneretur, ut lucri causa ab omnibus odio haberi parvi facerent, ideoque adolescentes ab eorum congressu abducebat. 5

4 Philostr. lib. 4.

5 Philostr. lib. 8.

Ostendi proxime ex Aristotele & Xenophonte, opificum, forensium, & mercenariorum pravam esse vitam, illudque genus hominum bellis, rebuspublicis, & amicitiæ officiis inutile esse. Verùm mercatores sunt longè deteriores, & ad prædicta inutiliores. Opifices innocuas artes exercent, ut se familiamque sustentent, mercatores mille fraudibus & perjuriis pecuniam corradunt, ut aliis sint ditiores & superbiores, quanquam stulta nimis est illorum superbia, cum divitiarum ipsorum sæpe ventus sit dominus: Opifices proprio sudore vitam tolerant, mercatores alienis opibus tument, & luxuriant: Opificum justus semper est labor, mercatorum iniqua industria. *Iustorum operationi laborum* (inquit Sanctus Chrysostomus) *emptione & venditione iniquitatem immiscent, & juramenta frequenter & perjuria simul atque mendacia avaritiæ conjungunt, sola curant secularia, & terræ affixi permanent, & modo lucrentur, omnia faciunt, ut autem pauperibus communicent, nullam curam gerunt, sua semper augere volentes. Quis referat super hæc convitia, contumelias, fœnora, usuras, contractus multa falsitatis plenos, turpia commercia?* 6

6 In Matth. Hom. 19.

Vulgo dicitur, ubi sunt fœneratores, ibi pulchræ capellæ in ecclesiis. Nam facilius per usuram acquisita ita impendunt quam restituunt. 7 Miror cur non etiam pulchras habemus capellas ubi sunt mercatores? An hi illis deteriores sunt, magisque Deo odibiles? Profectò pejores videntur esse divitiæ mercatorum, quàm ipsorum usurariorum. Horum enim injusta est avari-

7 Cap. Non sane.

avaritia, illorum & injusta, & propter infinita perjuria etiam sacrilega. Enarrans illud Matthæi. 21 *Ejiciebant vendentes & ementes de templo*, Sanctus Chrysostomus, *significavit*, inquit, *quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit eße, projiciatur de ecclesia, dicente propheta, quia non cognovi negotiationes introibo in potentias domini.* Quæ sententia etiam corpori Juris Canonici inserta est. 8

8 in cap. *Ejiciens* 88. dist.

Jam verò, quî fieri potest, ut bello sint utiles mercatores, hominum genus timidissimum, umbramque fugiens? & quod teste Horatio:

—— —— — extremos currit ad Indos
Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignes, 9

9 Epist. lib. 1. epist. 1.

Teste autem Juvenale:

Parva licet portet argenti vascula puri,
Nocte iter ingressum gladium contumque timebit,
Et motæ ad lunam trepidabit arundinis umbram. 10

10 Sat. 10.

Ut proinde meritò, & negotiatoribus militia, & militibus negotiatio legibus Romanis fuerit interdicta. 11

11 L. *Unica* Negotiatores ne militent.

Rebuspublicis verò tantum abest ut prosint mercatores, ut etiam plurimùm iis obsint. Nam sæpe alienæ quidem reipublicæ sunt exploratores, suæ verò proditores: Sæpe ex patria meliora & utiliora evehunt, deteriora in eam invehunt, sæpe contra publicum edictum hostibus patriæ bello necessaria subministrant: sæpe ob parvum privatum lucrum optimam monetam exportant, pessimam ingenti reipublicæ damno important. Possem hæc vel Vilnensium quorundam mercatorum exemplis comprobare, nisi parcendum esse nominibus existimarē.

Denique quam isti homines ad amicitiæ officia sint idonei, satis ostendit, qui dixit: *Amicitiæ scholasticorum sunt ex honesto, militum ex periculo, aulicorum ex poculo, mercatorum verò ex lucro.* Certè hoc vulgus amicitiam utilitate probat, & nonnisi aureis amicis est amicum. Aliquibus verò, ne Deus quidem nisi sit aureus, satis venerabilis videtur, qualis fuit ille, qui moribundus à mœsta uxore admonitus, ut Christi crucifixi amplecteretur imaginem, utrùm aurea esset requisivit. Hoc

—— —— —— crimine ab uno
Disce omnes.

 Omni-

Omnium enim fere *simulachra argentum & aurum*. 12

Atque has ob causas & Sacro jure clericis, 13 & jure Politico nobilibus ac honorum luce conspicuis 14 vetita est negotiatio. Quorum jurium violatores, clerici quidem, in quocunque gradu fuerint positi, mox à clericalibus officiis coguntur abstinere, 15 imo Pontifex ait: *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur*, 16 nobiles vero Politici privilegia nobilitatis amittunt. 17

Sunt quidem etiam mercatoribus sui patroni, qui dicunt, mercaturam minime privilegiis nobilitatis officere. Eorum tamen defensionem magnus alioqui nobilitatis propugnator Andreas Tiraquellus non audit dicitque: *Tu tamen constanter teneto, mercaturam derogare nobilitati. Neque enim omnis ars non improbata est honesta, ut licet videre in omnibus ferè artibus sordidis, quæ licet sint necessariæ, & propterea non improbatæ, non tamen conveniunt nobilibus, qui si in iis versentur reputabuntur viles & abjecti*. 18 Addit nihilominus idem auctor mercaturam non obesse nobilitati, si id mos regionis, qui haud dubiè servandus est, excuset. 19

Quod si meam quis roget sententiam, illi ego cum Bodino „ magno rerum Politicarum scriptore respondeo. Si statuen„ dum mihi sit, principem mercatorem nolo: sin optio detur, „ mercatorem malo, quam tyrannum, & patricios viros, nego„ tiari quam prædari. Quis est enim qui nesciat Lusitaniæ reges, „ cum angustissimis regni finibus coërcerentur, nec jura suæ „ majestatis satis commodè tueri, nec subditos rodere vellent, „ mercaturam abundantissimam & quæstuosissimam jam annos „ centum sine contumelia & maximo reipub. commodo exer„ cuisse? Cum enim anno millesimo quadringentesimo septua„ gesimo quinto orientis opes & intimos Indiæ recessus por„ tusque omnes maritimos navigantibus aperuissent, populo„ rum historias ad veritatem admirabiles, & opes incredibiles „ in Lusitaniam adduxerunt, post etiam universam Europam „ specierum infinita varietate compleverunt. Hoc vero magni„ ficentius, quod in sinu Persico, & in ipso regis Persarum con„ spectu, arcem munitissimam fundaverunt, qua navigantibus „ nec commeare nec remeare nisi soluto vectigali non licet: „ quin etiam quatuor Indorum reges suis imperiis ac stipendiis „ sub-

12 Psal. 114.
13 C. *Consequens* dist. 88 & aliis locis.
14 L. *nobiliores*.
15 d. c. Consequens.
16 Cap. Secundum 6. Ne Clerici vel Monachi.
17 Ioan. Fab. in l. falso Cod. de divers. rescript. Matth. Afflictus. Guil. Pap dec. 196.
18 De Nobilit. cap. 33. Num. 20.
19 Num. 21.

,, ſubegerunt, præter Africæ portus ac littora, quibus longe la-
,, teque dominantur. Qua quidem navigatione Turcarum ac
,, Perſarum principibus, regibuſque Ægyptiorum mercaturæ
,, quæſtus uberrimos de manibus excuſſerunt. Quantæ utilita-
,, tes ex ea mercatura ad Rempublicam pervenerint, ex eo in-
,, telligitur, quod cum Luſitani Moluccarum Inſulas (unde prę-
,, tioſiſſimæ ſpecies aſportantur,) nudaſſent, ac trecenta au-
,, reorum millia numeraſſent Carolo V. Imperatori, cui Moluc-
,, carum inſulæ judicio finium regundorum Alexandri VI. Pon-
,, tificis Maximi ſententia obvenerant, Genuenſes ac Florenti-
,, ni mercatores pecuniam Carolo numeratam, Luſitanis regi-
,, bus reſtituere, & amplius quinquaginta aureorum millia Ca-
,, rolo dependere non dubitarunt, ut ſibi aditus ad eas inſulas
,, pateret, quod renitente Luſitano rege obtineri non potuit.
,, Et quidem Venetis de omnibus calamitatibus, quas Ludo-
,, vico XII. rege Francorum pertulerunt, nulla gravior viſa
,, eſt, quam quod Luſitani reges mercaturæ Orientalis quæſtum
,, illis eripuiſſent.

,, Nec verò Italis abundans & quæſtuoſa mercatura nobilita-
,, ti labem aut dedecus ullum inferre videtur: nec Tullius ipſe
,, uberem mercaturam improbat, ſed eos, qui ab illis emunt,
,, quod carius vendant, ſordidos appellat. Id autem in princi-
,, pe minime ferendum eſt, ut ſubditos exportare frumenta reſ-
,, que vénales prohibeat, quibus ipſe quæſtum faciat: turpius
,, etiam ac fædius ullo pretio mercari à ſubditis, ut eoſdem ca-
,, rius res emptas emere cogat. Ea res enim Alphonſum regem
,, Neapoleos ſuis æque ac exteris odioſiſſimum fecit. Greges
,, enim porcorum ſubditos alere, & in demortuorum locum a-
,, lios ſubſtituere cogebat: olei ac frumenti quicquid in Apu-
,, leia concreviſſet, viliſſimo pretio emebat, ut ſumma egeſtate
,, ac inopia annonæ arbitrio ſuo addiceret. 20 20 De repub. lib. 6. cap. 2.

Sectio XII.

Vtrum Nobilitas per cauſidicinam amittatur?

APud prudentiſſimos rerum omnium arbitros, antiquos nimirum Romanos, munus advocatorum contemptiſſimum fuiſſe, ex eo perſpicuum eſt, quod qui in faſtigio dignitatum

tatum collocati semel fuissent, ab eo se sponte abdicabant, tanquam dignitati suæ tenebras ofundente. Cujus rei exemplo est Hortensius, qui post suum consulatum summum illud suum studium agendarum causarum remisit, quo à puero fuerat accensus, ut testis est M. Tullius. 1 Sed & Plinius Junior ad Pompeium Falconem scribit, 2 cum Tribunus esset, abstinuisse se causis agendis, quod deforme arbitraretur, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare, & qui jubere posset tacere quemcunque, huic silentium clepsydra indici, & quem interfari nefas esset, hunc etiam convicia audire, & si multa pateretur, inertem, si ulcisceretur, insolentem videri. 3

1 In Bruto.
2 Lib. Epist. 1.
3 Ard. Tiraq. de Nobilit. cap. 29.

Vilem quoque causidicinam fuisse vilis ejus merces ostendit. Vilem autem mercedem fuisse colligi potest ex Satyrographo:

—— Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmæ,
Quod vocis pretium? Siccus petasunculus, & vas
Pelamidum aut veteres Afrorum epimenida bulbi;
At vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ &c.

Idem quoque patet ex Martiali deridente Umbrum, & ipsum causidicum, qui quæcunque munera à clientibus in Saturnalibus acceperat, ad illum miserat, ea autem erant vilissima, & nullius fere pretii. Carmen autem Martialis hujusmodi est:

Omnia misisti mihi Saturnalibus Vmber
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies.
Bissenos triplices, & dentiscalpia septem,
His comes accessit spongia, mappa, calix,
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena sapæ.
Parvaque cum canis venerunt coctana prunis,
Et Libycæ fici pondere testa gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer. 4

4 Lib. 7. E. pig. 52.

Et rursus Sextum quendam in hæc verba alloquitur:

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer
Causas inquis agam Cicerone disertius ipso
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Arestinus causas, & Caius, utrumque
Noras, sed neutri pensio tota fuit
Sic nihil veniet, pangentur carmina nobis, &c. 5

5 Lib. 5. Epig. 85.

His accedit Plinius, qui in Epistola ad Maximum, *Heri*, inquit, *duo nomenclatores mei (habent sane ætatem eorum, qui nuper togas sumpserunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti constat, ut sis disertissimus, hoc pretio, quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur.* 6

6 Lib. 2. Epist.

Nec mercedem tantum vilem, sed etiam ipsam artem perniciosam esse, non leves dicunt auctores. Columella. *Sine causidicis*, inquit, *olim satis felices fuerunt, futuræque sunt urbes.* Et paulo post. *Sed ne caninum quidem (sicut dixere veteres) studium præstantius locupletissimum quemque allatrandi, & contra innocentes ac pro nocentibus neglectum à majoribus à nobis autem etiam confessum intra mœnia, & in ipso foro latrocinium.* Sidonius Apollinaris, appellat causidicos rabulas forenses 7 quod accepisse videtur à Cicerone 8 ad quem locum dicit Nonius Marcellus, rabulam à rabie dictum. Seneca *Iuridici*, inquit, *velut canes acerrimi nonnisi oblato cibo mansuescunt.* Idem Seneca alio loco causidicos cum vituperio venale genus vocat. 9 Et Hieronymus *Iuridici*, inquit, *lyncibus & leonibus crudeliores, & si devorent ore rabido tamdiu tamen deperdendi memoriam non perdunt quamdiu venter est vacuus.* 10 Apuleius appellat causidicos vilissima capita, forensia pecora, ac togatos vultures. 11 Ciceronem fortassis imitatus, qui eosdem vultures paludatos vocat 12 Tragœdiographus clamosum illorum forum & rabiosa jurgia dicit:

7 Lib. Epist. 4. ad Claudianum.
8 In Orat.
9 In ludo de morte Claudii.
10 Citatis ab And. Tiraq. de nobilit. cap. 29. n. 8.
11 Lib. 10. Metam.
12 Orat. pro Sextio.

Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens improbus iras
Et verba locat. 13

13 in Hercul. furent.

Extat & apud Pollucem descriptio, hoc genus hominum lancinans. *Causidicus est calumniator, litium conceptor, litium consutor, loquax pro pecunia, nullum verbum gratis proferens*

ad gratiam loquens, ad voluptatem concionem fingens, apud tribunalia semper vivens. 14

14 Lib. 5.

Sed hæc & multa alia, quæ contra advocatos congessit Zasius, 15 cum non tam sint argumenta, quàm calumniæ, non probant munus hoc vile esse, ac quod consequens est nec nobilitati officere. Scimus nobilissimos homines Julios Cæsares, Cicerones, Hortensios, Germanicos, Plinios, & patricios infinitos causas in judiciis egisse. Scimus & illos, qui forum deseruerunt, non contemptu hujus nobilissimi muneris fecisse, sed ob causas alias. Hortensius quidem, quia vidit ex consularibus neminem esse secum comparandum: negligebat autem eos, qui consules non fuissent: Plinius verò non tantùm ob rationes dictas Tribunus factus à causis agendis abstinuit, sed etiam, quia contingere potuisset, ut altera partium illum appellasset ut intercederet, cujus rei extremum jus erat apud Tribunos, ideoque maluit se Tribunum omnibus, quàm paucis advocatum exhibere. 16

15 In Scholiis.

16 Ubi supra.

Recte itaque Andreas Tiraquellus: Quisquis inquit advocatus est, is & in honore constitutus dici potest. Ubi etiam multis legibus ostendit advocatos omnino esse nobiles. Cum quo in eadem sunt sententia, Baldus, Hostiensis, Ant. Panormitanus, Spartianus, & alii plurimi. Et cum infamibus portæ dignitatum non pateant, 17 ideo infames ne sint advocati legibus prohibitum est, 18 cumque Judæis ad omnes dignitates via clausa sit, 19 idcirco non possunt esse advocati. Item cum officium notariorum vile sit, 20 notariique dicantur servi publici, 21 ideo non debent illud advocati exercere, ut docet glossa & Bartolus.

17 L. Secunda Cod. de dignit.

18 l. 1. §. *ait prætor* ff. de postul. & c *infames* 3. q. 8

19 l. ult. Cod. de Judæis.

20 l. *universos* & l. *Si quis proe.* Cod. de Decu.

21 l. *non aliter* ff. de adopt. & l. 2. Cod. eod & leg. 2. ff. rem pupil. salv. for.

At vendunt suam operam. Quid tum? Si id non tantum jure & more humano, sed etiam Canonicis decretis & Pontificiis sanctionibus comprobatum est. Non licet, inquit S. Augustinus, judici vendere justum judicium, etsi liceat advocato vendere justum patrocinium, & Jurisconsulto rectum consilium. 22

22 Cap. *Non licet* 11. quæst. 3.

§. V.

§. V.

De Magistratu & Subditis.

INter alias civium distinctiones est etiam illa, quòd alii civium habeant potestatem imperandi, alii necessitatem parendi. Et quia jam satis dixi alibi, 1 quales esse oporteat eos, qui ad hoc munus sunt eligendi, ideo hic ea tantum breviter attingenda sunt, quæ ad magistratus officium pertinent: quæ quidem omnia solus fere Tullius descripsit. *Omnino,* inquit, *qui reipub. præsunt duo Platonis præcepta teneant, unum ut utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agant ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum ut totum corpus reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela sic procuratio reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.* 2 Et alio loco. *Est boni magistratus, cum auxilia reipub. labefactari convellique videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti, fortunisque communibus suam salutem posteriorem salute communi ducere, intercludere omnes seditionum vias.* 3 Et rursus. *Est proprium munus boni magistratus intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse.* 4 Et denique *Sudandum est iis qui magistratum gerunt pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro repub. tempestates, cum multis audacibus improbis nonnunquam etiam potentibus dimicandum.* 5 Hæc Tullius. Plutarchus verò censet eos, qui rempub. gerunt, varia consilia agitare debere, ac perspicere, qua potissimum ratione unaquæque res facillimè possit expediri: itaque sæpe ille parte aliqua dimissa, totam rei summam conservat, parvoque cedens majora consequitur. 6

Sed nec dissimulatio prudens aliena debet esse à magistratus sapientis officio. Nam ut Plutarchus loquitur 7 ad rem civilem „ congruit hæc præceptio, ut quæ levia sunt iis omittendis vulgo gratificere, in momenti alicujus rebus eidem te opponas, „ neque patiare eos delinquere. Qui enim omnibus in rebus „ nimis est accuratus & vehemens, nihilque concedit aut dissimulat, is dum se ubique asperum & implacabilem gerit, multitudinem ad certamen mutuæ contentionis ac morositatis

1 Quæst. Polit. Disput 3.
2 Cic. 1. offic.
3 Pro Cajo Rabir.
4 Offic. 1.
5 Pro Sestio.
6 In comparatione Polonis & Subiicolæ.
7 in præcept. reipub.

,, assuefacit. Itaque interdum debet (ut est apud Poëtam) ali-
,, quantulum remittere clavum, ob magnam fluctus vim : ali-
,, quando ipse veniam dans, ac ludendi se socium captandæ
,, gratiæ causa præbens,ut in sacrificiis, certaminibus,& specta-
,, culis : nonnunquam veluti in familiis fit, in puerorum pecca-
,, tis simulans se non observare quæ delinquuntur, ac surda au-
,, re prætermittens , ut facultas castigandi, & libera ora-
,, tione increpandi, tanquam medicamentum, non usu jam
,, debilitata & inefficax, sed viribus suis prædita atque auctori-
,, tate, in majoribus negotiis magis percellat atque mordeat
,, multitudinem. Etenim Alexander cum esset certior factus,
,, sororem suam cum formoso quodam juvene rem habuisse
,, non est indignatus : sed dandum hoc sorori esse dixit, ut re-
,, gni aliquem & ipsa fructum perciperet. Non recte ille, ne-
,, que sibi convenienter talia permittens, neque enim petu-
,, lantiam & imperii subversionem pro fructu ejus duci par est.
,, At civilis vir contumeliam in cives nullam suis, neque pu-
,, blicationem alienorum, aut distributionem publicorum bo-
,, norum (quantum omnino præstare potest) concedere debet:
,, sed hujusmodi rerum affectationes suadendo, docendo, per-
,, terrendoque debellare, quas Cleo nutriens atque augens
,, multos (ut ait Plato) fucos in rempub. induxit.

Adhæc diligenter magistratui duo extrema sunt vitanda, ne videlicet vel aliena pluris faciat de seipso judicia, & sermones, vel eadem prorsus contemnat. Regium quidem est male audire cum bene feceris ut dicebat Alexander : & ignaviæ criminationem Fabius repellebat pugnæ declinans periculum cum diceret. Essem ego vere formidulosus si levium veritus obtrectationem à meorum consiliorum ratione discederem.

Scire etiam magistratus debet, se non tantum præesse, sed etiam subesse, principi nimirum & legibus, seque nihil aliud esse, quam justi custodem & legum ministrum, ideoque non posse quidquam sine scelere præter aut contra leges facere: cujus rei inconsiderantia quantùm magistratus peccet, & quantum detrimenti civitas capiat, facile quivis etiam domesticis exemplis edoctus intelligit.

Ad extremum illud sibi à Poëta dici magistratus existimet semperque recogitet

Ponite flatus tumidosque vultus
Quidquid à vobis minor extimescit
Major hoc vobis dominus minatur. 8

Jam verò subditorum omne officium, omnis virtus, omnisque sapientia, in obedientia & adversus magistratum reverentia sita est: Et reverentiam quidem exigit dignitas magistratus & excellentia: omnino enim ab omnibus, iis debetur honor quos honore Deus dignatus est, 9 obedientia verò cum sit publicæ tranquillitatis mater, omnisque felicitatis fons, diligentissimè est ab omnibus præstanda. Interrogatus aliquando Solon, quonam potissimum modo civitas in optimo statu degeret? respondit, si cives quidem magistratui obediant, magistratus autem legibus. Et Chrysantes apud Xenophontem omnia prospera obedientiæ tribuit, sinistra contumaciæ. Quænam inquit, urbs hostium ab iis capi possit qui nolint imperio parere? quæ amicorum urbs conservari possit ab iis, qui nolint imperio parere? qui militum contumacium exercitus victoria potiri possit? quonammodo faciliùs possint in præliis homines vinci, quàm ubi cœperint seorsim singuli salutis propriæ consilia capere? quid aliud rei præclarè perfici possit ab iis, qui se potioribus haud parent? quæ urbes legitimè administrentur? quæ domus servari queant? quo pacto naves eo perveniant quo tendunt? Nos ipsi ea commoda quæ nobis modo adsunt, quænam alia re magis comparavimus, quam principi parendo? Et paulo post. Ergo si parere imperio maximum esse bonum manifesto paret, ad comparandum bona cætera: certo sciendum vobis est, etiam idem hoc bonum esse maximum ad conservandum ea, quæ conservari necesse sit. 10

8 Senec. in Thyeste.

9 Cedrenus hist. compend. pag. 162.

10 De instit. Cyri lib. 8.

§. VI.

De bonorum Civium Officio.

OStendi superius quæ sunt seorsum partes imperantium, quæ parentium; hic omissa omni differentia, quodnam bonorum civium sit officium breviter ostendendum est. Ac primo boni civis officium est teste Marsilio Ficino, 1 considerare civitatem tanquam animal unum, ex civibus tanquam ex parti-

1 Lib. 1. Epist. ad Petrum.

partibus, ac partem toti, non totum parti ſervire debere: quando enim partis tantum commodum quæritur, utriuſque ſcilicet tam partis quam totius commodum prorſus omittitur, quando vero totius quæritur bonum, utriuſque ſervatur. Igitur meminiſſe debet civis, nihil ſive boni ſive mali alicui civitatis membro poſſe contingere, quin propter connexionem quandam ad cætera membra pertineat, atque totum: nihil rurſus toti civitatis corpori evenire poſſe, quin mox ad ſingula animalis hujus membra pertineat. Nemo igitur in hac urbana familia dicat: Meum hoc & illud tuum, omnia enim in hoc ingenti animali quodammodo communia ſunt, ſed dicat: Meum hoc & illud, non poſſeſſione quidem propria, ſed affectu potius atque cura. Patriam quiſque tanquam parentum parentem amet, & colat, privatus antiquis probatiſque legibus obediat tanquam Deo. Non enim abſque Deo hujuſmodi leges conſtituuntur. Magiſtratus meminerit non aliter ſe legibus, quam privatum magiſtratibus eſſe ſubjectum, intelligat ſe cum judicat judicari. Platonis præceptum ſemper ante oculos habeat, ut non ſeipſum, ſed civitatem, non partem civitatis aliquam, ſed univerſum reſpiciat. Sciat denique optimum in cœleſti patria huic ſervari locum, qui terrenam patriam ad cœleſtis exemplar pro viribus diſpoſuerit. Communi enim mundi regi nihil gratius quam commune bonum.

Plato vero cenſet patriam eſſe anteponendam patri & matri, & omnibus omnino progenitoribus, magiſque quam parentes, 2 In Critone. ac etiamſi illa rigidius ſe gerat, amandam. 2 Tullius nihil dicit dulcius, nihil in vita debere eſſe patria carius. Item chari (inquit) ſunt liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Hinc Aulus Gabinius tribunus pleb. ſuadens Pompeio recuſanti bellum contra pyratas: *ô Pompei*, inquit, *mihi & patriæ concede, cui & natus es, & educatus, teque ejus commodis inſervire oportet, ejus cauſa nullos labores nulla pericula ſubterfugere, ſed etiam ſi res ita ferat ut moriendum* Dion. Caſſius lib. 36. hiſt. Rom. *ſit pro ea quovis genere.* 3 Herocles denique civitatem ac patriam Deo quodammodo æquiparat. *Eſt*, inquit, *patria per Iovem velut alter quidam DEus & primus maximusque parens, quare qui nomen ei impoſuit, à re ipſa non temere patriam nominavit, vocabulo*

quidem

quidem à patre deducto, pronuntiato tamen fœminina terminatione ut ex utroque parente missum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam unam ex æquo duobus parentibus colendam esse. Præferenda igitur omnino est patria utrivis parentum seorsim, & ne simul quidem parentes ambos majoris fieri, sed æquali honore dignari. Est autem & alia ratio, quæ non tantum æquali sed majori etiam quàm simul ambos parentes honore patriam afficere monet, neque solum ipsis eam præfert, sed etiam uxori, & liberis, & amicis, & absoluto sermone rebus aliis omnibus post Deos. 4 — 4 Serm.

Qualis in patriam esse debemus.

Porro lex amorem patriæ præcipiens ab ipsa natura sancita est, ut bene advertit Robertus Maranta 5 & Cassiodorus. 6 *Vnicuique*, inquit, *patria sua charior est, ubi ab ipsis cunabulis commoratur: feris datum est agros sylvasque quærere, hominibus autem fores patrias super cuncta diligere: aves ipsæ per aëra vagantes proprios nidos amant, erratiles feræ ad cubilia dumosa festinant: voluptuosi pisces cavernas suas perquirunt, cunctaque animalia ibi se norunt refugere, ubi longissima cupiunt ætate constare.*

5 Spec. aur. part. 3. num. 42.

6 Lib. 1. epist. 20.

§. VII.

Referuntur quædam exempla fortium virorum & patriam amantium?

PRinceps ille Medicorum Hippocrates ab Artaxerxe rege, magna vi auri, ad Persas epidemia laborantes curandos invitatus, & aurum & regem contempsit, ac ad regis literas in hæc verba rescripsit: *Victu, domo, ac cæteris ad vitam necessariis sufficienter fruor: Nec mihi fas est à Persis pecuniam accipere, nec viros barbaros à morbis curare, qui Græcorum hostes existunt.* 1 — 1 Lib. epist. Hipp.

Michael Maurocenus ex Syria, ubi amplissimas opes compararat, in Rhodum insulam appellens, ubi accepit Venetos, Genuensi bello clade accepta, in summo positos esse discrimine, neque ullam ejus servandæ spem superesse, multis adhortantibus, ut mercibus divenditis, & thesauro conflato, alio se reciperet: Egone, inquit, tam grave facinus & scelus hoc tempore ausim, ut desim patriæ tam graviter laboranti? Quin divendam omnia, & quicquid inde conflavero pecuniæ, id totum in patriæ salutem impendam. Ergo ubi Venetias venit, in curia pecuniis omnibus profusis, merito Andreæ Contareno duci sub-

2 Egnatius lib. 6. cap. 5. subrogatus est. 2 Et Socrates quidem ac Maurocenus rempublicam auro, alii verò vita sua cariorem habuerunt.

Cum Pompeius statuisset Mamertinos supplicio ob defectionem afficere. Stheno quidam constantis animi vir, intrepide Pompeium adit, ac injuste inquit Pompei agis, qui ob unum sontem, multos innoxios decrevisti perdere. Ego enim civitati auctor defectionis fui, amicis persuadendo, inimicos cogendo ad eam rem faciendam adactis. Qua oratione ita fuit affectus Pompeius, ut & civitati veniam largiretur & Sthenonem tractaret humaniter. 3

3 Plut. in Resp. præcept.

Pari virtute usus quoque fuit quidam hospes apud Syllam, sed quia apud dissimilem virum, nobili letho extremum diem vitæ confecit. Nam cum Præneste capta decrevisset omnes Sylla interficere, at soli isti ob hospitii usum parcere, tantum fatus. Nolle se patriæ suæ interfectori salutis datæ gratiam agere, permiscuit se popularibus, atque una cum illis trucidatus est. 4

4 Ibidem.

Epaminondas propter invidiam à Thebanis, Dion à Syracusanis, civibus suis ignominia notati, vindictam patriæ amori condonarunt. 5

5 Probus in vita Epaminon. & Diod. lib. 16.

Phocion Atheniensis Phoci filius, non tantùm sæpe multumque suam operam in bellis patriæ præstitit, sed cum ab ingrata patria morti adjudicatus cicutam jam biberet, filio nunciari dixit, ne ob patris mortem patriam odio haberet: sed ab omni ultione desisteret. 6

6 Ælian. lib. 12. Var. hist.

Cum Romæ in media parte fori vasto ac repentino hiatu terra subsideret responsumque esset, illum eâ tantummodo re compleri posse, qua populus Romanus plurimum valeret: Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem virtute, armisque præcipuè excellere; militaribus insignibus ornatus equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, super quem universi cives honoris gratia certatim fruges injecerunt, continuoque terra pristinum habitum recuperavit. Magna postea decora (ait Valerius Maximus) in foro Romano fulserunt: nullum tamen hodie, quod pietate Curtii erga patriam clarius observatur exemplum. 7

7 Val. Max. lib. 5. cap. 6.

Decius qui consulatum in familiam suam primus intulit, cum

cum Latino bello Romanam aciem inclinatam & pene jam proſtratam videret, caput ſuum pro ſalute reipub. devovit, ac protinus concitato equo in medium hoſtium agmen, patriæ ſalutem, ſibi mortem petens, irrupit, factaque ingenti ſtrage, plurimis telis obrutus, corruit. Ex cujus vulneribus & ſanguine inſperata victoria emerſit. 8

Sunt prope infinita hac in re fortiſſimorum virorum exempla, quorum clariſſimæ pro patria oppetitæ mortes, non ſolum glorioſæ, ſed etiam beatæ viris ſapientibus videntur.

8 Idem ibidem.

§. VIII.

De cauſâ Civitatum finali.

QUis ſit civitatum finis, oſtendit Philoſophus in ſuis Politicis. 1 *Quæ*, inquit, *ex pluribus pagis conficitur ſocietas, civitas eſt, quæ quidem (ut ita dixerim) totius ſufficientiæ finem habet, conſtituta quidem gratia vivendi, exiſtens autem bene vivendi gratia.* Circa quam Ariſtotelis doctrinam diſputant rerum civilium ſcriptores, quorum quia hic lites non vacat dijudicare, illis aſſentio, qui civitates non tantum vivendi, ſed etiam bene beateque vivendi gratia conditas eſſe exiſtimant. Nam ſimpliciter (ut loquitur Philoſophus) vivere, etiam extra civilem ſocietatem contingit, bene autem ac beate vivere, non item. Nonnulli etiam civitates ad totius mundi utilitatem atque ornatum ſpectare crediderunt, ex quorum numero Baptiſta Platina in hunc modum loquitur. *Laudent quantum velint Druidas ſuos Galli, laudent Gymnoſophiſtas Indi, nec ſuos Eremitas improbent Chriſtiani. Ego enim ſic exiſtimo, hunc mundum quem colimus, quemque tam ornatum & quodammodo pictum cernimus, nullam ſpeciem habiturum, niſi à civilibus hominibus incoleretur.* 1 Nonnulli denique eaſdem civitates ad cauſam quoque religionis retulerunt. Unde non inelegantes cujuſdam verſiculi:

Vtque alios alii de relligione docerent,
Contiguas pietas juſſit habere domos. 2

1 Lib. 1. cap. 2.

1 Proœm. ad Dial. de opt. civ.

2 Joan. Stigelius.

Caput III.

De optima ac beata Civitate.

Beatitudo ac felicitas civitatis non una eademque est apud omnes. Nam ut dicit Aristoteles, *quicunque in divitiis vitam beatam posuerunt, hi civitatem quoque totam, si opulenta sit, beatam fatebuntur. Et quicunque tyrannicam vitam aliis præferunt, hi civitatem latè dominantem beatissimam esse dicent. Qui vero id unum per virtutem recipit, is civitatem beatiorem dicet si sit studiosior.* 1 Primi generis felicitatem non esse perfectam asserit Sanctus Augustinus, dum dicit: *Aversa & perversa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum splendor aspicitur, & labes non attenditur animarum: cum theatrorum moles extruitur, & effodiuntur fundamenta virtutum.* 2 Et alio loco. *Non censeo*, inquit, *felicem rempublicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus.* 3

1 Polit. lib. 7. cap. 2.
2 Lib. 5. de Civit.
3 Lib. 2. de Civit.

Sanctus autem Chrysostomus non tantùm hæc ad felicitatem, sed ne ad ornatum quidem aut dignitatem civitatis putat sufficere. *Disce*, ait, *quid sit civitatis dignitas, & tunc manifeste scies, quod habitatores ipsam non prodiderint, auferre poterit alius nemo civitatis dignitatem. Non quod Metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinem & ornatum, neque quod multas habeat columnas & porticus, & deambulationes, neque quod ante alias civitates prædicetur: sed inhabitantium virtus & pietas, hæc est dignitas & ornatus & tutela civitatis: ita ut si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab imperatore consequatur honorem.* 4

4 Serm. 17. ad Pop. Antioch.

Quam Sanctorum Patrum doctrinam Joannes Bodinus sequi videtur, qui à vera civitatis felicitate, opes rerumque usibus humanis necessariarum affluentiam rejicit. Nam illud, inquit, „ *Beate vivere* si ad civitatis definitionem necessarium esse de- „ mus, nullus sit, nisi cum summa rerum omnium affluentia „ virtuti locus: nec honesta civitas nisi placido mari, secun- „ dis conspirantium ventorum flatibus impulsa feratur; & cum „ horribiles illam procellæ ac turbinum vis agitaverit, misera „ censeatur: quæ disciplina ab omnibus est omnium Theolo- „ gorum ac Philosophorum præceptis aliena. Hi enim justos „ etiamsi omnes fortunæ acerbitates excipiant, semper beatos „ injustos etiam in maximis prosperitatibus, secundisque re-

„ bus

„ bus, infeliciſſimos eſſe judicant. Sic etiam rempub. bene in-
„ ſtitutam eſſe dicemus, quæ ad verum decus & honeſtatem di-
„ rigetur, etiamſi prematur inopia, ſi ab hoſtibus obſeſſa, ſi ab
„ amicis deſerta, ſi denique omni genere calamitatum obruta
„ videatur. Quo in ſtatu Maſſiliam cum triumphata eſt à Caio
„ Cæſare M. Tullius fuiſſe confitetur: quam tamen rerum o-
„ mnium publicarum laudatiſſimam appellat. Quis verò civi-
„ tatem, quæ ſolo fertili ſit & ubere locuples, hominum mul-
„ titudine abundans, amicis cariſſima, hoſtibus formidabilis,
„ armorum vi potens, propugnaculis bene munita, præclare
„ inſtitutam putet, ſi omnium ſcelerum ac flagitiorum immani-
„ tate cumulata fuerit? cum nulla virtutum capitalior peſtis
„ eſſe poſſit, quam beata illa & affluens ad cupiditates explen-
„ das rerum copia; quam cum honeſtate conjungere, non minus
„ difficile eſt, quam quæ maximè contraria ſunt.

„ Quoniam igitur cæteris quidem rebus, & carere ſine pro-
„ bro & abundare ſine laude poſſumus, virtutibus autem ſine
„ contumelia vacare, aut vitiis inquinari ſine infamia non poſ-
„ ſumus, conſequens eſt, ea quæ beatiorem vitam efficere pu-
„ tantur, opes inquam, copias, latifundia, bene conſtitutis civi-
„ tatibus neceſſaria non eſſe: ſed altius intuentem quam pro-
„ ximè fieri poterit, ab optimo ſtatu diſcedere oportet: ſiqui-
„ dem civitatum æquè ac rerum omnium dignitatem ac præ-
„ ſtantiam bonorum finibus metimur: ut quanto finis cujuſque
„ civitatis præſtantior ac divinior erit, tanto ipſa cæteris excel-
„ lere judicetur. Nec tamen rempub. idearum ſola notione
„ terminare decrevimus qualem Plato, qualem etiam Thomas
„ Morus inani opinione ſibi finxerunt, ſed optimas quaſque
„ civitatum florentiſſimarum leges, quantum quidem fieri po-
„ terit, proximè conſequemur. Quod ſi eadem eſt unius civis,
„ quæ totius civitatis felicitas, & utriuſque ſummum bonum in
„ iis poſitum virtutibus, quæ mentis ipſius propriæ ſunt: quæ-
„ que in ſola contemplatione verſantur, ut ſumma conſenſione
„ aſſeverant, qui cæteris ſapientia excellere dicuntur: conſe-
„ quens eſt illud quoque, cives illos vera felicitate frui qui in
„ rerum naturalium, humanarum ac divinarum ſuaviſſima co-
„ gnitione exercentur, quique contemplationis ſuæ fructus
„ præpotenti Deo, totius naturæ principi ferant acceptos. Hoc

,, igitur bonorum extremum in singulis statuentes, cur non ,, etiam universorum ac totius reipublicæ summum ultimumque finem esse concedemus? 5 Hæc Bodinus.

5 De rep. lib. 1 cap. 1.

Fateor equidem, solam opum, cæterarumque rerum, sine quibus ingrata difficilisque est vita, copiam non esse hominis, nedum civitatis beatitudinem, esse tamen magnam partem & complementum ejusdem. Facile id toto orbe teste probari posset, nisi sufficeret solus Philosophorum princeps Aristoteles, qui ad felicitatem etiam bona fortunæ requirit. Sic enim loquitur: *Adversus hanc divisionem nemo utique refragabitur, quod tria cum sint bonorum genera, externa, corporis, & animi, ista omnia felici homini adesse oportet.* 6 Secundum eundem Philosophum: *Opes multorum instrumentorum & commoditatum in re familiari & civili ratione locum obtinent.* 7 Item: *Opulentum & locupletem esse in parte aliqua virtutis ponitur: est enim opulentia possessionis virtus, & ex qua habenti plurima commoda oriuntur.* 8 Idem denique pecunias ad vitam necessarias & ad societatem civilem perutiles esse docet. 9

6 Polit. lib. 7. cap. 1.
7 Lib. 1. de rep. cap. 5.
8 Lib. 1. Rhet. cap 6.
9 Ibid.

Sapientissimus etiam rerum æstimator Plinius hæc bona in Italiæ felicitate reponit: *In toto*, inquit, *orbe, & in quacunque cœli convexitas vergit, pulcherrima est omnium rebus, meritoque principatum naturæ obtinens Italia rectrix, parensque mundi altera: Viris, fœminis, ducibus, militibus, servitiis, artium præstantia, ingeniorum claritatibus. Iam situ ac salubritate cœli atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, littoribus portuosis benigno ventorum afflatu. Etenim contingit recurrentis positio in partem utilissimam, & inter ortus occasusque mediam, aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quicquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est præstantius; fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci. Ne equos quidem in tricariis præferri ullis vernaculis animadverto. Metallis, auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nulli cessit. Et iis nunc in se gravida pro omni dote varios succos & frugum pomorumque sapores fundit. Ab ea, exceptis Indiæ fabulosis, proxime quidem dixerim Hispaniam, quacunque ambitur mari.* 10

10 Hist. nat. cap ult.

Sed & Dominus Deus populum suum Israel, quem felicissimum esse voluit, in terram, quæ non tantum melle ac lacte, sed etiam rebus omnibus affluebat, per tot discrimina rerum intro-

duxit,

duxit, idemque Dominus & eidem populo, in præmium servatorum mandatorum suorum, inter alias benedictiones, etiam rerum omnium abundantiam promittit. 11. 11 Deut. 28.

Nec sancti Patres opes rerumque affluentiam à civitatum rerumque publicarum felicitate excludunt, sed tantum docent, in illis solis non esse sitam felicitatem, atque majori ex parte in animi bonis ac virtutibus. Imo ex illis S. Hieronymus comparans cum paupertate divitias, si non divitiis palmam tribuere, saltem eas pares inter se facere videtur. *Hoc*, inquit, *attendite, ne passim divites reprehendatis, & rursum ne de paupertate & egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis, quanto magis non est præsumendum de paupertate? Pauper ulcerosus non habens escam, non ipsam vestem, ablatus est ab angelo in sinum Abrahæ. Vides quis sublatus est, non vides quo sublatus est, in sinum Abrahæ: lege scripturam, & invenies divitem Abraham. Sublatus est ergo in sinum divitis pauper, an potius ambo divites Deo, ambo à cupiditate pauperes.* 12 12 In originali sup. Psalm. 5.

Theologorum quoque doctrina nequaquam tollit ex civitatibus opulentiam, sed eos, qui divitiis carent, jubet modeste ferre penuriam, quæ sæpe divitiis utilior est ad felicitatem solius animæ Theologicam & æternam, non autem ad felicitatem Politicam, quæ non tantum ad animum, sed etiam ad corpus atque totum hominem pertinet.

Philosophos, maximè verò è Stoicorum porticu, parum in iis, quæ ad Politicam spectant, curo, qui (ut Plutarchus loquitur) in mediis ignibus se conflagrare, & in medio mari obrui se aquis negant. 13 13 De Nobilit.

Maneat igitur, ad consummatam civitatis felicitatem bona fortunæ pertinere. Quod dum assero, nequaquam ab eadem felicitate bona animi & virtutes rejicio, imo potiorem beatitudinis partem in his colloco, potissimùm verò in Religione & Justitia, de quibus sequentibus capitibus agendum est.

Caput IV.

De Religione.

Religio ab aliquibus pietas, ab aliquibus colendi Dei ſcientia definita eſt, 1 ab aliquibus juſtitia erga Deum, 2 ab aliquibus reverentia Deo, tanquam omnium creatori ac Servatori debita, per quam debitus ei tribuitur cultus: myſteria & ceremonias reſpiciens; ſine quibus nihil ritè, nihil ſanctè in repub. geri poteſt; in qua ſola omnis virtus eſt poſita; imo quæ virtutum omnium ſumma & caput eſt. 3 Sancto Auguſtino nihil eſt aliud, quam cultus divinus. 4 Dicta autem eſt religio ex eo, quod per eam uni ſoli Deo religamus animas noſtras ad cultum divinum animo ſerviendi. 5

1 Sex. Empiric. Patr. in rep. lib. 6.
2 Speuſip. de defi. Plat.
3 Leo de ab-origin.
4 Lib. 20. de Civit. Dei.
5 Iſid. lib. 18. Etymol.

Ad beatitudinem civitatis eſſe neceſſariam ex eo intelligitur quod ſine illa nulla fides, nulla juſtitia, nulla virtus ſit, ſed fraus, licentia, protervitas, & uno verbo confuſio hominum ac rerum. Quod frænum erit peccaturis? (ait Lipſius 6) quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui à pœnis aut morte eſt multi contemnunt: & deſperatio, impetus, aut iracundia eo ducunt. Eſt igitur vinculum & firmamentum reipublicæ religio. cujus opinio (ut loquitur Nicolaus Bellus 7) tantum poteſt, ut quoties illa firmata ſit omnes virtutes neceſſario, & optimo jure ad illam accedere videantur. Hæc in populis honorem ac reverentiam erga principem imprimit, ipſos ab omni violentia ſecuros facit, eamque quaſi januam cuſtodit, per quam diſcrimina imperiis ac principibus pernicioſiora ingredi ſolent: haud longe enim abeſſe videntur reſpublicæ à calamitatibus, quoties in ipſis religio vacillat. Hinc eſt quod plerique omnes qui reipublicæ alicujus ſtatum conſtabilire voluerunt, à religione tanquam præcipuo fundamento auſpicium ſibi ſumendum duxerunt: cum ea una veluti frænum quoddam ſit quo ſubditi in unius Dei cultu & adoratione & debita erga principem obedientia retinentur. Neq; enim ſuperiorem aliquem in hoc mundo agnoſcere poſſunt: qui ſupremum illum cœli ac terrarum moderatorem non agnoſcunt, aut non reverentur. Sic Lycurgus Lacedæmonios, Numa Romanos, Jon, antiquus Athenienſes, & Deucalio Græcos fere univerſos diis conſecraverunt, votis, ſacramentis, vaticiniis, omnibuſque eos ob ſpem ac metum diis dedi-

6 De religione, cap. 2.
7 Rerum polit. tom. 1. cap. 6.

deditos, obnoxiosq; reddentes. Etsi terras (inquit Plutarchus 8) obeas, invenire possis, urbes muris, literis, regibus, opibus, domibus numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: urbem templis diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi sine sole posse puto, quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare. Civitatibus igitur veræ felicitatis cupidis ante omnia curæ debet esse religio, eaque vera Christiana & Catholica, quam tenet Sancta Romana ecclesia.

8 Contra Coletem.

Caput V.

De Iustitia.

Iustitia teste Cicerone est habitus animi communi utilitate servata suum cuique tribuens, atque societatem conjunctionis humanæ mirificè atquè æquè tuens. 1 Est virtutum omnium præclarissima, plurimumque in rebus humanis splendoris ac venerationis obtinet. Auream ejus faciem, aureos oculos fecit Pindarus. 2 Lactantius aut ipsam summam virtutem, aut fontem esse virtutis existimat. 3 Aristotelem secutus, qui de illa in hunc modum loquitur: *Iustitia absoluta est illa quidem virtus & perfecta, non illa quidem per se, ut animi habitus quidam considerata: sed quatenus alterius commoda & utilitates respicit. Ob eamque causam hæc una virtus est omnium domina, & regina virtutum: neque Hesperus aut Lucifer tantam sui excitant admirationem. Ex quo factum est tritum in sermone proverbium.*

Iustitia in se virtutes continet omnes.

eademque virtus perfecta est, ob id maximè quod inest in ea usus virtutis undique perfectæ. 4

1 De finib. 5.
2 Athen, lib. 12.
3 Divin. Inst. lib. 5. cap. 5.
4 Ethic. lib. 5. cap. 3.

Effectus illius elegantissimè Cyprianus describit: *Est*, inquit, *pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum.* 5 Hinc præclarè Justus Lipsius Justitiâ servatâ servari regna affirmat. 6 Et Cicero, tantam esse justitiæ vim dicit ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat. 7

5 Lib. 12. de abusionibus.
6 In Monitis cap. 9.
7 Offic. lib. 2.

Justitiam dividunt Jurisconsulti in *Universalem* & *Particularem*. Illa omnibus legibus obedit, atque adeo omnes omnino virtutes

virtutes complectitur, hæc specialis virtus est, quæ quia necessitatis magis (ut politicòs loquitur Theodorus Tuldenus) quam perfectionis est, & executio illius judiciis vigetur, ideo externas magis actiones, quam intimas animi functiones componit. 8

8 Inst. Imp. lib. 1. cap. 3.

Justitia *particularis* alia est, quæ circa commercia privatorum inter ipsos versatur, & *Commutativa*, sive *Commerciaria* vocatur: alia vero in distributione publica honorum aut pœnarum consistit, & *Distributiva* nuncupatur.

Partes justitiæ sunt, maxime ejus, quæ in vindicando & defendendo posita est, justos & insontes tueri, injustos & noxios persequi, accusando, deferendo, cognoscendo, inquirendo, damnando, suppliciis afficiendo: Acta, contractus, leges, decreta publica, pacta justa sancire, & sancita defendere, injusta rescindere, antiquare, abrogare: Fœnus injustum tollere, res & fortunas legitimis dominis reddere, nummos adulterinos tollere, mensuras & pondera æquare, justam distributionem facere, dignis digna tribuere, fidem servare patriæ, principi, magistratibus, popularibus, civibus, externis, domesticis, gratiam bene meritis referre. 9

9 Nic. Caussin. De Epidict. Orat. lib. 10.

Porro cum omnis justitia in civitate sit servanda, tum verò ea maximè, quæ præmia virtutibus, & vitiis supplicia proponit. Nam Lycurgus, Solon, Socrates, Pythagoras, aliique inclyti Philosophi, nihil magis judicant ad salutem & felicitatem civitatis prodesse, quam si boni præmiis invitentur, mali autem pœnis coërceantur,

Quod si alterutro peccato in hanc justitiæ partem esset peccandum, satius boni præmiis quàm mali pœnis carere deberent. Nam bonis ipsa virtus ipsorum satis magnum præmium est, malorum impunitas publica pernicies est. Quæ libido (inquit Cicero) se non proripiet, ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia. 10 Itaque Cato exhortans magistratus ad sumendas pœnas de his qui delinquerent, dicebat, eos qui maleficos prohibere possent, & tamen impunitate donarent, lapidibus obruendos esse: Sentiens, eos reipub. perniciosissimos esse, qui permitterent impune contra justitiam, æquitatem, & urbis leges agere. Idem Cato frequenter dicere solebat, se malle pro collato beneficio nullam reportare gra-

10 2. de Finibus.

gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam, significans nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat. 11

Exempla hujus justitiæ sunt multa apud scriptores, ex quibus hic pauca subjicio. Zaleucus Locrensium legislator cum in adulteros hanc pœnam statuisset, ut in adulterio deprehensi utroque orbarentur oculo, oblato filio, multisque testibus adulterii convicto, quum neque paternum animum posset exuere, neque solus pœnæ, quam in alios statuerat, immunis esse vellet: sibi primum unum oculum, quamvis plurimum reclamante populo, & filii crimen patris virtuti condonante, deinde & filio alterum jussit erui. 12

Memorabile quoque extat factum Principis Turcarum Muchmetis. Habuit ille filium Mustafam imperio destinatum, & cætera bonum, libidinibus pronum. Hic Achmetis Bassæ uxorem, insigni forma, adamabat, & blanditiis diu pervincere conatus, cum non succederet, insidiis tentavit. Speculatus est tempus, quo in balneum mulier ivit, & mox secutus, cum paucis suorum ibi nudam & frustra renitentem compressit. Illa ad maritum, maritus ad Imperatorem flagitium detulit, ac pœnas poposcit. Mahumetes primo cunctari, tum asperioribus verbis (sed alius in mente sensus erat) Bassam excipere: Et quid inquit sic graviter de filio quæri tibi visum est? An nescis te & tuam uxorem juris mancipiique mei esse? Si filius igitur illam amplexus est, & animo suo morem gessit, nempe ancillam meam amplexus est, sine ulla quidem culpa, si me volente. Hæc cogita atque abi, cætera mihi permitte. Sed ista juris tuendi causa magis, quam quia sentiret, atque animi æger & saucius, filium ad se vocatum primo examinavit, tum confessum pessimis verbis minisque acceptum dimisit. Et mox minas in rem confert, ac triduo post, cum aliquandiu in pectore filius & justitia pugnassent, hâc vincente, fauces Mustafæ nervo arcus jussit effringi, & morte pudicitiæ litare. 13

Non minor denique virtus Charondæ Thurii à Valerio Maximo celebratur. Leges ille quasdam Atheniensibus tulerat, quibus cum capitis pœnam statuisset in eos, qui gladiis armati concionibus interessent, imprudenter, ut rure veniebat, gladio accinctus in concionem prodiit: monitus deinde ab eo, qui

11 Plut. in Rom. Apoph.

12 Val. lib. 6. cap. 5.

13 Lipsius in Monitis cap. 9.

proximè assidebat solutæ à se legis: Idem, inquit, ego illam inquit sanciam, ac protinus ferro quod habebat districto incubuit, cumque liceret culpam vel dissimulare vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret. 14

14 Ubi supra.

De Aristide silere melius est quam parum dicere, illo nimirum Aristide Atheniensi, qui ob insignem justitiam Græcorum felicitas dictus est, & ætas quæ tulit illum aurea appellata est. 15 Colamus justitiam & patriam felicem, simus Aristides, & sæcula aurea faciemus.

15 Plut. in Aristid.

Caput VI.

De Iudiciis.

QUia justitia, quæ in rerum contractarum fide tuenda, & in puniendis delictis occupata est, judiciis (ut proximè dixi) urgetur, ideo hic de illis agendum est.

§. I.

Quid sit Iudicium & quotuplex?

IUdicii vocabulum hic pro causæ apud judicem disceptatione, cognitione, atque definitione, accipimus, quo significatu acceptum judicium aliud est *Civile*, aliud *Criminale*, item aliud est *Privatum*, aliud *Publicum*.

Judicium *Civile* dicitur, in quo non agitur de criminibus, sed de negotiis pecuniariis, & de controversiis, quæ de rebus sunt. Dicitur etiam Civile judicium, in quod veniunt crimina privata, si de illis quis experiatur *civiliter*, id est, si pro illis tantùm æstimationem damni dati reddi petat, neque ad vindictam reum poscat publicam.

Judicium *criminale* illud est, in quo pro vindicta publica criminis publici vel privati instituitur accusatio. 1

1 L. fin. ff. de privat. delict.

Inter Publica & Privata judicia illa est differentia, quod Publica *Accusationibus*, Privata *Actionibus* instituantur. *Accusatio* eo tendit, ut admissum crimen publicæ utilitatis causa in exemplum vindicetur. *Actio* ad persecutionem juris privati spectat. In judiciis publicis cuivis de populo accusatio & persecutio est per-

permiſſa, in Privatis actio nonniſi certis & ex certo jure perſonis competit.

In judicia publica jure Romano ſedecim tantum crimina vocantur: Crimen læſæ Majeſtatis, Adulterium, Stuprum, Homicidium, Veneficium, Parricidium, Falſum, Vis publica, Vis privata, Raptus, Peculatus, Plagium, Ambitus, Crimen repetundarum, Annonæ, & Reſidui. 2 2 Inſtit. de Pub. Jud.

In judiciis privatis de omnibus aliis negotiis cognoſcitur.

Porro omne judicium tres neceſſario perſonas requirit, *Iudicis* videlicet *Actoris* & *Rei*, de quibus ſigillatim dicendum eſt.

§. II.

De Iudice.

SCientia judicandi & munus ad ſolos olim reges ac principes pertinebat, qui poſtea poteſtatis hujus participes fecerunt magiſtratus. Ac primum apud Perſas ſelecti judices fuerunt, qui ex conſultiſſimis viris Perſarum legebantur, quorum erat perpetuus magiſtratus, nec niſi in demortui locum alius ſufficiebatur. Hi jus poſtulantibus reddebant, leges patrias interpretabantur, ad eorumque collegium omnes lites omniaque negotia referebantur. 1 Quanta vero integritate ab iis adminiſtrari judicia reges vellent, teſtatur Siſamnis exemplum, qui cum ob rem judicandam pecuniam accepiſſe convictus eſſet, Cambyſes ex corpore ejus detractam pellem ſellæ intendit, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit. 2 Qua de re apud Marlianum extant hi verſiculi: 1 Herodot. in Thalia lib. 3. 2 Herodot. in Therph. lib. 5.

Ecce lucerna tibi ſedes pelliſque paterna,
A manibus reſeces munera, ab aure preces.

Apud Ægyptios quoque judicia non minori cum diligentia fiebant. Exiſtimabant enim teſte Diodoro 3 ſententiarum latores maximi eſſe ad communem vitam momenti in utramque partem. Nam punire nocentes, auxilium ferre oppreſſis, optimam ad prohibenda mala facinora viam putabant: Pœnam verò delicti pecunia aut gratia tolli, exiſtimabant confuſionem vitæ communis fore. Quamobrem ex urbibus clarioribus, ut Heliopoli, Memphi, Thebis, viros optimos eligebant, quos judiciis præficerent: qui judicum conſeſſus neque Athenarum A- 3 Lib. 1. cap. 3.

reopagitis, neque Lacedæmoniorum Senatui cedere videbatur.

Apud eosdem Ægyptios sacerdotes etiam olim judices erant, & quidem inter eos (ut refert ex Æliano Nicolaus Caussinus 4) princeps erat sententiæ maximus natu. Eum omnium hominum justissimum esse & sincerissimum oportebat, ideoque signum variis ornatum lapidibus, quod veritatem appellabant, aurea catena à collo suspensum gestabat. Omnes autem judices jurabant, se ne si rex quidem injusti quidpiam injunxisset, à virtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos.

4 De eloquent. civil. lib. 12. cap. 16.

De Græcorum ac Romanorum judiciis multa notata sunt à Nicolao Caussino, 5 quæ hic non transscribo.

5 De eloqu. civil. lib. 12. cap. 17. & cap. 18.

Officium judicis optime definit Tullius. Videlicet *meminisse se hominem, cogitare sibi tantum esse permissum, quantum commissum sit & creditum: Et non solum sibi soli potestatem esse datam, verum etiam fidem habitam esse, meminisse, posse quem oderit absolvere, quem non oderit condemnare, & semper non quæ velit ipse, sed quid lex & religio cogat, cogitare: Animadvertere qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cum hæc sunt videnda, tum illud est hominis magni atque sapientis, habere in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem, libidinem autem & invidiam, metum, cupiditates omnes amovere: maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis divelli non potest.* 6

6 Pro Cluentio.

Philo Judæus in præclaro judice requirit primo, ut syncerum animum habeat, & à pravis affectibus liberum, quod fiet, si is qui judicaturus tribunal ascendit, judicari se non minus quam judicare cogitet. Facilis est recti persuasor innocens judex: contra nullas culpas timet reus, quas cognitorem scit habere. Synceri autem animi magna pars est syncera religio. 7 Deinde ut sit ornatus virtutibus, prudentiâ, ne decipiatur, fortitudine, ne leviter inflectatur, temperantiâ, ne voluptatibus corporis animi acies hebescat, sapientiâ ac scientiâ, ut in judicando non erret. Nam (ut ait Cassiodorus) non facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgaverit: contra, ignorantia judicis calamitas est innocentis. Justitiâ, ut munera non accipiat. Nam si in aurem judicis vel advocati susurret pecunia, Orphei lyra, (ait

7 Causs. de eloq. civil. lib. 12. cap. 18.

(ait Caussinus) carmen Amphionis, Musa Virgilii, voce pecuniæ suffocantur. Quid plura? Ubi nummus loquitur Tulliani eloquii tuba raucescit: ubi nummus militat Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur: ubi pugnat pecunia virtus expugnatur Herculea: nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis. 8 Ad extremum, ut sit innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, ara justitiæ, absit à judiciariis mentibus aliquid prophanum. 8 Ubi supr.

Hæc Philo apud Caussinum de judice, & multa alia de judiciis. Bodinus verò requirit, ut in collegio judicum nulli sint propinquitate inter se aut affinitate conjuncti. 9 Et rectè, quia & amor, qui inter hujusmodi homines reperitur, rectum judicium pervertit, & qui (ut per jus licet) vellet rejicere unum judicem, cæteros etiam rejicere haberet necesse: quod teste Bodino contigit in curia Parisiensi, in quâ cum lis esset inter Principem curiæ Chr. Thuanum & Joan. Tilium curiæ scribam, qui absentis filiæ causam susceperat, sexaginta judices, propinquitatis subjecta causa rejecti sunt. Ac prudenter in Septimaniæ provinciæ conventu communi omnium ordinum decreto mandatum est Joanni Durando Universitatis Actori, ut rogationem illam, quæ cum cæteris conjuncta erat, potissimum urgeret, ne deinceps in eadem curia judicum proximi crearentur. Et eandem ob causam Carolus V. rex Francorum, ac Philippus is, qui Bellus usurpatur, decreverant, judicem deinceps in ea urbe, in qua quis natus esset, futurum neminem. Ut consimili edicto M. Aurelius Imp. vetuit quemquam suæ civitatis rectorem esse. 10 Cujus legis tanta utilitas visa est, ut etiam ad Assessores pertinere voluerit, & ad hæc usque tempora tum in Hispania, tum etiam in plurimis Italiæ civitatibus tam salutaris judicatur, ut Prætor Urbanus ubique fere peregrinus sit.

9 De rep. lib. 4. cap. 4.

10 Xiphil. in Ant. Philosoph.

Denique boni judicis est, ut in judicando justus & non misericors sit, judicetque non secundum suum arbitrium, sed secundum præscriptum legum, quarum non custos tantum, sed etiam servus est, quamvis interdum duræ esse videantur. *Dura*, inquit Ulpianus, *lex est, sic tamen scripta.* 11 *Duram* dixit non *iniquam*, neque enim subdito legem iniquitatis perstringere fas est, nisi aperte legi præpotentis Dei, naturæ, aut gentium repugnet. Nam si lex ad propositam causam accommodari sine injuria

11 L Prospexit. qui & à quibus.

juria non poteſt, temperanda ſunt judicia juſtiſſimis magiſtratuum decretis, ut Paulus Jureconſultus reſpondit, 12 & in conſimili cauſa Salvius Julianus 13 cavendum eſſe dixit, ne quid abſurdum & iniquum ex interpretatione legis ſequatur. Olim quidem lege Prætoria (quam alias Pletoriam vocant) quæ de imperio Prætoris urbani lata eſt, jus ei datum erat, ut leges emendare, ſupplere & interpretari poſſet, 14 ut teſtis eſt Papinianus. Quæ poteſtas, quoniam jura majeſtatis aliquomodo diminuere viſa eſt, ſublato populari ſtatu omnibus magiſtratibus adempta eſt, iiſque interdictum, ne leges emendarent, aut obſcuras interpretarentur. 15

12 L. in ambiguis 86. de regulis.

13 L. Salvius de legat. præſtand.

14 L. Jus autem, de juſtitia.

15 L. 1. de legib. Bald. in l. 1. §. ſi is qui exercit. ff.

Atque hinc eſt, quod bene ordinatæ civitates raro atque difficile, idque nonniſi ob ſingularem virtutem atque integritatem, juris legumque imperitos in judicum collegia admittant: quæ collegia etiamſi Ulpianos & Papinianos habeant, ubi tamen dubiæ obſcuræque ſunt leges, ſcitari principum oracula debent. Neque enim magiſtratui de lege, ſed ſecundum legem judicare neceſſe eſt, aut infamiæ pœnam ſubire. 16

16 L. Servos ad L. Juliam de adulter.

§. III.

De Actore & Reo.

A*Ctor* in judiciis dicitur, quicunque cauſam agit: quemadmodum actores in theatris, qui fabulas agunt. 1 *Reus* autem eſt, quicunque in jus vocatus defendit & propulſat actionem. Veteres reos appellabant non eos modo qui arguuntur, ſed omnes quoque, quorum de re diſceptatur. Ubi tam actor quam reus pares ſunt potentia, aut gratia, bonus ſolet eſſe judiciorum exitus, infelix ubi impares. Cui malo in privatis quidem judiciis & civilibus occurri poteſt, fide & æquitate judicantium, in publicis verò nonniſi legibus, quæ & unicuique è populo accuſationem contra quoſvis facinoroſos permittant, & magiſtratus ad ſumenda de illis ſupplicia certis pœnis adigant. Quis enim magiſtratus in illius judicio, cujus potentiam extimeſcit, non lege coactus officium ſuum faciet? aut quis accuſabit eum, qui potentia aut nobilitate fretus, plebeio ſanguine abutitur, ſi unicuique è populo ejus flagitia accuſare non liceat? Profecto in quibuſdam rebuspub. jus iniquæ rogationis eſt,

1 Cicero in Bruto.

eſt, non licere plebeio homini contra nobilem jure experiri, contraque injurias illius ad legum præſidia confugere, aut nonniſi eum poſſe agere, cui fit injuria, cum ſæpe is aut non vivat, aut majoris mali metu queri non audeat, atque ſic delicta maneant impunita, quæ puniri reipub. intereſt, 2 cum per malefactores turbentur publica gaudia & lætitia communis. 3

2 L. vulneratus § æſtimatio ff ad L. Aquiliam.
3 L. fin. Cod. de Epiſc. aud.

Quæ quidem nec mea nec nova eſt, ſed vetus & Andreæ Fricii in Alma Cracovienſi Univerſitatis Profeſſoris querela. Præ-„ ter honores, inquit, qui vel à repub. vel à regibus, vel ab aliis, „ qui ſedent ad gubernacula, deferuntur, ſunt alii quidam, in „ quos filii ſuccedunt parentibus mortuis, quorum cum illi „ hæredes ſint, imperant iis populis, qui ſubjecti erant parenti-„ bus: quod quidem imperium perverſum eſt, cum non liceat „ apud nos colono quantumvis injuria affecto queri de domino „ ſuo. Sunt autem quidam domini adeo immanes, ut non ali-„ ter utantur colonis quàm pecudibus. Ideo & illud in mores „ inducendum eſſet, ut ſtatis temporibus, ſeu cenſores, ſeu „ quivis alii magiſtratus inquirerent in ejuſmodi dominos o-„ mnes, imo & in alios præfectos, quemadmodum ſe gerant „ ſuis hominibus imperando. Certe illis non debet eſſe impu-„ ne, ſi quid crudeliter avarè vel contra quam deceat geſſerint. „ Quod ſi intereſt reipublicæ, ne quis male utatur re ſua, vel „ aliena, quanto magis ne abutatur hominibus, quibus certe „ nemo præeſſe deberet, niſi ſe reipub. probaret, niſi ſe aliis be-„ ne paruiſſe, ac magiſtratus dicto audientem fuiſſe oſtenderet. „ Nemo admittitur ad artem aliquam publicè exercendam, niſi „ & à magiſtris primùm eam didiciſſet, & ſpecimen ejus dediſ-„ ſet: quanto minus admittendi ſunt ad imperium, qui docu-„ menta nulla dederunt ſe aliquando bene paruiſſe. Veriſſime „ enim illud dicitur, qui bene imperaturus eſt bene paruerit a-„ liquando neceſſe eſt. 4 Ubi etiam idem auctor memorabile cujuſdam nobilis Bavari factum & Joannis Tarnovii dictum „ dignis laudibus proſequitur. Referebat, inquit, aliquando ſu-„ per menſam fortiſſimus & illuſtriſſimus heros Joannes Tar-„ novius, exercituum Polonorum imperator, ſe cum in Italiam „ iter faciebat per Bavariam, ad ædes viri cujuſdam nobilis, ut „ ibi de via feſſus (nox enim appetebat) quieſceret, divertere „ voluiſſe, qui quidem nobilis cum uxorem tum haberet partu-

4 Lib 1. de Moribus cap. 19.

„ rien-

„rientem, ac domum mulieribus, quæ illi ut fit opem fere-
„bant, refertam, rogavit imperatorem, ut in ædes coloni cu-
„jusdam sui diverteret: se enim ibi ea, quæ in penu suo essent
„suppeditaturum,& imperatore quidem annuente,accedit no-
„bilis ille colonum suum, ac pileo honoris causa deposito, ro-
„gat imperatori diversorium. Aderant tum nobiles quidam
„Poloni imperatoris familiares,qui ut commoditates diversorii
„viderent, Bavarum comitabantur. At illi irasci & fremere,
„remque indignam dicere, ut colonus à domino vel honorare-
„tur, vel rogaretur, qui potius ejici domo deberet, si quid do-
„mino imperanti denegaret. Et Tarnovius quidem in eum
„sermonem delabebatur, cum mentio fieret de eo tributo,
„quod colonis omni ferè anno tum imperabatur, deque one-
„ribus, quæ illis magna & varia imponuntur. atque etiam lau-
„data Bavari humanitate,subinferebat,non alio loco habendos
„esse colonos, cum manus suum pensumque absolvissent,
„quàm vicinos. O vocem prudentissimo Imperatore dignam!
„Fieri non potest, ut rectè exercitibus imperare sciat, qui ho-
„minibus sibi subditis rectè imperare nescit, & qui regendo
„hoc hominum genere humili & imbecillo est insolens, hunc
„deficient animi populis gubernandis superbis & rebellibus,
„feréque fit, ut animo parum forti res magnas aggrediantur,
„qui se superbos & crudeles hominibus infimæ conditionis
„præbent. Nostra verò tempora & bellicas res & urbanas pari
„fortitudine & prudentia à Tarnovio administratas viderunt,
„viderunt prælia, oppugnationes & triumphos, experta sunt
„artes pacis cum dignitate tuendæ, & conservandæ, ut mirum
„non sit à tanta virtute, tantaque prudentia, vocem illam cle-
„mentiæ æquitatis & humanitatis esse profectam. Quod si
„crudelitate & superbia peccat, qui immoderato imperio in
„populos suos utitur, quanto magis peccare putandus est, qui
„eos pellit sedibus suis, ac tanquam prælio victis insultat, in-
„quiens: Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.

Atque hæc ideo commemoravi, ut ostenderem, qua ratione malitiis hominum potentiorum, eorumque contra tenuiores injuriis obviari potest, nimirum unicuique è populo potestatem illos accusandi dando, aut eam certis magistratibus mandando.

Sed

Sed ut ad nostra redeamus tam ab accusatore, quàm à rei defensore, res in judicium deducta simplicissime exponenda est. Si quid ab alterutro vel calumniandi adversarii, vel decipiendi judicis causa falsò dictum fuerit, id deprehensum pœnis subjaceat necesse est. Breviloquentiam quoque in dicendo uterque colat. Malis enim moribus fit, quod multi tum petitorum, tum reorum, utantur prooemiis ad causam nihil pertinentibus. „ Recensent (inquit Andreas Fricius 6) sua suorumque majo- 6 Lib. 2. de legib. cap 1.
„ rum merita in rempub. quæ si sint minus illustria, comme-
„ morant ea quæ aliquis unquam suorum gentilium, quamvis
„ sanguine à se remotorum præstitisset, vel principi vel ipsi rei-
„ pub. Atque ut id minore pudore fiat, sæpe per alios id cu-
„ rant suæ causæ actores: qui illis ornamenta, ac triumphos
„ gentilitios vel per vim applicent: ex quibus tandem acute
„ argumententur puniendum esse illum qui accusetur severissi-
„ mè, siquidem partes accusatoris agunt: vel absolvendum si
„ defensoris.

„ Cum autem tales præfationes ad rem institutam faciant
„ nihil, sed vel emerendi favoris judicis, ejusque mentis à veri
„ cognitione avertendæ, vel adversarii opprimendi causa, aut
„ certe ad tempus extrahendum, judiciumque frustrandum ad-
„ hibeantur: tollendæ sunt è medio & à foro justitiæ propul-
„ sandæ: voceque præconis (quod olim jussu Areopagitarum
„ Athenis factum est) interdicendæ: ac partibus ipsis impe-
„ randum, ut de re ipsa loquantur apertè & simpliciter, sine fu-
„ co omni omnique fallacia. Omnino judicis est sine amore ac
„ miseratione, sine ira, odio, invidia, sine pertinacia, de rebus
„ purè & nudè propositis ex suis ipsarum rationibus ac argu-
„ mentis, non ex personarum, nec meritorum alicujus respe-
„ ctu judicare. Sedent enim non ut cupiditati alicujus obtem-
„ perent, sed ut reddant unicuique jus suum. Olim datis cle-
„ psydris præscribebatur partibus tempus ad dicendum, ne lon-
„ gitudine orationis abuterentur ad offundendas judici tene-
„ bras.

„ Justissimum quoque fuerit lege cavere ne accusatores &
„ defensores (quod in aliquibus rebuspub. fit) magna homi-
„ num frequentia stipati, aut etiam armis accincti veniant in
„ judicium. Quorsum enim & catervæ ejusmodi & arma per-

„ tinere intelligenda, quam ad metum incutiendum & judici „ & adversario. Audivi, inquit idem Andreas Fricius, ma- „ gnum quendam & judiciorum expertum virum, cum narra- „ ret inter potentes,& infimæ sortis homines,nullum ejusmodi „ judicium longissimo jam intervallo celebratum esse, in quo „ potens quamvis nocens condemnaretur, concordia causas „ tales fere expediri, ut ad potentem lucri aliquid perveniat, „ vel summa adversarii injuria. Ergo omnes catervæ omnia ar- „ ma à subselliis judicum amoveantur: Soli adveniant, inter „ quos res agitur ad eum locum, ubi respectus nullus est perso- „ narum. Decet enim judicem majestate sui magistratus, ac „ legibus ipsis ab omni vi tectum esse, quo liberius de re omni „ sententiam ferat justitiæ congruentem: Decet conditioni „ hominum, quamvis tenuium, contra periculosissimas omni- „ um potentias consulere ac providere: Decet omnes ad judi- „ cem venire tanquam ad tutorem justitiæ, atque ad eum, qui „ jus dubium explicet, perversisque hominum affectionibus „ modum imponat.

Caput VII.

De Legibus.

1 Prov. 6. LEX ut eam definit Salomon, *est lux & via vitæ*, 1 ut Sanctus Thomas, *agendorum vel omittendorum regula ac mensura, atque adeo practicæ rationis ad humanos actus dirigendos dictamen.* 2 ut alii: *est æmula divinitatis, religionis antistes, fons disciplinarum, juris artifex, bonorum morum inventrix compitrixque, civitatum gubernatrix, nuntia justitiæ, vitæ magistra, & reipub. totius anima.*

2 1.2. q. 90. & q. 91.

Omnes sapientum libri laudant civitatibus leges, si æquitatem contineant, si legibus naturæ & divinis sint conformes, si paucæ sint, & pro populari captu claræ. Ut earum finis, qui civitatum felicitas est, haberi possit, non satis est illas in chartis & voluminibus servare, sed in usu diligentissimo habere.

Porro cum omnes omnino leges in viridi observantia (ut loquuntur Jurisconsulti) esse necesse sit, tum maxime illas, quarum violatio maximum creat civitatibus malum. Cujusmodi sunt leges Sumptuariæ, Nummariæ, & his similes. Ac ut de aliis sile-

sileam, proxima ad occasum est respublica, in qua nullus est modus in cibo, potu ac vestitu, ut omnes omnium populorum historiæ & exempla clamant. Quo malo quantum regni Poloniæ civitates laborent, satis ostendit Vilnensis civitas, ex qua omnis frugalitatis & parsimoniæ disciplina proscripta est, in qua clarus illustrisque sartor serico vestitu privatos animos & opes antecedit, in qua sordidorum opificum uxores, vestibus, catenis, gemmis, reliquoque suo mundo æquant cultum reginarum, in qua purpuram regum principumque ornamentum trifurciferi, hominesque indignissimi profanant, in qua rhedis tabernariæ fœminæ & summœnianæ spectante senatu audent vectitari. Quæ sit hujus mali causa facile quivis intelligêre potest, ego dicere non audeo, illud tantum vereor, ne si tantum luxum ii, qui tollere possunt & debent, diutius in civitatibus suis patiantur, Deus qui superbis resistit, superbas civitates, sicut olim fecit, det in potestatem & duram servitutem inimicorum. Sed de hac re ecclesiastes.

CAPUT VIII.

De Vrbe.

VRbis nomen deductum est ab *urvo*, quod est aratri curvatura. Antiqui enim junctis bobus tauro & vacca Hetrusco ritu in condendis urbibus aratro circumagebant sulcum, intra quem urbem ædificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut urbs fossa muroque munita esset, & locum unde terram fodissent, *fossam* vocabant. Unde Virgilius:

Apta dies legitur, quæ mœnia signet Aratro. 1 — 1 Lib 1. Georg.

In condenda urbe regionis inprimis & situs ratio habenda est. Regionem requirit Philosophus sufficientissimam, hoc est, omnium feracem. *Nam omnia, inquit, in seipsa habere & nullius indigere sufficientis est.* Et paulo post: *Formam, inquit, regionis non est difficile præscribere, credendumque est in quibusdam rei militaris peritis, asserentibus talem esse oportere, ut ab hostibus quidem non facile invadi possit, civibus autem facilis sit in aliena egressio. Vrbis autem situs, si formanda nobis illa est secundum votum, opportune & ad terram, & ad mare debet jacere.* 2 — 2 Polit. lib 7. cap. 5

Adhæc salubritas aëris debet spectari, quæ major est in urbibus collocatis ad orientem & septemtrionem, quam in iis quæ sunt ad meridiem & occidentem. Ex illis namque locis ficciores, & puriores spirant venti, ex his crassiores & humidiores.

Urbs nec magna nimis, nec parva est optima docente eodem Philosopho. *Est quædam*, inquit, *mensura magnitudinis civitati, quemadmodum & aliorum omnium animalium, plantarum, instrumentorum. Nam horum singula, neque parva nimium, neque magnitudine excessiva suam potentiam retinebunt, sed aut destituta erunt omnino à natura vel male se habebunt. Ceu navis unius palmi non erit penitus navis, neque duorum stadiorum: sed si processerit ad aliquam magnitudinem, quandoque propter parvitatem male faciet navigationem, quandoque propter excessum. Ita & civitas, si ex nimium paucis sit, non est per se sufficiens, sin ex nimium multis, sufficiens quidem in necessariis erit ut gens non ut civitas.* 3 Hinc non probatur Scriptoribus magnitudo Babylonis, quæ tanta fuit, ut cum capta esset ab hostibus, ferunt partem aliquam illius tertia die nondum aliquid sensisse. 4

3 Polit lib. 7. cap. 4.

4 Polit. lib. 3. cap. 2.

In urbe alia sunt ædificia publica, alia privata. Publica habentur ob causam vel religionis, vel commerciorum, vel defensionis, vel aquæ ductus, vel jucunditatis.

Religionis & liberalis eruditionis causa sunt templa, scholę, bibliothecæ. Et hæc, maximè verò templa, in editioribus & celebrioribus civitatis locis, quæ splendorem aliquem & dignitatem habent exstruenda, eorumque ornamenta servanda sunt.

Commerciorum causa est forum, quod est publicum & amplum spatium ad commercia destinatum. Ejus tres species describit Schönbornerus. 5 Primo forum liberum in celebriore civitatis loco deambulationibus & colloquiis honestorum civium ac negotiatorum accommodatum. Deinde forum rerum venalium, quod à superiore remotius, & eo loci debet esse quo merces è mari aut fluvio, & terra facile comportari possint. Tandem forum Justitiæ vel Magistratus in quo curia, archivum, tribunal, disceptandis controversiis civium sunt condita.

5 Polit. lib. 1. cap 14.

Pro defensione ædificia publica sunt muri, armamentaria, turres. Muri urbis sunt sancti, 7 inviolabiles & non habitabiles. 8

7 Instit. de rer. divis.

les. 8 Inde qui tranſcendit muros animo hoſtili capite punitur. 9 Turres faſtigiatæ dignitatem urbibus conciliant. Sine turribus & muris non fuiſſe auſos habitare Thebanos teſtis eſt Homerus. 10

8 L. 3. Cod. ne quid in loco ſac.
9 L. fin. de rer. diviſ.
10 Odyſſ. lib. λ.

Quod attinet ad aquæductus, illorum ſicut & fontium magna cura eſſe debet. Neceſſitati enim, utilitati, & jucunditati inſerviunt. Legibus Romanis nemini licet de aquæductu publico aquam ad ſuum prædium derivare: & violatores pœnâ publicationis illius prædii puniuntur. 11

11 L. Si quis 2. Cod. de aquæduct.

Jucunditatis & delectationis cauſa ſunt ea ædificia, quæ publicorum conviviorum celebrationi deſtinantur. Nam prudentiſſimi legiſlatores, non tantùm ſodalitatibus, ſed etiam perpetuis conviviis cives ſuos inter ſe devinxerunt. Et hujuſmodi ſunt ædes publicæ, in quibus nuptiæ celebrantur, cum ædes deficiunt ad choreas idoneæ. Item theatra, ludis peragendis deſtinata.

Porro ædificia privata ita inprimis debent excitari, ut ornatui & commodis civitatis non officiant: aliter extructa diruenda ſunt. 12 Ab ædibus publicis ſpatio quatuordecim pedum, 13 à mœnibus ſpatio decem pedum 14 debent eſſe remota.

12 L. quicunque locus Cod. de oper. pub.
13 L. Si cui 9. Cod. de ædib. priv.
14 L. Mœnia 11. Cod. eod.

In omnibus ædificiis ordo & ornatus ſpectandus eſt. Ariſtoteles eam ædificiorum ſtructuram ornatui & ſecuritati civitatis inſervire exiſtimat, ſi in ingreſſu & extremitatibus urbis domus perturbato, in media verò urbe recto ordine collocentur. 15 Sordes Tartarorum, cæterorumque barbarorum immunditiæ, ex politis civitatibus in ultimas Scarabeorum inſulas perpetuo ſunt relegandæ. Quantum elegantiæ urbium faveant leges Romanorum, facile ex eo licet conjicere, quòd etiam vetent tignum alienum ædibus junctum eximi, ne aſpectus urbis ruinis deformetur; jubeantque vetuſtate collapſa reparari, 16 ac denique areas lapſarum per dominorum incuriam ædium fiſco addicant. 17 Hinc Veſpaſianus (Suetonio teſte) vacuas Romæ areas occupavit, & poſſeſſoribus ædificare ceſſantibus, aliis eas qui ædificarent, permiſit. Atque hoc pacto mirifice crevit:

15 Pol. 57.
16 L. 7. ff. de offic. præſid.
17 L. ult. Cod. de jure reip.

Terrarum Dea gentiumque Roma
Cui par eſt nihil, cui nihil ſecundum. 18

18 Mart. lib. 12.

 Quam-

Quamvis autem ornatus bene moratis civitatibus ſit curandus, non licet tamen civibus ad æmulationem vel injuriam alterius ædificia excitare, quod faciunt ii, qui ædes ſuas tollunt, ut in ædes vicini proſpicere poſſint, aut luminibus officiant. Sed de his plura Schönbornerus in ſuis Politicis. 19

19 Lib. 1. cap. 15.

Finis Libri Secundi de Politica Hominum Societate.

DE

DE POLITICA HOMINUM SOCIETATE.

LIBER TERTIUS DE REPUBLICA.

CAPUT I.

Quid sit Respublica?

QUOD doctissimi viri censent in omni disputatione fieri oportere, ut nimirum rei, quæ in disceptationem venit, vis ac natura ante omnia describatur, id nos quoque minimè permittentes, definitionem reipublicæ traditam à sapientissimis hominibus referemus. Est ergo respublica concilia cœtusque hominum jure sociati, [1] ex multis viciniis perfecti, [2] & ad bene beatéque vivendum constituti. Quæ finitio secernit rempublicam, tum à congregatione latronum, tum à domestica societate. Ex quo enim dicimus rempublicam esse cœtus hominum jure sociatos, & ad bene beatéque vivendum constitutos, procul ab ea summovimus latronum piratarumque cœtus, non ad bene, sed ad perdite injustéque vivendum congregatos, cum quibus nulla fides aut juris communio debet intercedere. Et quamvis inter istiusmodi copias societas quædam intervenire videatur, ut cum ex pacto unusquisque diligentiam adhibet ad spolia in commune acquirenda, aut cum eadem acquisita ex æquo inter se distribuunt, nequit tamen hæc scelerata consensio sanctum & venerabile amicitiæ nomen sibi assumere, eo quod societatis ac amicitiæ fundamenta sita sint in certa quadam ratione, & naturæ consentanea, quæ in latrocinio non invenitur. Unde & spoliorum partitio non est legitima divisio, sed latrocinii consummatio; divisio enim juris quoddam inventum est, quod itidem apud latrones nullum est. Interea diver-

[1] Cicer. in somn. Scipio.
[2] Arist. Polit. 1. cap. 2.

diversum omnino statuendum est de justis ac legitimis hostibus, qui respublicas suis quibusdam institutis & jure nationum communi moderantur. Etenim adversus latrones tanquam rerumpublicarum & civilis societatis eversores nulla fraus committitur, si pactum illis pro capite pretium non afferatur. Cum hostibus autem pacta & inita fœdera sanctissime sunt custodienda. Capti à prædonibus retinent integerrimam libertatem, condunt testamenta, omnesque actus legitimos exercent: quia jura belli, cum hominibus, qui omni juri bellum indixêre communicari nec possunt, nec debent. At qui veniebant in hostium potestatem, erant exuti libertate, & ad omnes actus civiles inhabiles habebantur, ex juris gentium dispositione.

Quod autem insinuavi justos ac legitimos hostes esse debere, quibus fidem servare necesse est, id debet intelligi non de justitia causæ, propter quam justa bella dicuntur etiam in judicio conscientiæ; sed de justitia, per quam bellum dicitur justum in genere belli, quod tum contingit, quando princeps non recognoscens supra se alium superiorem, suscipit bellum adversus similem principem, aut aliam rempublicam, sive adsit, sive absit justa bellandi causa vel necessitas. At vero quando quis altiori potestati subjectus, bellum aliquod privata auctoritate instituit, illud non est bellum, sed latrocinium, & etiam in genere belli injustum, sive illud sit adversus proprium principem, sive adversus alienum.

Diximus præterea in hac eadem reipublicæ descriptione prædictos hominum cœtus ut rempublicam constituant non aliter quam ex multis viciniis perfectos esse debere, ut ostenderemus rempublicam, diversum quidpiam esse à domo & familia, quæ etiam est quædam societas, verum non ex viciniis ut respublica, sed ex certis personis constituta, ex domino videlicet & servo, marito & uxore, parentibus & filiis, 3 sive omnibus simul junctis, sive tantum quibusdam. Et est res privata suoque nomine res familiaris ac domestica appellatur: eo autem spectat ut familia ac omnes domestici simul vivant, mutuasque operas conferant ad usus vitæ necessarios. In ista societate qui primus est ac imperium in reliquos obtinet, paterfamilias vocatur; cujus gubernatio circa uxorem conjugalis, circa filios paterna, circa servos heriles, seu dominica disciplina dicitur.

3 Arist. Polit. 3. cap. 3.

Jam

Jam verò ex istiusmodi familiis, & multis domibus, pagi constituuntur, at ex pluribus pagis civilis communio, quam rempublicam appellamus, coalescit.

CAPUT II.

De Rerumpublicarum Origine & Necessitate.

SIcut omnes res, ita & respublicæ, ortum suum referunt ad DEum, tanquam ad primam & causarum causam. Imò si Tullio 1 credimus, nihil est illi principi DEo, 1 Lib. 7. de rep.
qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur, quarum gratia mundum hunc inferiorem, eaque omnia, quæ in illo cernuntur, condidit idem hominum amator DEus. Legimus enim in sacris codicibus, quod condito primo homine naturæ opifex DEus socialem vitam eum degere voluerit, cognoscens eum non sufficere sibi ipsi, positum extra societatem similium, in quorum mutua ope plurimum auxilii situm est. *Non est*, inquit, *bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* 2 Unde paulo post sacer 2 Genes. 2.
scriptor subjungit: *Et ædificavit Dominus DEus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Quibus tandem benedictionem suam impertiens universa potestati eorum subdidit. *Benedixitque illis*, loquitur sacra scriptura. 3 *DEus* 3 Genes. 1.
& ait, crescite & multiplicamini, replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram. Quis hic non videt rei domesticæ seu familiæ institutionem? quam secundum Philosophum 4. 4 1. Polit. cap. 1.
mas, fœmina, & servus constituunt, secundum vero Hesiodum, 5 vir, mulier, & bos arator: bos siquidem (ut subjicit 5 Ibid.
idem Philosophus 6) pro servo pauperibus est. Atque ita, si 6 Ibidem.
familia est quædam parva civitas, & pusilla respublica, seu potius reipublicæ fundamentum; dubitandum non est, respublicas originem suam habere à DEo, qui illarum supremus est princeps, æternusque Monarcha, substituens in suum locum ad homines in terris gubernandos principes temporales, deos quosdam terrestres. Unde Apostolus: 7 *Omnis anima*, inquit, 7 Rom. 13.
potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à

DEo, quæ autem sunt à DEo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac; & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit: ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim DEi sunt, in hoc ipsum servientes. Ex quibus facile perspicere possumus, regentium ac parentium ordines (in quibus respublica consistit) à DEo esse constitutos.

Porro de necessitate Reipublicæ nondum convenit inter scribentes. Quidam enim nonnisi occasione malitiæ humanæ morumque corruptelæ necessarias esse respublicas concedunt. Et inter hos est Antonius Mirandula. 8 Si enim (secundum illum) probi essemus, non indigeremus utique politia legibus & magistratibus, essemus enim omnes amici conjunctissimi ob summam & naturæ & morum similitudinem, inter quos proinde nullus locus relinqueretur injustitiæ, ad cujus potissimum coercitionem leges sunt latæ, & magistratus sunt instituti.

8 In lib. de honor.

Pro eadem sententia facere videtur auctoritas Apostoli in hæc verba scribentis: *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur, sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis & non subditis impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.*

Ut ad Apostoli auctoritatem respondeam, necesse est prius meminisse plura eaque diversa in legibus reperiri, vimque illarum esse multiplicem. Sunt enim inprimis regulæ actionum humanarum, formantes illas omni honestate & decentia: deinde præcipiunt aliquid aut prohibent, tandem præmia virtutibus assignant, & pœnas tonant in transgressores, ut saltem metu in officio contineantur. Igitur dum Apostolus negat justo legem esse positam, loquitur de lege, in quantum illa vim in se continet (ut loquimur in scholis) *coactivam*, pœnas videlicet improbis minando, & delicta puniendo. Otiosum enim est circa justum

ſtum hominem iſtud legis officium, utpote qui ſponte ſectatur honeſtatem: At vero lex, prout habet vim directricem, ea parte etiam inter homines integros quod agat inveniet, eritque doctrix & ductrix ad omnem honeſtatem mentium, quæ virtutum rudes naſcuntur. Ac Apoſtoli dictum iſtam continet explicationem.

Error autem Mirandulæ, cæterorumque cum eo ſentientium facile deprehendi poteſt ex illo, quod licet innocentiſſimi eſſent omnium mortalium mores, adhuc imperantium & parentium gradus oporteret eſſe diſtinctos. Neque enim poſſent ſimul omnes imperare. Adde in optimis rebuspublicis non tantùm pœnas infligi maleficiis, ſed etiam præmia ac honores virtutibus decerni. Ex quibus fit manifeſtum malitiam humanam maximam eſſe cauſam legum, & præſertim, (ut Jureconſulti loquuntur) pœnalium, judiciorumque in delicta animadvertentium: inde tamen non evincitur, pravos hominum mores totam eſſe rerumpublicarum neceſſitatem. Ergo neceſſitas illa ad naturam eſt referenda, ex qua cum homo ſit animal gregarium (appellamus id in illo civile) & alieno auxilio indigeat, quia ſibi non ſufficit, appetit ſimilium ſocietatem, cujus ope juvetur. Hoc ipſum Ariſtoteles, cujus prope unius fuit ſcire omnia aut nonniſi pauciſſima ignorare, deducit ex ſermone, quem non ſine cauſa provida natura parens indidit hominibus. *Nihil*, inquit ille, 10 *fruſtra natura facit, ſermonem verò homo habet ſolus omnium animalium. Nam vox quidem moleſti atque jucundi ſignificatio eſt; quapropter aliis quoque exiſtit animalibus. Hucuſque enim natura proceſſit in his, ut ſenſum habeant jucundi & moleſti, & hoc inter ſe ſignificare poſſint. At ſermo ad hoc datus eſt nobis, ut oſtendamus utilitatem & damnum, atque ita juſtum & injuſtum. Hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium eſt, ut boni & mali, ac juſti & injuſti, & aliorum hujuſmodi, ſenſum habeant ſoli, horumque ſocietas facit domum & civitatem. Et certe ſecundum naturam prius eſt civitas quam domus, & quam ſinguli noſtrum. Nam totum prius eſſe quam partem neceſſarium eſt. Perempto enim toto non erit pes, nec manus, niſi æquivocè.*

10 Lib 1. Polit. cap. 7.

Hæc, inquies, ejuſmodi quidem ſunt, ut oſtendant homines ex inſita conditione naturæ ad ſocietatem vel aptitudinem habere, vel propenſionem, non tamen demonſtrant ne-

necessitatem rerumpublicarum à natura esse inductam.

Verum si appetitum hunc in hominibus à natura originem suam ducere agnoscimus, quid obstat, quod non etiam id, quod appetitu appetimus, à natura esse concedamus: illud autem est bonum beatitudo ac felicitas, quæ (si Aristoteli 11 credimus) sine amicis non consistunt. Eleganter sanè id, quod ad præsens negotium facit, tradit Ericius Puteanus. 12 Nonne magnum, ait, nonne bonum, dixero, lege mortales & jure contineri? Hæc civitas sive civilis societas est. Legem & jus tolle civitas non erit: optimum natura animal deterrimum licentia evadet. Erras si nuditatem objicis: mente & ingenio armatus est, & sic nascitur: tantò brutis impurior immaniorque, si in vitia inclinat, quanto malitia ratione instructa validior. Venere etiam aut ventre abripi & mergi facile est, cum virtutem voluptas pepulit, & sibi quisque relictus est. Quid attinet dicere? Civili societate opus, ut homo tandem homo sit, imo justitia opus, quæ virtus maximè civilis est. A justitia autem judicia sunt, felicitatis velut munimenta, quæ reges opponunt moribus, & cives legibus obnoxios reddunt.

11 Ethic. 8. cap. 1.

12 Civil. doctr. lin. lib. 1. cap. 2.

Caput III.

De Reipublicæ Divisione.



Omen *Politiæ* angusta acceptione illi tantum potestati secundum scriptores convenit, in qua honores & magistratus suffragiis multitudinis conferuntur, æqualisque est omnium de virtutis gloriâ contentio. 1 Quod cum fit ad honestatem & publicam utilitatem, communi omnium rerum publicarum nomine, *Respublica* appellatur. Commune enim (de quo hic agimus) est, quod publicum est: ut respublica non aliud, quam communis omnium honestas & utilitas esse videatur. Si nihilominus non ita pressè vocabulum *reipublicæ* accipiatur, erit commune etiam aliis politiis, quarum tres sunt species, nimirum *Monarchia*, quæ est unius regimen, *Aristocratia*, quæ est paucorum, *Democratia*, quæ est plebis seu popularis. His affines sunt: *Tyrannis Ochlocratia* & *Anarchia*. Partitionis istius ratio sumitur ex ipsis dominationum generibus. Cum enim civitatis administrandæ ratio sit id, quod summam in civita-

1 Arist. Polit. 3. cap. 5.

civitatibus auctoritatem obtinet, necesse autem est dominatum & auctoritatem obtinere vel unum, vel paucos, vel multos, facile res ipsa, sicut constituit, ita & ostendit diversitatem. Præterea isto modo respublicas inter se dividi, suadent similitudines, & cum illis exempla petita à familiis, 2 eo quod patrum cum filiis societas regnum prę se ferre videatur, viri atque uxoris communio optimatum potestati respondeat, fratrum verò conjunctio in populari gubernatione cernatur.

2 Arist. Ethic. 8. cap. 10.

Inquirunt hic sollicitè nonnulli politici, utrum tres an verò plures sint reipublicę formę? sed eorum rixę vix integro volumine referri possunt. Qui meliùs sunt philosophati, tres tantùm agnovere: illas etiam Herodotus libro tertio inter se comparavit; & omnino sunt præcipuæ. Reliquæ teste Plutarcho, 3 intentione aut remissione harum ortæ, vitia potius sunt & corruptelę, quam formæ reipublicę, quomodo in musico concentu modis seu tonis principibus, nimium aut non satis contentis, error incidit. In eadem sententia videtur esse etiam Polybius, qui licet videatur sex rerumpublicarum formas asserere, revera tamen tres tantum veras nobiscum agnoscit, reliquas verò subjungit tanquam corruptelas, in quas legitimæ rerumpublicarum constitutiones degenerant, propter naturæ humanæ volubilitatem, quæ nunquam in uno eodemq; statu subsistit, quæve ex aliis senescentibus, quæ displicere incipiunt, alia nova regenerat, ut quod fuit atq; aliquando displicuerit placere incipiat, & contra. *Sex sunt*, inquit ille, 4 *politiarum genera, Monarchia quæ natura constat: neque tamen qualibet monarchia statim regnum dici debet, sed ea duntaxat, quæ subditorum consensu conceditur, & magis pro animi sententia regitur ac gubernatur, quam timore & violentia. Ex Monarchia regnum nascitur, ubi vero regnum in mala cognata, tyrannidem scil: mutatur, rursus ex horum destructione Aristocratia, id est, optimatum gubernatio provenit, quæ tamen natura quadam in Oligarchiam mutatur. Cum verò multitudo injustitiam eorum, qui præsunt, irâ percita ulciscitur, nascitur Democratia, id est, populi dominatio. Rursum cogente plebis contumelia, & iniquitate, temporis successu Ochlocratia insurgit, seditioque popularis, ut necesse sit redire ad Monarchiam.* Et paulo post: *Quemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi ac teredines adversantes perniciem adferunt, ut etiamsi externa omnia nocumenta effugiant, ab istis tamen quæ cognata*

3 De unius in Repub. dominat.

4 Polyb. in 5

gnata habent, absumantur. Eo pacto reipublicæ cuilibet pro naturæ ipsius quædam adnascitur & adhæret peculiaris malitia, utpote regno Monarchia. Aristocratiæ Oligarchia, Democratiæ bestialis Ochlocratia, seu seditio plebis ut fieri nequeat, quominus cuncta prædicta, dicto jam decursu temporum, dictoque jam modo, non mutentur. Hęc Polybius. Cujus rei vivam imaginem videre licet in republica Romanorum, ubi Regnum superbia unius cadit in manus consulum, à Consulibus in plebis contentionem, in Decemviros & Tribunos, à Tribunis & Consulibus in Dictatorem, à Dictatore in Triumviratum, ab eo in seditiones, ab his in populum, à populo in Augustum, & Monarcham.

De his tribus igitur prædictis rerumpublicarum formis agendum nobis erit sequentibus capitibus, quæ ne cui longitudine sua nauseam commoveant, in paragraphos dividemus.

Caput IV.

De Democratia seu statu reipublicæ populari.

§. I.

Referuntur rationes quæ gubernationem Democraticam commendant.

Ex dictis constat, Democraticam Politiam consistere in imperio populari, seu in populi principatu, qui omnium pulcherrimo nomine *Isonomia* appellatur, hoc est, juris æqualitas. Imo in hoc regimine præter juris paritatem videtur etiam esse omnis æqualitas atque libertas nulla tyrannide oppressa, omnia in commune referri, & consilia omnia proficisci à multitudine, quæ ideo cæteris creduntur esse certiora, quia multis plurima inesse facile persuademur. Unde tritum illud manavit proverbium, vocem populi vocem Dei esse, quâ etiam de caussa, quicquid omnibus placuit, aut communi totius populi consensu statutum est, id tanquam à DEo ipso ordinatum, optimum atque sanctum esse præsumitur. Hanc etiam gubernandi rationem plurimi præferunt Optimatum regimini, illoque tutiorem esse affirmant, ex eò, quòd minime sit seditioni obnoxia. Populus namque, aut nunquam, aut admodum rarò inter se dissi-

diſſidet, propter omnimodam æqualitatem, quæ eſt mater ac nutrix omnis concordiæ. Optimates autem, & maximè, & ſæpiſſimè. Inſuper in populo pares ſunt honorum gradus, nec quiſquam vicino præſtat, ſed unuſquiſque & omnis multitudo alternis vicibus jam paret, jam imperat, ſine ulla dominationis ſuperbia. Et ſicut natura alterum altero neque opibus neque honoribus ſuperiorem fecit, pares enim omnes naſcimur, ita popularis ſtatus hunc ſibi propoſitum finem habet, ut omnia omnibus ſint æqualia. 1 Eſt autem æquiſſimum, ut qui eandem naturam acceperunt, ex eadem gente ſunt orti, iiſdem educati moribus, iiſdem legibus inſtituti, eundem corporum & animorum patriæ uſum exhibent, omnium quoque cæterorum communionem habeant. 2 Eſt præterea reſpublica popularis cuſtos libertatis vigilantiſſima, quam habet pro fine præcipuo, 3 & quâ nil melius aut præſtantius vel conceptis expeti votis poteſt: ſiquidem non tantùm ratio hominibus, ſed etiam natura feris jucundum libertatis ſenſum ingeneravit. Sic videmus beſtias voluptuoſas eſcas, elegantes caveas, exquiſitas cicurantium blanditias, libertatis deſiderio fugere. Unde Poëta:

1 Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 4.

2 Dion. lib. 2.

3 Ariſt. 1. Rhet. cap. 8.

Cum bene ſunt clauſæ caveâ Pandione natæ
Nititur in ſylvas quæque redire ſuas.
Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

In hac etiam populari ſocietate reperiuntur vel maximè ſummi Imperatores, ſapientiſſimi legumlatores, acutiſſimi Juriſconſulti, opifices ingenioſiſſimi, clariſſimi oratores, ac ſummi philoſophi, quia ingenua ut ſervitute deprimuntur, ita libertate ſe proferunt & oſtentant. Denique popularem iſtum ſtatum commendant plurima exempla nobiliſſimarum nationum, quæ illum reliquis rerumpublicarum formis prætulerunt. In Germania multæ civitates liberæ incolumitatem ſuam populari regimini in acceptis referunt. Reſpublicæ Helveticæ maximę Montanæ populares ſunt, & ſuffragia viritim ferunt. Athenienſis urbs omnium prudentiſſima habita popularis extitit, ac diu expers tyrannidis inviolata à barbaris, libera à ſeditionibus fuit. 4 Quin Cornelius Agrippa 5 conſtanter aſſerit, florentiſſimam rempublicam Venetorum, illud orbis Chri-

4 Xenoph. de rep. Athenienſ.

5 Lib de Incert. ſcient.

Christiani delicium dicam an miraculum, hac forma esse conspicuam. Sed immeritò. Melius alii. 6 Aristocraticam in ea institutionem advertunt, persimilem ei, quæ conspicitur in amplissimo Regno Poloniarum, ubi tamen pinguiora jura habent Reges, præ Principibus Venetorum, & nobilitas Polona, clementioribus regitur legibus. Atque istiusmodi sunt rationes, propter quas major est popularium hominum de populari isto regimine, quam de aliis politiis, opinio.

6 Patritius.

§. II.

Adducuntur Argumenta quæ impugnant Statum popularem.

STatum Democraticum non posse recte consistere, vel ex eo potest intelligi, quod is penes totum populum summam gubernationis ponit, contra optimæ politiæ præcepta, quæ alteri defert imperandi prohibendique potestatem, alteri imponit necessitatem obsequendi: id quod naturæ rerum convenientissimum est, quæ alios aliis animi præstantia, tantò excellentiores, quanto brutis animantibus homo præstabilior est, non aliam ob causam, quam ut alios ad imperandum, alios ad obtemperandum idoneos efficeret, procreavit. Quare ex æquo utrisque imperii atque obsequii vices committere, est naturæ ordinem convellere, & stultorum viliumque hominum regimini præstantiores subjicere.

Jam verò quòd in populari administratione populus dicitur publica, urbem scilicet theatra, ærarium, prædia, leges, honores, & istis similia, in commune quærere, ac iisdem frui, id non potest nisi pessimo publico fieri: nusquam enim majores esse rapinas, nusquam peculatus frequentiores testis est cum infinitis Xenophon 1 & Philosophus & Imperator clarissimus, qui sic de sua patria scribit: *Ego statum Atheniensium probare non possum, quod eam reipublicæ formam amplexantur, in qua improbi ac flagitiosi meliore sunt conditione, quam viri boni & innocentes.* Unde eleganter subnectit Bodinus. 2 Si tantus vir ita sentit de Atheniensium republica, omnium quæ extiterunt popularium laudatissima, vel ut Plutarchus scribit, minime omnium vituperanda, qualem sententiam de cæteris popularibus laturum fuisse putamus? Quod

1 In lib. de Rep. Athen.

2 Lib. 6 de Rep. cap. 4.

Quod si æquali aut nemo aut difficillime potest obtemperare, deteriorum imperia quis tandem æqua mente sustinebit? Certe unusquisque natura duce nonnisi excellentiori subesse desiderat. Videre id possumus in apibus, ubi rex & indole animi & corporis majestate præstat cæteris. *Insignis*, inquit Seneca, 3 *regi forma est, dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore, cubile illi amplissimum est, medioque ac tutissimo loco.* Et alibi. 4 *Naturæ ait est potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima: non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit: elephantorum gregem excelsissimus ducit.*

3 Senec. de Clemen. lib. 3. cap. 19.
4 Ad Lucill. Epistola. 90.

Id ipsum ex sacris quoque historiis perspicuum est. Samuel Propheta Domini idemque dux electi populi, cum jussu divino regem creavit, qui cæteros corporis dignitate superabat: *Certe* (verba sunt Samuelis ad populum Israel) *videtis quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait, vivat rex.* 5 Apud Isaiam Prophetam, 6 populus Judaicus ad æqualitatem miseriæ redactus, eum vocat ad principatum, cui saltem vestis esset excellentior. *Vestimentum*, inquit, *est tibi princeps, esto noster.* Sed quid nos homines commemoravimus, cum videamus ipsa ligna promiscua similium imperia non tulisse. *Iverunt*, inquit sacra Scriptura. 7 *ligna, ut ungerent supra se regem, dixeruntque olivæ, impera nobis: quæ respondit, nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum, veni & supra nos regnum accipe: quæ respondit eis, nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, & ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem, veni & impera nobis, quæ respondit eis, nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat DEum & homines, & in ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: veni & impera supra nos, quæ respondit eis, si vere me vobis regem constituistis, venite & sub umbra mea requiescite.* Atque ista parabola usus est Joatham filius Jereboal minimus, ad viros Sichem, innuendo, homines, nisi minus illis sensus ac mentis, quam truncis & stipitibus inesset, illis imperia deferre debere, qui præ aliis sunt conspicui sapientia, per oleum designata, aut eminent laude bonitatis, quam dulcedo ficuum innuit, aut fortitudine

5 1. Regum. 10.
6 Isai. 3.
7 Judic. 9.

pollent, quam vinum denotat, aut ſpem præſidii præ ſe ferunt, ſimiles Rhamno, quæ ſpinis ſuis arcet aditum, nidoſque volucrum in ramis ſuis nidificantium protegit, quæ in vulgo quis inveniet, de quo Phalaris ad Hegeſippum ſcribens, in hæc verba loquitur. 8 *Per Iovem maximum, Hegeſippe, ut ſentimus, ſic te alloquimur: populus omnis temerarius eſt, demens, deſidioſus, promptiſſimus in quodcunque contigerit mutare ſententiam, perfidus, incertus, velox, proditor, fraudulentus, & ut ſemel dicam inutilis ad iram, & ad laudem facilis: hinc eſt, ut qui in agenda republica populo placere annititur, honeſtis pereat contumeliis.* Hæc ille. Cornelius porro Agrippa 9 populum vocat, errorum principem, pravarum conſuetudinum magiſtrum, ingentemque malorum cumulum. Et merito, quia nec rationibus cedit, nec authoritatibus, nec perſuaſionibus, cum illas non intelligat, has aſpernetur, ad perſuaſiones autem indocilis eſt & obſtinatus, moribus ſemper inconſtantiſſimus, novorum cupiditate præſentia faſtidit, nec magiſtratuum diſciplina, nec principum majeſtate continetur. Saniora conſilia non admittit, arripit deteriora. Patet id in vulgo Trojano, qui contra Capys conſilium, & illorum, quorum fuerat melior ſententia menti, equum incendiis patriæ gravidum, intra mœnia introduxerunt. Patet & in Ariſtidis proſcriptoribus, apud quos fas & ratio valuit nihil, contra quam pro præmio pœnas tulit vir & cognomine Juſtus & vita juſtiſſimus. Patet id ſexcentis aliis exemplis, quæ referre eſt Iliadem conſcribere. Eant nunc Publicolæ, & vocem populi vocem DEi eſſe contendant uſitato magis quàm vero adagio. Certe in vulgo non aliter eſt vox DEi, quam fuit in quadringentis illis impii regis Achab prophetis, qui uno ore victoriam illi falsò prophetabant, & de quibus iſtud eſt Micheæ veri bonique Prophetæ Domini teſtimonium. *Vidi,* inquit, 10 *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris, & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſrael, ut aſcendat & cadat in Rhamot Galaad? Et dixit unus verba hujuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus, in quo? Et ille ait: Egrediar & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis, egredere & fac ita.*

8 Epiſt. 76.

9 De Polit. cap. 55.

10 3. Regum 22.

Quan

Quantum attinet ad libertatem, quam populares isti tantopere in statu Democratico florere contendunt, profectò illa aut nulla est, aut non major eâ, quæ in aliis etiam rerumpublicarum formis cernitur, imo fortasse inferior, & aliqua servitute infectior. Libertas est (dicit Jurisconsultus 11) naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur: ex quo cum palàm sit, leges aliquomodo negotium libertatis intrare, ratio dictorum facile apparet. Aut enim viget legum observantia, ac unicuique sua jura manent inviolata, & hoc pacto est quidem libertas, sed ejusdem est omnino stirpis cum Aristocratica atque Monarchica libertate, aut jacent leges, & dominatur impunitas, quæ est certissimum rerumpublicarum exitium, & sic ne libertas quidem est, cujus bona pars in eo quoque consistit, ut suis quisque bonis, uxore, liberis, tranquille fruatur, nec sibi sub suis vis ulla inferatur, aut si illata fuerit vindicetur. At ubi magis regnat impunitas, quam in regimine populari, ubi summa lex est (loquitur ex observatione variarum historiarum Bodinus 12) ne civis quisquam, quantumcunque scelus sive in DEos sive in homines admiserit, capite feriatur. Quin etiam Romanis legibus severissimè cavebatur, ne verberibus civem cædere liceret: at ne ullis quidem magistratibus, nec ipsi senatui, Romani civis libertatem minuere ullo modo licebat. Itaque Verres, ut alios omittam, divinis & humanis legibus fœdissimè proculcatis repetundarum ac peculatus omniumque sordium & corruptelarum reus, judicioque publico damnatus, gravissimam pœnam reipublicæ pendere visus est, quod urbe excessit: cur ita? quia populares status libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. At Coriolani, Scipiones, Cicerones, Rutilii, Metelli rebus præclarè gestis exilio damnati sunt. Ita quoque Hermodorus Epheso, Themistocles, Thucidides Athenarum urbe pulsi sunt. Miltiadem verò carceribus, Socratem veneno necarunt, ac tametsi Phocio non modo Atheniensium, sed etiam omnium suæ ætatis virorum clarissimus haberetur, & qui quadragies quinquies Atheniensis exercitus imperator creatus, vitam summa integritate ac innocentia transegisset, nihilominus calumniator quidam de fæce plebis ausus est ad populum, quem intelligebat Phocioni iratum, rogatio-

11 L. 4. ff. de statu hom.

12 Lib. 6. de rep. cap. 4.

gationem hujusmodi ferre: Vellent juberent Phocionem ac socios necari. Hanc vocem populus tanto plausu excepit, ut omnes assurgerent, ac manibus elatis cives fortissimos ac innocentissimos capitis damnarent: nec defuerunt, qui sertis & corollis redimiti cum servis ac fœminis in comitium profecti sint, ut sententiam capitalem ferrent. Qua re prospecta: Me quidem à vobis, inquit Phocio, damnari facile patior, sed cur isti? Ad quem populus: Quoniam inquit tibi sunt amici. Nec prius furor plebis insanientis conquievit, quam omnes sine judicio, sine accusatione, sine ulla causa necarentur. 13

13 Plutarch. in Phocione.

Cæterum, quod dubitavi, utrum libertas popularis non deterioris sit conditionis cum Regia aut Aristocratica libertate composita, id merito me suspicari facit multitudo imperantium. Quis enim non videt, solutiorem esse conditionem eorum, qui paucioribus parent, duriorem qui pluribus.

Eodem modo, quo de libertate, etiam de concordia popularium philosophandum est. Dicitur quidem communiter, pares cum paribus optimè convenire, sed nec minus frequens est & illud adagium: Figulus figulum odit. Et scinditur incertum studia in contraria vulgus. Ejus namque ingenium ad quidvis aliud potius quam ad concordiam aptum natum esse, qui re non deprehendit, consulat historias Græcorum pariter ac Romanorum. Perspectos sane populi mores habuit sapientissimus Spartanorum legislator Lycurgus, qui postulanti cuidam, ut in civitate pro Aristocratica constitueret popularem gubernationem: Tu fac, inquit, prius domi tuæ Democratiam instituas. Compendio docuit, eam reipublicæ speciem non esse utilem civitati, quam nemo vellet esse in sua familia. 14

14 Plutarch. in Lacon.

Nec consiliorum multitudine, quam jactant Patroni Democratiæ, illa aliis rebuspublicis felicior est. Tullius nullum vulgo consilium, res ipsa valde exiguum aut parvum esse ostendit. Et ut demus, in quavis multitudine nonnullos etiam, qui recto polleant judicio, reperiri, illud tamen iniquum est, quod apud populum sententiæ non ad pondus rationum, sed ad numerum calculorum examinentur, vimque sumant ex multitudine suffragantium, cum autem furiosorum ac imperitorum multitudo partibus infinitis superet numerum saniorum, consequens est, negotia publicæ utilitatis pessimis geri consiliis, & fortunæ arbitrio committi.

Sed rectè se habeant omnia prædicta, sciat sane ac valeat plebs libertatem conservare, fovere concordiam, patriæ incolumitati salutaribus consiliis prospicere: arcana nihilominus reipublicæ nequaquam possunt à tanta multitudine non prodi vicinis, cum nihil sit æquè difficile, atque credita tacere. Declarat id fabula maximo ingenio composita de asininis Midæ auriculis, quas cum tonsor, qui solus erat conscius, reticere non posset, fossam ingressus proclamavit, *Aures asininas rex Midas habet*, deinde fossam terra adoperuit, ubi successu temporis crevere arundines, quæ agitatæ ventis vocem quam tonsor infoderat reddere consueverant. Atqui consilia reipublicæ, atque imperii arcana, exteris populis innotescere, quanta secum mala trahat, soli infantes non cogitant.

Exempla pro Democratico statu commemorata sunt quidem speciosa, sed potius alias reipublicæ formas, quam Democratiam commendant. Acutè enim animadvertit doctissimus Bodinus, 15 in allatis exemplis, florem, & commemoratarum civitatum beatitudinem non gubernationi populari, sed aliis causis esse adscribendam. Helvetii in gubernandi ratione sequuntur rationem regiminis Aristocratici: præterea ut libertatem popularem tueantur, facit, tum effera locorum natura, tum quod ferocissimi ac seditiosissimi foras erumpant ad peregrinorum principum servitia, reliqua tenuis plebs, desidesque opifices, & imperium non appetunt, & facile in obsequio magistratuum continentur. De aliis popularibus imperiis idem omnino judicium habendum est. Nam qui popularium civitatum veterem repetierit memoriam facile inveniet, illas aut cum hostibus, aut cum civibus sempiternum bellum gessisse, & quamdiu steterunt, non multitudinis imperio, sed consilio sapientissimi cujusdam civis, quasi regia quadam potestate gubernatas fuisse. Athenienses felicitatem suam non populo debent, sed senatui Areopagitarum, cujus imperio tenebantur: postea verò cum à senatu omnis potestas transiit ad populum, Periclis unius nutu omnia regebantur, & proinde merito illum Thucydides asserat civitatis imperium habuisse. Florentini perpetuis seditionum motibus agitabantur, nec prius quieverunt, quam Laurentius Medices imperium arripuisset. Romana urbs quod aliquando legibus & armis floruerit, id Menenio Agrip-

15 Lib. 6. de repub. cap. 4.

pæ, Furio Camillo, Papirio Cursori, Fabio, Marco Catoni Censorio, Marco Scauro, Pompeio Magno, aliisque similibus Dynastis, non populo tribuendum est. Quibus omnibus servit
16 Lib. 30. illud elogium Scipioni à Livio datum: 16 Sub umbra (inquit) Scipionis urbs terrarum domina latet, nutus ejus, pro decretis patrum, pro populi jussis est. Floruit aliquandiu & Thebanorum populare imperium, sed tamdiu quamdiu Pelopidas, quamdiu Epaminondas floruerunt. Hæc ut equidem existimo satis demonstrant, non usquequaque statum plebeji imperii esse laudabilem, nec ita felicem, sicuti multi arbitrantur. Sanè divinæ literæ innuere videntur Dominum DEum in partem pœnarum permittere, ut populus delinquens non habeat bonum sapientemque principem, sed tumultuoso vilissimorum
17 Isai. 30. hominum dominio subjiciatur. *Ecce*, ait Propheta, 17 *dominator Dominus exercituum, auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem & virum bellatorem, judicem & prophetam, & ariolum & senem: Principem super quinquaginta & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici, & dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis: Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisque ad proximum suum tumultuabitur, puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.*

Caput V.

De Aristocratia seu paucorum Dominatione.

§. I.

Vtilitates status Aristocratici referuntur.

IN Aristocratia summa regiminis potestas est penes paucos. In ejus laudem multa profectò dici possunt, cujus ne nomen quidem non laudem spirat. Optimatum quippe potestas inde Aristocratia dicta est, quod in eo gubernationis genere, aut nonnisi optimis viris imperium deferatur, aut ita præsint, ut universa ad communem utilitatem referant. Eleganter Romanæ eloquentiæ princeps Cicero describit ingenium illorum, qui
1 Cicero pro Sextio. sunt ad clavum hujus politiæ constituti: 1 Quod neque nocentes

tes ſint, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Virtuti ut ipſi ſtudent, ita & alienæ præmia ac honores concedunt, hac ipſa omnia alia æſtimant, morum diſciplinam agunt, leges obſervant, juſtitiam colunt. Deinde, nihil eſt magis ſalutare rebus magnis adminiſtrandis, quàm plurium optimorumque in unum conſentientium conſultationes. Nam ex plurimis iiſque optimis neceſſe eſt optima conſtare conſilia. Nemo hercule ſolus ſapit, ſolius Dei cuncta ſupercilio moventis eſt, ut unus omnia videat, & provideat. Præterea ſtatus Optimatum imperio ſubjectus, medium locum, qui virtutis ſedes eſt, occupat, inter extrema vitiis inſeſſa. Sicut enim diſtat à ſeditione tumultuque populari, ita ab imbecillitate conſiliique inopia, qua Monarchia laborat, ſubdita unius imperio, cui & virium & conſilii eſt minus, quam Optimatibus, qui & facilius & felicius conſociatis laboribus munia reipublicæ exequuntur. Hac ut exiſtimo ratione motus Plato, 2 triginta viros mediæ ætatis delegit, ad publica civitatis munia obeunda, remque publicam adminiſtrandam, quod nimirum in uno defectum, in multitudine turbas timuerit. Eundem numerum in ſenatu ſuo etiam Lacedæmonii habuêre, quia inter pauciores facilius cum deliberatio inſtituitur, invenitur votorum concordia. Iſte tamen tricenarius numerus non eſt adeo religioſus, ut augeri aut minui ſalvis auſpiciis non poſſit. Poloniam olim duodecim Palatini, ſicut & Saxones duodecim Comites gubernabant. 3 Thietmarſi quadraginta octo primoribus paruerunt. 4 Circaſſiis præſunt ſeptem principes. 5 Numerum Platonicum exceſſerunt Thebani, 6 Megarenſes, 7 Epidaurii, ex quibus centum octuaginta rempublicam rexerunt. 8 Maſſilienſes, quorum ſenatus ſexcentis conſtat civibus, 9 Norimbergenſes, quorum conſilium ex trecentis viris coaleſcit. Veneti tandem, qui plures ad magnum conſilium admittunt. 10 Libertatem quoque ſub procerum regimine degere ſecuriùs, oſtendi alibi, 11 illa ratione, quod neque illi omnes ſimul ſervitutem, nec unus ex illis tyrannidem inducere poſſit, quia unius machinationibus obſtant conſilia cæterorum, omnium autem molitioni, ipſa rei natura atque conditio adverſatur. Quomodo enim multi conſpirare poſſunt, ut reges ſimul fiant. Nam ſi regnandi libido eos invaderet, quiſque ſibi potius optaret regnum, quod utique juxta Poëtam, neſcit ferre ſocium.

2 6. De legib.
3 Crantzius.
4 Auctor. de expedit. Regn. Dan. in Thietm.
5 Boter. part. 2. lib. 1.
6 Thucid. lib. 3.
7 Idem lib 4.
8 Plut. in Apopht. Græc.
9 Strabo.
10 Janot. de rep. Venet. & Contaren. lib. 1.
11 polit. quæſt. Diſp. 1. quæſt. 2. §. 1.

Et

Et illud non parum statum Aristocraticum commendat, quod gubernacula rerum dignissimo cuique tribui oportere natura ipsa admonemur, dignitas autem jam ex virtute, jam ex nobilitate existit, utut sit, Aristocratia erit. Quod si dignitatem opibus metimur, cum opulentiorum ubique parcior sit numerus, & inopum multitudo fere infinita, etiam census statum paucorum constituet, quibus pari reipublicæ felicitate, atque illis, quos vitæ morumque integritas commendat, publica gubernacula committuntur. Sicut enim illi virtute, ita isti utilitate, moventur ad tutandam rempublicam, sine cujus salute non vident privatarum opum suarum salutem. Denique statum hunc laudatissimæ gentes & olim amplexę fuerunt, & nunc amplectuntur. In imperio Romano pleræque civitates liberæ sub isto florent regimine. Hebræi, judices seu optimates primo delegerunt, teste Josepho & Sigonio, 12 quod confirmat pluribus Petrus Cunæus, 13 qui meminit concilii cujusdam magni Sanhedrin appellati, in quod erant adscripti septuaginta assessores, id concilium cum constitutum esset à Moyse, semper deinde sub judicibus regibusque & pontificibus usque ad extremam Judææ desolationem fuit, mansitque in ea urbe, quæ sanctuarii sedes atque reipublicæ arx esset. Unde postquam templum Hierosolymis fuit extructum, concilii magni sedes in ipso sanctuario fuit, ut de divinis humanisque rebus senatores septuaginta cognoscerent, non hercule de plebe hominum lecti, sed nobilissimi omnes, qui amplitudinem majorum ac prisca familiæ decora præ se ferebant. Eam sedem illis summus Moyses assignaverat. Convenire enim illos in locum jussit, quem elegisset Dominus, uti nomen suum illic adoraretur à populo. Ab his provocatio non erat, quicquid decidêre cæteri magistratus judicesque in Palæstinæ oppidis, atque in ipsa urbe Hierosolyma, id omne ad horum jurisdictionem pertinuit. Qui auctoritate & honore præcellerent, inter eos duo fuêre, quorum unus totius Synedrii caput erat, & à Talmudicis Princeps in omni loco dictus est: alter huic proximus, sed minor fuit, quem Patrem judicii appellavêre. Cæteri inter se æquales fuerunt. Hæc citatus Cunæus ferè ad verbum.

12 Joseph. lib. 1. Antiq. Sigon. de Hebr. repub.

13 De repub. Hebr.

Meminit præterea prædictus scriptor viginti trium virorum, qui de capite fortunisque Hebræorum judices sedebant.

Deni-

Denique Rabbi Maimonides refert, etiam collegium quoddam triumvirale apud eandem ſacram gentem extitiſſe. Poſt Hebræos Lacedæmoniorum olim reſpublica, è Monarchia Ariſtocratia & Democratia erat conſtituta. Habuit enim Regem, qui Monarchiam, Senatum qui Ariſtocratiam, Ephoros qui Democratiam repræſentarunt. Huic perſimilis eſt potentiſſima rerumpublicarum Polonia, ubi Rex, Senatores, & Legati, qui vices populi ſuſtinent, in commune conſultant: quanquam Legati non à toto populo, ſed tantum ab equeſtri ordine ad comitia mittuntur. Plebs enim in hoc regno non habet vocem, ſed tantùm gemitum, parumque imo nihil abeſt à conditione mancipiorum antiquorum, nulloque ferè jure tuta eſt, & fortunæ ac vitæ pendent à favore dominorum, quod utrum rectè & Chriſtianè (loquor de oppreſſione, quæ ſecundum Theologos clamat in cœlum) fiat, alibi fortaſſis videbimus.

Sed & in Gallia cum reges impotentes dominarentur, optimates imperium ſuſceperunt, ſacra, leges, judiciorum poteſtatem, tenuerunt, nobiles rem curarunt militarem, plebs occupata fuit in agris & opificiis. De Venetorum Ariſtocratia meliùs eſt ſilere, quam parum dicere.

§. II.

De Ariſtocratiæ incommodis.

STatus Ariſtocraticus quamvis multis partibus melior ſit populari adminiſtratione, quam perinde ac peſſimam cenſent fere omnes, & plerique illam inter prolapſas reſpublicas connumerant, ſunt tamen plurima, quæ etiam illum infamant. Et in primis diſcordia & implacabilia odia, quæ inter imperantes facillime excitantur. Patet id exemplo Etheoclis & Polynicis, qui cum ejuſdẽ patris ac matris eſſent filii, poſt fata parentis pactum inierunt, ut alternis annis regnarent. Ergo exacto primo anno, quo Etheocles ob ætatis prærogativam regnavit, nec poſtea fratri juxta pacta conventa ceſſit, bellum inter fratres exortum eſt, in quo ambo mutuis vulneribus conciderunt, quorum cadavera cum uno eidemque rogo fuiſſent impoſita, flamma ſe diviſiſſe traditur, tanquam odium illud, quod regnandi cupido inter vivos excitaverat, ne mors quidem ſopire potuerit.

erit. Castor etiam & Pollux, quanquam ex uno ovo, diversis tamen (si Horatio credimus) ducti fuerunt studiis. Sunt & alia hujusmodi plurima, ad quæ egregiè accinit Poëta:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri. 1

1 Lucan. lib. 1.

Et Seneca:

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. 2

2 In Agamemn.

3 5. Polit.

Ab his non multum diversa sentit & Philosophus: 3 *Nobilitas*, inquit, *generis & divitiæ principia & fontes sunt seditionum*: ex his autem ingentia oriri in commoda, & experientia docet, & testatur cum Julio Cæsare 4 Romanus orator Tullius. 5 *Neque*, ait, *civitas in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum domus, quominus animus, à seipso dissidens, secumque discordans, gustare partem ullam liquidæ voluptatis & liberæ potest: Atque pugnantibus contrariis studiis, consiliisque semper utens, nihil quiete videre, nihil tranquille potest.*

4 Lib. 7.
5 Lib. 1. de finibus.

Erunt fortassis nonnulli, qui hanc ipsam procerum discordiam, quam nos hic improbamus, ad salutem reipublicæ referent. Etenim si concordes secum vixerint, magnopere (dicit Bodinus alibi à nobis relatus) metuendum est, ne publica & privata liberè omni metu sublato depeculari eis liceat: cui malo, non alia præsentior medicina videtur esse, quam inter illos diffidia, quibus intercedentibus, mutuis accusationibus, suas ipsi sordes, expilationes, peculatus, ac furta palam detegent, sicque lupis sese invicem vorantibus, greges interim atque armenta in tuto manebunt. Exemplum hujus rei ostendunt primo in republica Romanorum, quæ tribunis sæpe dissentientibus stetit, concordibus momento ruitura: deinde in Catone, viro Romanorum omnium prudentissimo, qui sicut servorum in sua familia ita & magistratuum in sua civitate suspectam habens concordiam, occultè inter eos odia serebat, 6 ut mutuis accusationibus, quasi vulneribus, improbi caderent, boni verò laudem adipiscerentur. Nec fieri posse existimabat, ut in magna servorum ac magistratuum concordia, alteri rempublicam, alteri privatam, aut impunitate proposita, aut certè accusationis metu securi, non deriperent. Itaque non dubitavit quinquagesies accusare,

6 Plut. in Catone majore.

cusare, ipse vero quadragies accusatus est, vitæ tamen anteactæ, ac rerum laudabiliter à se gestarum conscientia fretus, omnium adversariorum facile calumnias elusit.

Sed & ipse Romanorum senatus ingentem vim pecuniæ Marco Bibulo obtulit, ut consulatum emeret, æmulusque Cæsaris factus, potentiæ ipsius resisteret, qui Luceium amicum, ad petitionem consulatus callide subornarat, quo faciliùs omnia nutu arbitrioque suo concordi & consentiente collega gereret. 7 Sueton.
7 Dissidiis etiam florentissimum Galliæ populum olim stetisse „ incolumem auctor est Cæsar. 8 In Gallia, inquit, non solum 8 Lib. 6. Comment.
„ in omnibus civitatibus, atque in omnibus pagis partibusque, „ sed pene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque „ factionum principes sunt, qui summam auctoritatem eorum „ judicio habere existimantur, quorum ad arbitrium, judicium„que, summa omnium rerum conciliorumque redeat, id„que ejus rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex „ plebe contra potiorem auxilii egeret. Suos enim quisque op„primi & circumveniri non patitur, non aliter si faciat ullam „ inter suos habet auctoritatem. Hæc eadem ratio est in sum„ma totius Galliæ namque omnes civitates in partes divisæ „ sunt duas.

Huc spectat, quod & Lycurgus legislator sapientissimus discordias inter duos Lacedæmoniorum reges serebat, & legatos, inter quos male convenire scivit, simul jungebat, ne videlicet rempublicam mutua conspirationis concordia proderent. 9 — 9 Bodin. lib. 4 de Rep. cap. 5.

Hęc & alia istius argumenti plurima congerunt ii, quibus nimis placet sua Aristocratia. Sed illa speciosa magis sunt, quam vera. Quis enim tam hospes est in civili prudentia, qui dubitet, rectores in rebuspublicis bene prudenterq; moderatis, summè concordes esse debere, ut communia universorum commoda feliciùs promoveant, & civium inter ipsos concordiam foveant ac tueantur. Cum enim omnium sapientium consensu respublica referat corporis humani imaginem, cujus forma salus & functiones non consistunt sine temperatissima humorum concordia, illaque admirabili membrorum inter se colligatione, facile est judicare rerumpublicarum quoque vitam atque salutem sitam esse in concordia imperantium, in discordia, perniciem & interitum.

Nec multum moveor auctoritate Bodini, scriptoris alioqui accuratissimi, qui contrarium sentire videtur, 10 asserens, ex repugnantibus maximeque inter se contrariis humoribus atque partibus totam hominis naturam esse coagmentatam. Non multum, inquam, moveor, quia (ut cum Philosophis loquar) qualitates etiam toto genere diversæ servant inter se pacem, si non nimium intendantur.

10 Lib. 4. de republ. cap. 5.

Exemplis commemoratis possumus probare discordias magistratuum, inferioris ordinis in statu Aristocratico, non autem ipsorum optimatum: imo & majorum magistratuum, sed in Monarchia, quia illæ facile sedari possunt auctoritate & imperio supremæ potestatis: At in optimatum & popularibus imperiis dissidia inter majorum gentium magistratus cum summo periculo sunt conjuncta, nisi fuerint publicæ potiùs quam propriæ utilitatis gratia exorta, cujusmodi commemorantur inter Scipionem Africanum, & Fabium Maximum, Lepidum, & Fulvium, Marcum Scaurum & Catulum, Themistoclem & Aristidem, quorum egregia de virtute contentio extitit reipublicæ salutaris: dissensiones verò inter summæ potentiæ dynastas privati commodi causâ excitatæ, quales fuerunt inter Cæsarem & Pompeium, Augustum, & Antonium, aliosque consimiles, arma inprimis civilia movent, deinde conversionem aut eversionem rerumpublicarum adducunt.

Alterum status Aristocratici incommodum est, quòd subditi non possint facile jussis imperantium parere, præsertim si & ipsa mandata fuerint discrepantia. Sicut enim flantibus simul contrariis ventis.

Nescit cui domino pareat unda maris; 11

11 Ovid. lib. 1. Tristi. Eleg. 2.

Ita pluribus simul diversa imperantibus, nequit populus rectè atque unanimiter obtemperare, unde studia partium, & ex his arma civilia sequi necesse est. Et revera, si juxta divinam veritatem nemo potest duobus dominis servire, quomodo innumerabiles alicujus reipublicæ populi pluribus imperantibus obedient? Vidi ego, dum adhuc essem adolescens, unum examen apum inquietissimum, cujus pars media, quasi classico dato, ex alveari erupit, & in arbore proxima castrametata est, parte altera in alveari remanente, penes regem, qui, (ita fit, quando novis apibus novæ sedes assignantur) in cavea intra alveare

deti-

detinebatur, donec illis penatibus aſſueſceret. Mirabatur apiarius tantam animalculorum ſummè alioqui ſocialium diſcordiam, cujus non alia fuit cauſa, quàm quòd plures, qui imperarent, fuiſſent. Reperti enim erant præter illum regem, qui ut dixi in cavea manſerat, alii duo reges, quorum ductu pars prædicta ſeceſſionem fecerat, quibus tandem necatis, regi quem deſeruerat, ſumma fide ac conſtantia adhæſit.

Habet quoque hoc in ſe Ariſtocratia peſtiferum malum; quòd etiam ii, qui olim fuerunt viri optimi, omniumque conſenſu probati, poteſtatem tamen regendi adepti, ſæpe inſolentes ac peſſimi evadant, & tyranni efficiantur, ut non immerito Marcus Agrippa coram Auguſto dixerit, Ariſtocratiam paucorum tyrannorum ſtatum ſibi videri, ac præſtabilius eſſe, non plures uno tyrannos habere: non immerito, inquam, dixit, conſideratis triginta tyrannis Athenienſium, & Decemviris Romanorum.

Jam vero qui Ariſtocratiam ex eo cæteris regiminibus præferunt, quòd illa medium Democratiam inter ac Monarchiam locum teneat, loquuntur quidem cum vulgo, ſed cum eodem & falluntur, ſiquidem non quodvis medium virtuti ſacratum eſt, ſed illud tantùm, quod eſt extremis vitiorum interjectum. Ariſtocratia non eſt ita media inter Monarchiam & popularem ſtatum poſita, ſicut virtutes inter vitia, ſed ſicut parvus numerus inter minimum & maximum: at numeri, qui extremi ſunt, ſemper primas obtinent, & medio potiores habentur. Ex iis namque, quæ expetimus, maximum eligimus, eorum verò quæ averſamur, minimum faciliùs ſuſtinemus, medio nec in bonis nec in malis ſumus contenti.

Sed nec illud pro hoc paucorum dominatu plurimùm facit, quod imperandi cura inter plures ſit diviſa, non inquam plurimum facit. Nam

Segnius expediunt commiſſa negotia plures.

Fateor multa ejuſmodi eſſe, quæ auxiliares manus non tantùm non reſpuunt, verum etiam expoſcunt, ſed ſunt etiam non pauca, quæ auxiliis impediuntur, ex quorum numero quin etiam ſit reipublicæ regimen, nemini ut equidem judico dubium eſſe poteſt. Cum enim reſpublica juxta ſapientiſſimos viros 12 ſimilis ſit cytharæ, aut cuivis alii muſico inſtrumento, ſicut una eadem-

12 Plut. de Unius in rep. domin.

eademque cythara, nequit ſimul pulſari à pluribus, quin cacophonia aures convivii offendantur: ita nec reſpublica tractari poteſt ſimul à pluribus, quin in multis ſuis partibus lædatur.

Denique nec conſiliorum diverſa omnino ratio eſt in Ariſtocratia, ab ea, quæ in Democratia cernitur, & quam nos paulo ante minùs rectam eſſe oſtendimus: cum enim jus ſuffragii in utroque regimine ſit penes plures, & in utroque ſententiæ non ex pondere, ſed ex numero æſtimentur, utrobique ita meliora conſilia à deterioribus ſuperantur, ſicut numerus bonorum vincitur ab improborum imperitorumque multitudine. Sunt & alia quibus hæc imperandi forma laborat vitia plurima. Sed illa proſequi & probare latiùs otium mihi non eſt.

Caput VI.

De Monarchia ſeu unius Imperio.

§. I.

De Laudibus & Commodis Monarchici Imperii.

1 De Clement. lib. 1. cap. 19. OPinio Monarchiam collaudantium ipſius naturæ exemplis munita eſt. Natura, inquit Seneca, 1 commenta eſt regem: & recte. Nam in toto univerſo unus eſt Summus Monarcha DEus: unus ſol diei præeſt: luna itidem eſt una noctis oculus: gemini ſoles ſi forent, metuendum eſſet, ne conflagrarent & perirent omnia. 2 Unum regnum natura in arce, mentem ſcilicet, rex regum collocavit: in membris cor movet omnia. 3 In reliquis animantibus, hæc quoque imago unius imperii deprehenditur. Inter quadrupedes leo dominatur, inter aves principatum aquila tenet, gruum volatus longiores, ſine duce non ſuſcipiuntur, habent & cervi unum quem ſequuntur, rex unus in apibus, quo incolumi mens omnibus una eſt, 4 dux unus in gregibus, in armentis rector unus, quæ omnia clamant, in republica oportere unum eſſe regem tanquam caput, à quo nequaquam ſalva ſalute membra poſſunt diſſentire.

2 Beroald de opt. Stat. reip.

3 Pontan. de obed. cap. 2.

4 Georgic. 4.

Eſt autem regnum ſive Monarchia omnium antiquiſſima & prima reipublicæ forma. Etenim, cum eaſdem in ſedes ac familias homines confluxerunt, ille, qui ætate antecelluit, naturali

turali quodam jure, imperandi auctoritatem potestatemque sibi vendicavit, habuitque potestatem, bonos remunerandi, malefactores autem puniendi, ac interficiendi, ut cum Theologis docent Politici, quos supra, ubi egi de patria potestate, retuli.

Ex quibus facile intelligi potest, cum natura ipsisque mundi incunabulis regni seu monarchiæ tyrocinia extitisse, & etiam his nostris sæculis, in remotis mundi plagis inter homines, qui nihil præter naturam noverunt, esse quandam monarchicam politiam. Ergo si optime sese habent, quæ naturæ congruunt, eò quòd illa optima & prudentissima artifex, non nisi optima & perfectissima quæque in suo genere efficiat, profectò ad magnam laudem Monarchiæ pertinet, esse tam præclaræ parentis sobolem.

Itaque non immerito princeps ingenii & doctrinæ Plato,
Monarchiam dicit esse cæterarum rerumpublicarum matrem. 5 3 De legibus.
Aristoteles origine primam, 6 & cum eo Justinus, dum ait: 7 6 1. Polit. cap 2.
Principio rerum, gentium, nationumque omnium imperium penes reges erat; quod etiam Sancto Augustino placuit, 8 teste ingeniosissimo Arnisæo, in sua doctrina Politica, 9 qui multorum testimonia commemorat, ut ostenderet, frustra Bodinum 10 contra totam antiquitatem pugnare, dum negat Monarchiam primam fuisse rerumpublicarum, cum violenter sit instituta à Nimrodo. 7 Lib. 1. in princip. 8 De Civit. Dei cap. 6. 9 Cap. 9. De Monarch. 10 2. De repub. cap. 14.
Quod quamvis verum sit, non potest tamen ostendi, ante Nimrodi imperium homines sub alia reipublicæ forma vixisse, cum potuerint sparsim singulæ familiæ sine republica tamdiu habitare; illo etiam sæculo, quod aureum perhibetur, regale fuisse imperium, idque penes sapientes, existimat Possi-
„ donius, 11 de quo elegantissime more suo Seneca. Hi, in- 11 Senec. Epist. 90.
„ quit, (intelliges reges) continebant manus, & infirmiores à
„ validioribus tuebantur, suadebant dissuadebantque, & utilia
„ atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset
„ suis, providebat, fortitudo arcebat pericula, beneficentia au-
„ gebat ornabatque subjectos officium erat imperare, non re-
„ gnum. Nemo quantum posset adversus eos experiebatur,
„ per quos cœperat posse: Nec erat cujusque aut animus in in-
„ juriam, aut causa, cum bene imperanti bene pareretur, ni-
„ hilque rex majus minari malè parentibus posset, quam ut ab-
„ iret è regno. Homerus quoque Agamemnonem, penes quem

regia,

regia poteſtas fuit, vocavit paſtorem populorum, innuens, ut gregibus paſtorem, ita populis regem, & utilem eſſe, & neceſſarium. Habet ad extremum regia gubernatio laudem ſuam à maximis Principibus, Leone & Conſtantino, quorum iſta ver-
12 Titulo, 2. ba extant in Ecloga Jur. ab ipſis compilata. 12 *Rex legitima eſt præfectura, commune ſubditis omnibus bonum, neque ex odio puniens, neque ex affectione benefaciens, ſed veluti æquus certaminis judex, ſua cuique præmia æquè præbens. Scopus regi eſt, bonorum quæ extant, & jurium per probitatem cuſtodia & tuitio, amiſſorum verò per vigilem diligentiam recuperatio, quæque non extant, per ſapientiam juſtoſque modos acquiſitio. Finis Principis benefacere, unde & benefactor vocatur, adeo ut ſi quando beneficentiam neglexerit, Principis formam adulterare diceretur antiquis. Obligatus eſt Princeps cuſtodire, primum quidem omnia in ſacra ſcriptura conſcripta, poſthæc & in ſanctis ſeptem ſynodis conſtituta, tandem & Romanas quæ extant leges.*

Jam verò, ſi omnia quæ divinitus ſunt inſtituta, juſta, recta, atque ſanctiſſima eſſe non dubitamus, quis dubitabit, imperium Monarchicum eſſe rem quandam ſanctiſſimam? Quod rex regum genti ſibi præ omnibus dilectæ præcepit, eique conditiones præſcripſit. *Cum ingreſſus*, inquit, *fueris* 13 *terram, quam*
13 Deut. 17. *Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſidens eam, habitaveriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus DEus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus, præſertim cum dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus, in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum DEum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præceptæ ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dextram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filius ejus ſuper Iſrael.*

Mirabitur fortaſſis aliquis, cur indignè tulerit DEus ſummam

mamrei à Samuele ad regem transferri, cum tamen illud & probaverat antea, & futurum pro indole dixerat sacri populi. Ad quod eruditè respondet Rabbi Maimonides teste Petro Cunæo, 14 quia videlicet regem concupiverunt, per ambiguas querelas, seditiosasque voces, nec uti legis præceptum peragerent, sed quod displicebat illis sanctissimus vates Samuel, ad quem vox illa numinis extat: *Non te illi abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 15

14 Lib. 1. de repub. Hebr. cap. 14.

15 1. Regum. 8.

Regredior ad Aristotelem, ex cujus scriptis Monarchiam, & antiquissimam & sanctissimam rem esse comperio. Sunt autem verba Philosophi istiusmodi. 16 *Quapropter primò sub regibus civitates erant, nunc verò etiam gentes, nam ex his qui suberant regno processerunt. Omnis autem domus regitur à seniore, quare & coloniæ inde propagatæ, propter consanguinitatem.* Et hoc est, quod inquit Homerus:

16 Polit. lib. 1. cap. 1.

Iura dant singuli natis & uxoribus.

Sparsim namque etiam sic antiquitus habitabant, & DEos ob hoc ipsum putant cuncti regem habere, quoniam & ipsi, partim nunc, partim antiquitus sub regibus degebant. Quemadmodum verò formas humanas Diis attribuunt homines, sic etiam vitas. Hæc Aristoteles.

Unde non ineptè possumus argumentari. Antiquitus nec Aristocratiam nec Democratiam cognitam fuisse, sed solum regale imperium: alioqui sicut unus rex supra cæteram Deorum turbam creditus fuerat, ita inter eosdem Deos, & Plebes, & Optimates crediti fuissent: aut certè si etiam potentum, aut populi imperia, veteres illi fuerunt perpessi, quia nunquam pejus habuêre quam sub illis, & nunquam melius quam sub regibus, id qùod optimum inter se experti fuerunt, Diis quoque attribuissent, sicut quia videbant inter universas animantium species humanas formas esse meliores, & nobiliores, ideo solas humanas Diis affinxerunt.

Sed vetera hæc recentiora sunt, & quotidiana, quòd nos ipsi in solis regibus ac Monarchis sanctitatem quandam pręcipuam, & agnoscamus, & confiteamur, sacram illorum majestatem appellando.

Quod si commodorum pręsertim publicorum maximam rationem habere debemus, non aliud regimen utilius præ Mo-

 narchia

narchia reperiemus. Nam cum consociatæ multitudinis maximum sit bonum, ut ejus unitas pace conservetur, quantò ad pacem efficacius fuerit, & ejus unitatem servandam imperium, tanto utilius erit, manifestum autem est, quòd unitatem magis

17 Thom. de princ. regim. cap. 2.

efficere potest, quod est per se unum quam plures. 17

Certum est & illud, quod qui iisdem rebus præsunt perpetuò, quamvis ingeniis minùs valeant, diuturno tamen exercitio ceteros superent: Et cum sibi omnia incumbere sciant, diligentiùs singula negotia perpendunt, & feliciùs conficiunt: secus verò est, tam ubi non perpetuis magistratibus funguntur, quam ubi in multos divisum est imperium. Nam qui ad breve tempus dominantur, priùs ad privatam vitam redeunt, quam publicorum negotiorum aliquam scientiam per rerum usum consequantur: quo in casu idem timendum est, quod & in morbis, in quibus fit crebra medentium mutatio. Multitudinis vero regentium ea fere conditio est, ut alii alios intueantur, interim multa negliguntur. Homines in hoc imperio constituti, non solùm publicis curis, sed etiam domesticis negotiis sunt occupati, unde major est privata cuique stimulatio, quam publica sollicitudo. Hinc antiquissimus & sapientissimus Poëtarum Homerus

18 2. Iliade.

dixit: 18

Nec multos regnare bonum, rex unicus esto,
Vnius imperium, cui Iuppiter aurea magnus
Sceptra dedit, jussitque suis dare jura tuendis.

Possem hic innumerabilia nobilissimarum nationum referre exempla, quæ sub regali imperio diu tranquillè ac beatè vixerunt. Sed quia passim obvia sunt, consulto abstineo.

§. II.

De Monarchiæ Incommodis.

PRimum quo Monarchia laborat incommodum est, mors Principis, quæ plerumque secum trahit reipublicæ mutationem, & nonnunquam etiam conversionem, quæ rebuspublicis non possunt esse non periculosissimæ. Ubi enim est novus rex, ibi veteri proverbio etiam nova lex, novi magistratus, imo & novi hostes. Et quamvis Princeps ea sit ætate, animique constantia, ut mores antiquos quam maxime velit servari, pa-

ςta tamen ac fœdera, cum finitimis inita, morte principis expirant, novique motus cientur, qui optimatum atque populare regimen minimè infestant, maximè si perpetua fœdera intercesserint.

Alterum incommodum est Anarchia, quæ est quædam (ut ita dicam) reipublicæ viduitas orbitasque, fatum Principis consequens, quæ tunc periculosior esse solet, quando Monarchia non jure sanguinis, sed electionis acquiritur: imo nec jus successorium metu vacuum est, si plures liberi jus ad regnum æquale per omnia habuerint. Hoc enim eventu plurimæ factiones, inter subditos dissidia, inter fratres parricidia, inter partes civilia bella cooriuntur.

Tertium incommodum contingit, si hæres regni puer atque impubes fuerit, quod divina maledictione accidit. *Væ tibi terra,* (ait Spiritus Sanctus 1) *cujus rex puer est, & cujus principes manè comedunt.* Nec tutor testamentarius, legitimus, aut dativus, (ut Jureconsulti loquuntur) tanto malo sufficiens est remedium. Nam & pupilli vitam parricidio, & rempublicam tyrannidi esse obnoxiam, quis tot testantibus exemplis non videt? Certè si cui dubium est, illud vel sola Charilai mater tutrixque tollet, quæ filii cædem pacta est Lycurgo patruo, 2 ut imperium Lacedæmoniorum una cum vita filio eriperet.

1 Ecclesf. 10.

2 Plutarch. in Lycurg.

Solent præterea unici principes, omnia pro sua libidine facere, cives opprimere, subditos in servitutem redigere, bella propria superbia periculosissima denunciare, & rempublicam in summum discrimen adducere. Continet denique regalitas & hanc extremam reipublicæ pestem, quod facile licentia Principum in tyrannidem degeneret, ut multis ostendit testis temporum historia.

CAPUT VII.

De Rerumpublicarum inter se Comparatione.

Vidimus tres principes rerumpublicarum formas, & ea parte, quâ speciosæ sunt, & illa, quâ ad deformitatem declinant, secuti hac in parte Alexandrum Priamidem, judicem ab Jove supra trium Dearum formas constitutum, qui non ex sola facie sententiam tulit, sed ablatis tantisper earum

velaminibus, omniumque membrorum situ, figurâ, magnitudine, colore, succo, & symmetria, diligentissimo oculo (si Luciano 1 credimus) consideratis, palmam venustatis & pulchritudinis Deæ amorumque genetrici Veneri justissima sententia adjudicavit, justissimâ inquam sententiâ, quia quantum ad formæ decus attinet, nec ipse Momus, qui in omnibus diis quod carperet nunquam non inveniebat, in Venere quidquam reprehendere poterat, præter sandalia parum pedibus congrua.

1 Lucian. in Dialog.

Antequam autem sententiam pronuncio, exserte dico, vitia commemorata non esse rerumpublicarum stantium, floremque suum servantium, sed labantium atque ruentium, sicut nec morbus est corporis bonum habitudinem retinentis, aut mors hominis viventis. Quemadmodum tamen homo sanus adhuc & omnino integer, mortalis dicitur, ea potissimum ex causa, quod sit morti obnoxius, ita & respublicæ etiam dum vigent, iis vitiis prudenti hominum æstimatione infestari dicuntur, in quæ ipsæ de sua conditione pronæ sunt. Et meritò, quia ex sensu populari castrum, cujus custos ad colloquium cum hostibus venit, pro prodito judicatur, & ex vulgari Jurisconsultorum proverbio, cingendus pro cincto habetur.

Illud etiam non est prætereundum, quod alibi quoque monui, 2 ut antequam de istis politiarum formis instituatur judicium, fiat diligentissima collatio utilitatum & commodorum unius cum commodis & incommodis alterius, post quam comparationem præstantior censenda est, non quæ ad minora vitia proclivis est, sed quæ tantas utilitates continet, ut illis vitia penitus ut ita dicam obruantur.

2 Quæst. Polit. Disp. 1. in princ. p.

Jam ergo, quæ trium prædictarum rerumpublicarum melior sit potiorque, non facile dijudicari potest, cum quæque suos assertores habeat, & impugnatores. Nobilior pars fidem Platonis ac historiarum secuta, palmam detulit Monarchiæ, quam perfectissimo Musicæ instrumento comparans Plutarchus. 3 Ea (inquit) *sola potest perfectum illum, & orthium, sive rectum virtutis tonum, & contentionem sustinere, & utilitatem neque necessitatis, neque gratiæ causa inflectere. Reliquæ id habent, quod fere is, qui imperat sub imperio & potestate est, & qui gerit eas, ipse geritur ferturque quod non habet vim solidam, & stabilem,*

3 De Unius in rep. dominat.

qualis

qualis est in Monarchia, sed sæpe cogitur Æschyleum illud exclamare, quo usus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio:

Tu me creasti, tu fers exitium mihi.

Idem alio quoque loco. 4 *De bonis*, inquiens, *humanis duo hæc, regnum & virtutem divinissima censemus atque appellamus.* Cum eo concordat Joannes Casus, 5 qui Monarchiam asserit omnium administrationum esse longe augustissimam beatamque civitatis constitutionem.

4 In Erotico.

5 Lib. 4. cap. 2.

Objici solent imperio regali, tum ea incommoda, quæ nos proximè retulimus, tum alia plura: Principem nimirum bonum imperioque idoneum non facile posse reperiri: Reges exactionibus intolerabilibus cives premere, & ad inopiam redigere, crudeles esse, boni publici negligentes, privati avaros. Ad quæ & hujuscemodi similia Gregorius Tholosanus 6 unica solutione respondet, quod scriptum à Mario Maximo, & dictum Trajano ab homunculo: Rempublicam prope meliorem & tutiorem esse, in qua princeps malus est, ea, in qua sunt amici principis mali, & ubi principes plures mali, siquidem unus malus potest à pluribus bonis corrigi; multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari. 7 Hæc Tholosanus.

6 Syntag. Juris l. b. 47. cap. 15.

7 Lamprid. in Alex. Sever.

Nos quoque agnoscimus, his malis Monarchicum regimen esse obnoxium. Sed frustra quis queritur, cum ea sit rerum humanarum conditio, ut nihil sit ab omni parte beatum. Nec ideo Monarchiam cæteris politiis prætulimus, quod illa prorsus sit irreprehensibilis, sed quod illis comparata, minora vitia, & majora bona habere videatur. Philosophorum autem doctrina, inter bona majoris, inter mala minimi, præcipit electionem.

Democratia grata quidem est populo, propter humanissimum & levissimum nomen, videturque ex præscripto legum summam tueri æquitatem, sed periculo atque negotiis compertum est, minimè illi cum sua appellatione convenire. Contra, Monarchiæ nomen auditu difficile, penes unum tamen summam regiminis potestatem esse, conducibile omnium maxime est.

At difficile est, inquies, invenire unum Monarcham bonum, imperioque dignum. Hac machina plerique oppugnant Monarchi-

narchiam. Sed certè non est putandum, aliquos Monarchiæ esse infestos, quod vellent optimos semper reipublicæ præfici, sed quia ipsi ambitiosi nimium, & magis sibi quam aliis deferri imperium desiderant. Experiuntur id quotidie illi, qui sub populari regimine degunt, videntque plurima viris indigna ab ambientibus magistratus committi, ut popularem auram aucupentur, ut probos astu, aut vi, à gubernaculis deturbent, utque ,, ipsi imperent populi prætextu. Vidi (inquit Gregorius Tolo- ,, sanus proximè relatus) alicubi homunciones, civitatum ma- ,, gistratus municipales ambientes, & venales voces eligentium ,, mercari, ut vel sederent in populari administratione, cæteris ,, optimis civibus infesti, vel ut prædam ex populo compila- ,, rent: vidi & eo: decurionatu ita reddi tumidos & inflatos, ,, ut vix seipsos qui essent agnoscerent, quamvis scirent post an- ,, num abeundum esse magistratu. Quid bone DEus isti futuri ,, essent, si perpetuam illis DEus donaret Democratiam? Certe ,, tyrannis essent quibuscunque & lupis pejores. Ex vili enim ,, plebis fece cum quis repente in honores erigitur, insupporta- ,, bilis & omnino odiosus efficitur, utpote qui subita mutatio- ,, ne, velut ebrius honore, cujus indignus erat, quomodo in ,, honore se temperare debeat, nescit: Ut facile inebriatur, qui ,, sitim passus merum abunde bibit, cum sciat se iterum caritu- ,, rum eodem. Cum tamen Princeps, & Monarcha perpetuus, ,, omnibus numeris dignitate plenus rationem consideret, & ,, dignitate satiatus, & assuetus ejus honoribus, nihil habeat ,, antiquius in animo, si vel mica ei sit salis, quam fungi di- ,, gnitate, certus quando, & quæ voluerit, subditis imperare se ,, posse.

Atque hæc ostendunt, non solis regibus insitam esse superbiam, sed etiam cæterarum rerumpublicarum magistratibus esse familiarem, tantoque intollerabiliorem, quanto illi regia excellentia sunt inferiores.

Sed ad id, quod est objectum, revertor, atque dico, faciliùs quempiam virum bonum unum, quam plures reperiri, ut si illum quis invenire difficile existimet, necesse est fateatur, plures inveniri longe difficilius esse.

Et quod de superbia dictum est, idem & de licentia dicendum est, nimirum quod felicibus & in summo humanarum opum

opum positis, quantò plus licet tanto minus libet. Voces illæ: *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas, Principis placitum lex est, Principi quod libet licet, Princeps lege solutus est*, voces, inquam, illæ, non sunt regum, sed tyrannorum. Aliter veri reges legitimique principes philosophantur. *Digna vox* (inquiunt Theodosius & Valentinianus imperatores 8) *majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: Adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & revera majus est imperio, submittere legibus principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, illis indicamus.* Divus quoque Alexander respondit: *nihil tam proprium esse imperii, quam legibus vivere.* Adde ingenium nobilissimorum mitissimum esse, ut ex Julio Cæsare, Augusto, Trajano, imo & Nerone ipso, quamdiu Princeps & non tyrannus fuit, licet perspicere: Contra popularis insolentiæ nullum esse modum aut finem. Unde non multum extra rem nostram sunt illa Nasonis 9 carmina

8 Cod. de legib.

9 Trist. lib. 3. Elegia 6.

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostraße leoni,
Pugna suum finem cum jacet, hostis habet:
At lupus & torpes instant morientibus ursi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Insigne licentiæ popularis specimen exhibuerunt Megarenses, qui postquam Theagenem Principem imperio deturbavissent, tanta licentia vivebant, ut teste Platone, locupletissimos quosque impune illis diripere licuerit. Pari licentia Helvetii quoque pulsa nobilitate, diutissime in fortunas opulentiorum grassati sunt. Quis igitur non elegerit, (siquidem aliter non licet) unius potius licentiæ objici, quam multorum insolentiam perpeti, unius ingluviem, quam plurium aviditatem satiare.

Itaque canones, tributa, indictiones, superindictiones, & alias istius generis pensiones, quæ ab uno principe subditis imperantur, graves quidem esse fatemur, sed longe graviores sunt exactiones, rapinæ, & peculatus, quos sub plurium regimine affatim reperiri, qui non videt, talpa sit oportet.

Cæterum si quando Monarchæ inclementiùs se adversus subditos gerunt, id non soli principum culpæ, sed nonnunquam

etiam

etiam ſubditorum moribus adſcribendum eſt, ſi Curtio credimus, juxta quem regum ducumque clementia, non in ipſorum modo, ſed etiam in illorum, qui parent, ingeniis ſita eſt.

Incommoda mutationum, quæ rebuspublicis cum novis principibus adveniunt, procul ſunt à Monarchia, ſaltem illa, quæ ſucceſſorio jure acquiritur, quamvis non ab altera, quæ videlicet civium ſuffragiis defertur. Sed illa leviora ſunt, ſi conſideremus Ariſtocratica aut Democratica hujus generis mala, ubi factiones & contentiones de imperio, deque ſummis honoribus, & frequentiores ſunt, utpote annuæ, & nec multo minores, quam de ſumma rerum.

Jam verò, quod Monarchia proclivis ſit ad tyrannidem, vitium id ſcriptores ſimiliter in alias rerumpublicarum formas retorquent: Fatentur pernicioſam eſſe tyrannidem unius, ſed merito etiam dicunt, in Ariſtocratia tyrannorum multitudinem eſſe deteriorem, omnium autem deterrimam plebis impotentiſſimæ poteſtatem, quam Tullius tyrannidem maximam appellavit. Sed de hoc etiam ſequenti capite.

Caput VIII.

De Tyrannide.

DUplici ex cauſa caput de tyrannide hoc loco ponimus, tum quia paulo ante egimus de Monarchia, cui tyrannis adverſatur, tum ut oſtendamus, Monarchiam adhuc cæteris regiminibus eſſe potiorem, quantumvis tyrannidi ſit obnoxia.

Tria autem potiſſimum ſunt nobis conſideranda, primo, quid ſit Tyrannis? Deinde, utrum liceat tyranno manus inferre? Tandem, ſi qui ſunt ejuſmodi tyranni, quos è medio tollere non licet, quo tandem remedio adverſus eorum vim uti quis poſſit?

§. I.

Quid ſit Tyrannis.

NOmen Tyranni apud priſcos in bonam partem accipiebatur, pro domino videlicet, rege, ſeu Monarcha, qui

plenam obtinebat in subditos potestatem. Nam principio rerum omnium (ut supra diximus) quo societas hominum coalescere cœpit, ac reipublicæ forma quædam constitui, unius imperio ac dominatu omnia tenebantur, quem ad hujusmodi fastigium majestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Atque talis princeps ob suam egregiam fortitudinem Tyrannus vocabatur. Inde Maro 1 — 1 Æneid. 7.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Cum tempore tamen ille solum nomen tyranni retinuit, qui & vitia, id est, qui spretis gentium, ac naturæ legibus, subditorum bonis ac libertate ad libidinem abutebatur. Atque in ista appellatione Tyrannis nihil est aliud, quam dominatus unius ad proprium commodum.

Tyrannus etiam ille dicitur, qui sociis ac civibus invitis, non cooptatus à Principe, non suffragio populi, non sorte, non hæreditario jure, non testamento, non justo legitimoque bello, non singulari quodam cœlestique oraculo creatus, in rempublicam invasit, teste accuratissimo rerum politicarum scriptore Bodino. 2 — 2 Lib. 2. de Repub.

Quæ sit inter Monarchiam ac Tyrannidem discordia, facundè explicat Joannes Casus. 3 Tyrannis, inquit, est pestis „ Monarchiæ, quæ omnium administrationum est longe augu- „ stissima. Est enim Monarchia beata civitatis constitutio, est „ tyrannis ipsa civitatis lues atque miseria: est in Monarchia „ rex, aut consilio admissus, aut successione designatus, est „ verò in tyrannide truculentus leo: in Monarchia proponi- „ tur virtus, in tyrannide triumphat scelus: Leges in Monar- „ chia aperte loquuntur, at in tyrannide oracula civitatis si- „ lent: in regno communi bono studetur, in tyrannide popu- „ lus opprimitur. — 3 In Sphær. lib. 4. cap. 2.

Ingenium tyrannorum veris coloribus expressit Poëta Claudianus: 4 — 4 Bello Gild.

Instat terribilis vivis morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies: oritur præda cessante libido,
Divitibusque dies. & non metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchrâ vel conjuge notus,
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt.

Accitus conviva perit, mors nulla refugit
Artificem, varios succos spumasque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota novercis
Effectus tyrannidis. *Gramina, si quisquam vultu præsentia damnet*
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacitâ formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses:
Splendet Tartareo furialis mensa paratu
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno
Vt vino calefacta Venus, tum sævior ardet
Luxuries, mixtis redolent unguenta coronis.
Crinitos inter famulos pubemque canoram
Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremptis
Arridere viris. Phalarim tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre juvenci,
Quam tales audire choros.

Causa Tyrannidis. Gravissimum profectò malum est generi mortalium tyrannis, sed DEi est ordinatio, à quo longè abest omnis injustitia & iniquitas, & qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 5

5 Job. 34.

§. II.

Vtrum liceat Tyrannum occidere?

QUandoquidem hæc pestifera vipera (tyrannidem intelligo, quod nascendo matri suæ, id est, reipublicæ exitium afferat) tam exitiale vomit venenum, ut non attactu tantùm, sed etiam afflatu illius civitates, respublicæ, & maxima imperia intereant, quæstio jam consurgit, an liceat tam per humana, quam per divina jura, tanti mali remedium morte tyranni quærere? Videtur namque tyrannus persimilis esse scorpioni, cujus mortiferi ictus non alia medicina felicius curantur, quam si ipse Scorpio occisus atque contritus, plagæ quam intulit, fuerit appositus.

Apud antiquos tyrannicidis tanquam patriæ liberatoribus maxima præmia fuerunt proposita, nobilitatis videlicet insignia,

gnia, ſtatuæ, coronæ, bona denique ipſius tyranni. Harmodio & Ariſtogitoni, 1 qui Athenas liberare tyrannide conati ſunt, æreæ effigies ſunt poſitæ. Apud Græcos lege conceſſum erat, ut tyrannicida præmio eoque maximo donaretur, ejuſque imago in gymnaſio poneretur. 2 Alceus Poëta aureo plectro donatus fuit, quia tyrannum inſectabatur. Celebris eſt memoria Timoleontis Corinthii, quod occiderit Timophanem fratrem minorem, cum civitatem tyrannica libidine adminiſtraret. 3 Hercules, qui pene terrarum orbem emenſus, monſtra teterrima, id eſt, tyrannos incredibili virtute necavit, populoſque innumerabiles ab immanium belluarum dominatu vindicavit, divinos honores conſecutus eſt. Nam priſca vetuſtas de pulcherrimis omnibus factis non exiſtimabat ullum eſſe illuſtrius, quam vitam, famam, ac fortunas tenuium & innocentium hominum ab injuria potentiorum defendere ac tueri, quando judiciorum aditus omnes ſunt interclu ſi.

1 Valer. Max. lib. 2.

2 Quintil. lib. 7.

3 Gemiſtius & Pletho lib. 1. de geſt. Græc. poſt pugnam Mantinean.

His exemplis multi in eum errorem inducti fuerunt, ut exiſtimaverint, paſſim ac omnibus jus atque arbitrium eſſe in vitam tyrannorum, contra quos Sancti Patres in concilio Oecumenico iſtum canonem conſtituerunt. 4 *Præcipua ſolicitudine volens hæc ſacroſancta Synodus, ad extirpationem errorum & hæreſum, in diverſis mundi partibus invaleſcentium, providere, ſicut tenetur, & ad hoc collecta eſt, nuper accepit, quod nonnullæ aſſertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiusque reipublicæ ſtatum & ordinem ſubvertentes dogmatizatæ ſunt, inter quas hæc aſſertio delata eſt: Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque vaſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clancularias inſidias, & ſubtiles blanditias vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicis cujuſcunque. Adverſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere, & eum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit, hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem, reprobat, & condemnat.*

4 Concil. Conſtantienſe Seſſ. 8. & 15.

Qui canon certe & in ſe eſt ſanctiſſimus, & principibus pariter, ac omni rerumpublicarum ſpeciei, ſummè ſalutaris, quibus

bus ex licentia occidendi sine discrimine tyrannos, certissimus imminet interitus. Nam plerique: optimi etiam principes, privatis & injustis malorum civium odiis, sub specie tyrannidis passim trucidarentur, unde in rebuspublicis novi periculosique motus excitarentur.

Hoc tamen canone solummodo tuti sunt illi tyranni, penes quos sunt aut jura majestatis, aut legitima dominatio; item principes, & domini justo gladio, aut jure aliquo imperium in subditos adepti. Horum enim, hisque consimilium personæ semper sanctæ debent esse subditis, ac civibus, sicut persona patroni & patris nunquam non sancta liberto subdito & filio videri debet.

Cæterum tyranni, quos nec voluntas populi, nec sors, nec hæreditas, non bellum legitimum, nec divinum responsum, ad imperium evexit, laudabiliter à quovis occiduntur juxta Bodinum. 5 Cui consentire videtur etiam sanctus Thomas. 6 Cujus rei ista potest reddi ratio, quod istiusmodi tyranni nec sunt domini, nec reges, nec principes, imo nec tyranni, nisi sermone abuti velimus, sed sunt publici latrones, rerumpublicarum invasores, atque oppressores, contra quos proinde ipsa natura unicuique arma ministrat, cum docet vim vi esse repellendam.

5 Lib. 2. de republ. cap. 5

6 In 2. Sent. art. pen cit. a Tholosano. Synt. Juris lib. 6. cap. 20.

Nec doctrina hæc pugnat cum prædicti concilii definitione. Nam concilium non dicit nullum tyrannum occidere licet, sed tantum istam propositionem damnat: *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcunque Vasallum suum, vel subditum, etiam per clancularias insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo.* Hanc, inquam, propositionem damnat, quæ docet sacramentum violare, fidemque frangere, & subditos armat contra legitimam potestatem, ut patet canonem diligenter consideranti.

§. III.

Quod est remedium contra Tyrannidem?

QUia tyrannum, cujus injuriæ, libidines, & crudelitates subditis sunt intolerabiles, non licet occidere, maximè si legitimus

gitimus fuerit princeps aut dominus, ideo remedia aliqua ſunt adhibenda, de non tollendo, ſaltem molliendo malo.

Primo ergo Alvaroti eſt conſilium, 1 ut hujus peſtis medicinam quæramus, aut apud Imperatorem Romanorum, aut apud ſummum Pontificem. Idem ſuggerit *Canon. Duo & Capitulum Imperator 96. diſtinctione,* ut ille pro ſua in omnes pietate ad defenſionem injuria oppreſſorum utatur quam habet in omnes poteſtate, imperiumque illi adimat, qui ex eo omne fas præſcripſit. Nec eſt inuſitatum iſtud remedium. Nam Zacharias Summus Pontifex amovit ut inutilem regno Childericum anno Domini 751. & ſubſtituit Pipinum. *Canon. alius* 15. quæſtione 6. 2. Et Stephanus Papa ſecundus privavit imperio Conſtantinum, & ejus filium Leonem, cum non ſubveniſſent contra Aſtulphum regem Longobardorum, & tranſtulit in Carolum Magnum. 3

1 Apud Toloſ. lib. 6. cap. 20.

2 Paul. Æmyl. lib 2. de geſt. Franc.

3 *Cap Venerabilem de elect. apud Gregor.*

Alterum remedium eſt patientia. *Durum* (inquit Flaccus: 4)

Sed levius fit patientia, quidquid corrigere eſt nefas.

Quia ut alter Poëta:

Sæpe premente DEo, fert Deus alter opem. 5

Ideo idem alibi. 6

Cedimus? An ſubitum luctando accendimus ignem?
Cedamus, leve fit, quod bene fertur onus.
Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

4 Lib. 1. ode 4.

5 Ovid 1. Triſt E eg. 2.

6 1. Amorum

Diuturna, inquies, patientia vertitur in furorem, & omne onus tempore redditur gravius. Sed ſi Tragico credimus:

Violenta nemo imperia continuit diu. 7

Omnis enim nimia potentia ſaluberrima brevitate conſtringitur. Evolve annales Perſarum, Græcorum, & Romanorum certiſſimè deprehendes, de omnibus tyrannorum imperiis illud Cornelii Taciti poſſe dici veriſſimè:

Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio, & Pompeji Craſſique potentia cito in Cæſarem, Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſere. 8

7 Senec. in Troad.

8 Annal. lib. 1. cap. 1.

Quid de paribus aut potentioribus loquor? Nemo non ſervus habet in tyrannos vitæ neciſque arbitrium, & quicunque vitam ſuam contempſit, illorum eſt dominus. Vidit & ille nimis

mis brevem atque caducam malorum principum dominationem qui dixit :

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem:
9 Senec. in Thyest. *Sequitur superbos ultor à tergo DEus.* 9

Baltasar rex in meridie florem suum coram optimatibus suis
10 Daniel. 5. 1 explicavit, 10 nocte sicut fœnum aruit. *Vidi* (inquit regius vates) *impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus lo-*
11 Psalm. 37. *cus ejus.* 11

Quod si quando diutiùs quis regnavit, diutiùs certè & tormenta sustinuit. Nam secundum Senecam :

12 in Thebaid. *Regna cum scelere omnibus exiliis sunt graviora.* 12

Unde etiam idem :

Ne metue, inquit, *pœnas & quidem solvet graves:*
13 Ibid. *Regnabit; hæc est pœna.* 13

Recte profectò regnum pœnam gravem judicat, quia in ipso est timor mortis pejor ipsa morte, isque non vanus aut puerilis. Unde Satyricus :

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
14 Juvenal. 10. *Descendunt reges, & sicca morte tyranni.* 14

Suspecta utcunque Poëtarum fides potuisset videri, nisi imperium esse pœnam usu edoctus Imperator Romanorum Saturnius, Princeps alioqui non pessimus, testaretur. *Nescitis,* inquit, *amici quid mali sit imperare, gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur, sin minus, inest furor. Nam quod Imperatorem me capitis, in necessitatem mortis me trahitis, Sed habeo solatium mortis,*
15 Fl. Vopisc. *solus perire non potero.* 15

Hæc atque hujus generis infinita clarè docent, tyrannos sibi quam aliis solere esse graviores, dominationesque illorum esse brevissimas, & quod consequens est, in illis tolerandis patientiam quoque non esse longam.

Tertium adversus tyrannidem remedium est probatissimum, Senatorum auctoritas, opes & splendor antiquarum familia-

rum, miles è patriæ nobilitate collectus, scholarum atque universitatum celebrium multitudo, viri docti, eruditi scriptores, Politici, Oratores, Poëtæ, denique summus erga patriam amor civium, summaque inter illos concordia.

Cum ergo ex his perspicuum sit, etiam huic malo, quod subinde Monarchica dominia infestat, non deesse suam medicinam, sequitur hac parte etiam Monarchiam non esse cæteris politiis deteriorem: aut si quis est, qui pessimum esse Monarchicum regimen ex eo existimat, quòd ex ea facilis sit lapsus in tyrannidem, is & voluntatem atque arbitrii humani libertatem rem esse omnium pessimam asserat oportet, quia etiam illa in vitia propendet, & frequenter crimina atrocissima committit.

CAPUT IX.

Vtrum reges nasci, an vero creari sit melius?

NAti an facti Monarchæ potior conditio sit, longa est altercatione quæsitum. Sucessionis aliis, aliis electionis placuit. Successionis principi congenitus ille honos est. Est namque princeps de principe natus, Electionis vero, natalium jure semoto, civium suffragiis designatur: natus majorum suorum regnandi seriem perpetuat, electus ipse sibi principium regni sui, ipse & finis: Qui nascitur in manu DEi est, qui eligitur, in hominum deliberatione.

Et quæstio quidem superficietenus inspecta ridicula posset videri, æque ac si quis quæreret, meliusne sit arte atque studio aliquid facere, an casu faciundum expectare? Revera tamen satis ardua est illius definitio, propter conflictum gravissimarum rationum, quæ pari robore pro electione atque successione militant. Ergo, antequam pro hac aut illa pronunciabo, argumenta seu rationes pro utraque in medium afferam.

§. I.

§. I.

Rationes, quibus suadetur Principis Electio.

QUantum consilium casui, tantùm electionem nativitati principis plurimi præcellere existimant. Nam

1 Seneca in Thyest.

Habere regnum casus est, virtus dare: 1

habere videlicet jure sanguinis, non suffragii: dare autem, virtute imperium sibi quærere, & laudatissimis moribus judicia civium promereri. Est autem maximè rationi consonum, & rerum naturæ consentaneum, ut omnibus imperaturus ab omnibus eligatur. Electus enim diligentiùs & cautius imperabit. Nam cum pleræque res iisdem artibus atque mediis, quibus acquiruntur, etiam custodiantur, tum vel maximè regna atque imperia eadem omnino industriâ conservantur, qua & quæruntur, juxta illud:

Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri.

Ergo judicio civium sceptrum quis adeptus, sollicitus erit, ut illud eodem judicio teneat, quod utique non contingit, sine magno virtutum studio, & perpetua erga cives gratitudine. Certissimum hujus rei argumentum habemus in Pertinace, optimo Romanorum imperatore, qui ad imperium voluntatibus optimorum civium evectus, & electoribus gratus extitit, & rempublicam ex voto omnium rexit. Gratitudinem, quam postea re ipsa demonstravit, his verbis in sua inauguratione firmissima fide populo pollicitus est, Me, inquit, magna ista atque egregia sicut honoris sensu obstupefaciunt, ita metu quodam curaque solicitant, siquidem arduum inprimis est, magnis acceptis beneficiis paria referre. Nam in beneficiorum vicissitudine, si magnam gratiam referat, qui parvam debuerit, non tam facilitas remunerandi expenditur, quàm in ipso argumentum grati animi commendatur. Sed cum prior quispiam eximia in te quædam contulerit, tum si illum parum amplè demerearis, non tam deesse quod reponas, quam ipse inops sensuum, ac planè ingratissimus, videare. Cerno igitur jam animo, quam mihi arduum sit propositum certamen, ne tanto à vobis accepto honore parùm me fortasse dignum exhibeam. Quippe non in sella ipsa fastigium digni-

„ dignitatis, sed in operibus situm, quæ illam minimè dedeco-
„ rent. Nam quantùm præterita odimus, tantùm de futuris
„ bene speramus. Et ut tenax est injuriarum memoria (quod
„ enim offendit nunquam obliteratur) sic beneficia ipso exci-
„ dunt usu. Siquidem non tam delectat libertas quam servitus
„ offendit. Neque habendam quisquam gratiam putat, quod
„ rebus suis pro arbitrio utatur, quippe id sibi deberi jure autu-
„ mat. Qui vero suis exuitur bonis, nunquam sanè injuria-
„ rum obliviscitur. Neque quisquam lucro apponit, quod uti-
„ litatem in commune pariat. Quæ enim publicè prosunt, pa-
„ rùm cuique curæ est. Sin quæ propria cujusque sunt, minus
„ ex sententia ceciderint, tum nemo secum satis benigne agi
„ putat. Ad hæc quicunque enormibus tyrannorum, atque
„ immensis largitionibus insuerunt, ii si frugaliùs paulo, aut
„ continentiùs ex pecuniæ inopia agere instituas, non tam id
„ moderatæ cuidam dispensationi prudentique attribuunt,
„ quàm avaritiam continuo sibi, & sordes exprobrant. Neque
„ autem cogitant neminem posse magna cuivis dilargiri, qui se
„ à vi, atque à rapinis abstineat. Qui autem rectè, ac pro cu-
„ jusque dignitate dispensat, non modo nihil cuiquam injustè
„ eripit, sed & cæteros frugi esse docet, & parcere parto. Hæc
„ igitur cum animis vestris reputantes adnitimini vos quoque
„ mecum patres, communemque hanc imperii administratio-
„ nem existimate. Quippe in republica optimatum non au-
„ tem sub tyrannide victuri, cum ipsi optimam habere spem,
„ tum reliquis etiam debetis polliceri. 2 Longior fui id refe- 2 Herodian. Hist. lib. 2.
renda ipsius oratione. Sed quia ingenium ex ipsa electi opti-
mique principis, facilè cognosci potest, consulto id feci.

Quam vero egregiè fuerit moderatus idem princeps imperium, inde colligere licet, quòd ab omnibus habitus fuerit serius & clemens princeps, parensque adeo magis quam Imperator. Et meritò: etenim & militibus edixerat, ne cui ex populo contumeliam facerent, neve quempiam viatorem pulsarent, cuncta denique ad honesti cultum, modestiamque referebat. Ipse cum ingrederetur, aut jus diceret, comem scilicet ac mansuetam indolem ostendebat: & cum Marcum inprimis referre videretur, seniores quidem admonitu delectabat, reliquos autem à crudeli contumeliosaque tyrannide, ad modestam vi-

tam tranquillamque vindicatos, facile ad se amandum impulerat. Quæ cum fama latiùs evagaretur, nationes omnes atque exercitus subjectos Romanis, aut amicos, ad deferendos ei divinos honores incitavit. Quin Barbari quoque, si qui aut frenos depulerant, aut seditiones moliebantur, metu virtutis quam præstitisse eum superioribus bellis meminissent, justitiæque fide, cum neminem ab illo scirent ultro offendi, sed gratiam cuique pro meritis referri, vimque abesse & crudelitatem, sponte illi se dediderunt. Legationes præterea undique confluebant gratulatum Romano populo, quod Pertinacis imperio gubernarentur. Ita omnibus publicè privatimque gratum fuit, modestum mansuetumque principem populo Romano contigisse. Certe ubique ille mitem illam civilemque gubernandi rationem diligentissimè servabat, milites à rapinis injuriisque ad temperatum vitæ cultum revocavit, quicquid in Italia aut alibi gentium inculti soli, etiamque sub regibus vacaret, id totum occupantibus ac colentibus adjudicavit, decemque annorum immunitatem, ac perpetuam libertatem agricolis concessit. Imperatoris autem possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorum & publicas: vectigalia quoque omnia, quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitaverant, in fluviorum ripis, in urbium portibus, perque vias & itinera, penitus remisit, atque in antiquam libertatem revocavit. Delatores præterea urbe exegerat, & objubi invenirentur, puniri imperaverat, cavens, ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur. Unde maxima tranquillitate beatissimoque rerum statu, senatus cæterique perfruebantur. Siquidem adeò se æquabilem, paremque cæteris præstabat, ut filium quoque jam adolescentem in aulam palatinam nunquam adduxerit, sed intra privatos parietes continuerit, sic ut ludum quoque literarium, atque gymnasia de more itaret, nihil privatis absimilis, erudireturque & omnia perinde ut quivis è medio agitaret, neque ullam aut tyrannicam, aut omnino imperatoriam pompam ostentaret. 3 Hæc vita, hi mores plerumque sunt regum atque principum, quos non sors nascendi, sed judicium eligentium summæ rerum præficit.

3 Idem ibidem.

Longe diversum ingenium natus princeps obtinet, qui nimium

mium tam de suo quam de suorum natorum imperio securus, negligit artes boni principis, civium studia non curat, subditos dura premit servitute, imo & tyrannide. Siquidem difficile est, in maxima licentia moderari sibi, quasique frenos imponere suis cupiditatibus. Possem innumerabiles in rem præsentem commemorare historias, sed ne longus sim, unus pro multis exemplum Commodi imperatoris itidem Romanorum attingam, qui Marco Imperatori patri suo in imperium successit, & cujus hæc fuit ad milites oratio. 4 *Nunc*, ait, *me post illum* (subaudi Marcum imperatorem) *vobis fortuna principem dedit, non quidem ascititium, quales ante me fuerunt, neque velut acquisito imperio gloriantem. quippe unus ego vobis natus educatusque in aula, privatisque intactum cunabulis, statim me, ut ex alvo prodieram, imperatoria purpura suscepit, simulque sol hominem me vidit, & principem. Hæc cum animis vestris reputantes jure principem colite non datum vobis sed natum. Nam pater quidem jam in cœlum evectus, consors est, consessorque deorum, nobis autem, orbis terrarum gubernacula, rerumque humanarum cura incumbit. Quæ quos successus quantasque habituræ sunt vires in vestra manu est.* 4 Herodian. Hist. lib. 1.

Hic ergo jactator juris sui, imperiique hæreditate obtenti, non dico negligenter rempublicam administrabat, sed ita se insolenter impudenterque in summa potestate gessit, ut ejus scelera neminem latuerint, imo nec ipse illa latere volebat, sed quæ domi non sine infamia patrabantur, ea etiam in publicum ostentare haud verebatur, eoque vecordiæ, petulantiæque processerat, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio Herculem se Jovis filium, jusserit appellari, depositoque usitato principum Romanorum cultu, leonis pellem substerneret, manuque clavam gestaret, simul purpureas sibi atque auro intextas vestes circumdaret, non sine omnium irrisione; quippe eodem schemate, & fœminarum luxum, & heroum virtutem repræsentabat. Talem se videlicet quotidie præstabat. Idemque mensium nomina demutavit, ac pro vetustis appellationibus, novas de suis cognominibus imposuit, quorum ad Herculem pleraque tanquam scilicet ad fortissimum referebantur. Quin statuas quoque sibi tota urbe poni jussit, inque iis unam pro curia, quæ arcum contenderet, ut etiam imagines ipsæ terrores atque minas præ se ferrent. 5 5 Idem ibidem.

 Deni-

Denique injustæ neci destinaverat ingentem illorum numerum, qui plurimùm auctoritatis in senatu obtinebant. Siquidem senes universos, paternos amicos tollere è medio, ne censura illorum sua interpellarentur flagitia, bonaque ipsa divitum dilargiri partim militibus, partim gladiatoribus decreverat, ut alteri se defenderent, alteri oblectarent. Quæ crudelitas certò certiùs ad exitium fuisset deducta, nisi libellus necis candidatos continens, cito fortuna incidisset in manus Martiæ, concubinæ illius, & ab illa ad Lætum exercitibus præfectum & electum, cubiculi custodem, quorum etiam nomina erant inscripta, devenisset, qui veneno illi propinato, fatum à se in ipsum auctorem transtulerunt.

Fuerunt & alia ipsi turpissima flagitia, valde familiaria, quæ si referre vellem, longiori sermone opus esset. Compendium gestorum illius his verbis complexus est Herodianus. 6 *Totam vitæ rationem studiis fœdissimis contaminavit.*

6 Hist lib. 1. in fin.

Atque hæc ideo studiosius recensui, ut electus princeps cum nato compositus clarius elucescat.

Jam verò ubi magis floret libertas populorum, quàm sub eo principe, quem non inviti patiuntur, & cui ipsi in se cives imperium dedere: modestè quidem & ex legibus regenti, perpetuum: potestate verò abutenti, pactaque non servanti, revocabile: ut in Romano germanico imperio fieri posse docuit publicè in Universitate Ingolstadiensi me audiente Dominus Erasmus Pascha Comes Palatinus Jurisque publici Professor, cujus piis manibus sit pax & lux sempiterna.

Taceo per electionem excitari vehementer studia virtutum in civibus, præsertim potentiâ & familiâ illustribus, ex quibus cum quilibet clavo imperii assidere possit, iis utique virtutibus studebit, quæ ad hoc fastigium solent extollere.

Hoc etiam electionem principis non leviter suadet, quòd sicut in gubernatione navis, non filius, si artis expers fuerit, succedit in parentis vices, sed qui optimè callet nauticarum rerum scientiam; ita administrandæ reipublicæ non hæres, & præsertim iners, debet se immiscere, sed illi, debet summa rerum deferri, cujus industria & humeri, tanto oneri sufficiunt: alioqui verendum est, ne vera fiat fabula Phaëtontis, qui currum paternum malè imperitèque regendo, & orbi incendium, & sibi exitium attulit. 7

7 Ovid. Metam. lib. 2.

Deni-

Denique in principibus idem omnino ſpectandum eſſe videtur, quod & in veſtibus atque ornamentis. Quemadmodum enim aliqua prudens atque nobilis matrona, nubilem filiam habens, oculiſque procorum illam ornare cupiens, non emit illi venales à propola veſtes, in caſum pro quocunque conſutas, quia illæ quaſi natæ, difficile omnibus membris adaptantur, ſed potius accepta purpurâ, aut tela aurea, ſecundum habitum menſuramque corporis puellæ conficit pro illa veſtimenta. Ita & reſpublica ut aptum regimini præficiat, non utique ad natum principem debet reſpicere, cujus fortaſſis vita atque mores, non ſunt publico optimo commodi; ſed talem eligere, cujus induſtria & vires pares viſæ fuerint tantæ moli ſuſtinendæ, & qui dedit plurima optimæ ſpei documenta.

§. II.

Adducuntur argumenta quæ ſuadent Principem natum.

BEatiorem eſſe rempublicam, in quâ ſumma rerum ſucceſſorio jure, & extra ſortem, uni maſculo ætatis prærogativam habenti committitur, quàm ubi ſuffragiis populi princeps creatur. Et inprimis offerunt ſe antiquitate vetuſtiſſima regna, quę à ſtirpe ducuntur, Aſſyriorum nimirum, Medorum, Perſarum, Ægyptiorum, Aſiaticorum, Parthorum, Armeniorum, Turcarum, Indorum, Africanorum, Tartarorum, Arabum, Moſchovitarum, Anglorum, Scotorum, Celtarum, Francorum, Hiſpanorum, Peruſinorum, Numidarum, Æthiopum. Quin etiam Græci quondam Athenienſes, Lacedæmonii, Sicyonii, Corinthii, Thebani, Epirotæ, Macedones, atque adeo Hetruſci ac Latini veteres, quam plurimis ſæculis, reges à ſtirpe regum habuerunt. 1 Solis ferè Sarmatis & Gothis ad electos imperia deferentibus: qui certè conſenſus, tot tantarumque nationum, filios ad regna paterna aſſumentium, vim utiliſſimæ, ac ſalutaris cujuſdam legis continere videtur. Profecto maxima eſt utilitas ſummum evitare incommodum, quod habent imperia jus ſuffragiorum ſervantia, videlicet Anarchiam: tempore enim interregni reſpublica ſine cujuſquam dominatu exiſtens, in eo diſcrimine ponitur, quo navis in mediis fluctibus gubernatore deſti-

1 Thucidides.

destituta, ac momento peritura, si tempestate abripiatur: & ut evadat pericula, attamen ferocissimis ac audacissimis civibus, campus ad licentiam aperitur, qui in fortunas vitasque innocentium impunè grassantur: quod malum eo perniciosius est, quod diutius propter discordiam eligentium, respublica est sine principe: quod contigit (ut infinita exempla prætermittam) in imperio Germanorum, ubi amplius octodecem annis nullus erat imperator, post cædem videlicet Vilielmi Comitis Batavorum, quem imperatorem renunciaverant suis suffragiis creatores ipsi, qui deinde Alphonso decimo Castuloniȩ regi imperium mandaverunt: hic tamen delatum honorem recusavit, ne vel subditorum arbitrio, vel principum invidiæ, vel sicariorum libidini pateret. 2

2 Bodin. lib. 6. de repub. cap. 5.

Nec medicina huic malo potest idonea reperiri. Nam si quæ esset, esset creatio procuratoris, aut ad senatum regiminis devolutio. Sed eadem diffidia quæ in eligendo rege æque oriuntur, etiam in eligendo imperii procuratore. Et ut contingat concors ipsius creatio, quis fidejusserit pro ipso, quominus si possit perpetuo esse in imperio, nolit, cui præsidium militare, quo eum stipatum esse necesse est, tam difficile est nolenti eripere, sicut clavam Herculi.

Penes Senatum etiam gubernacula esse, æquè periculosum est, tum, ne Monarchia, in Aristocratiam convertatur, tum ne potentiores, per factiones, & bella civilia ambiant imperia.

Sed fingamus salva esse omnia, summam eligentium concordiam, procurantium modestiam, Senatorum fidem, adhuc imperia sub electo domino sunt infelicia, & ruinæ obnoxia: qui enim sciunt non diuturnum esse suum dominium, nec illud ad filios suos perventurum, artibus variis publica & communia bona convertunt in privata, animis magistratuum promissionibus, & pecunia expugnatis: testis est hujus rei Robertus Imperator, qui tres urbes imperiales filio donavit, testes sunt & alii quos refert Bodinus rerum politicarum scriptor accuratissimus. 3 Sed illi illorumque similes, satis adhuc modestè se gerere in imperio videntur, qui particulis reipublicæ minutioribus sunt contenti: sunt alii præsertim liberis abundantes, qui vias omnes, natis, & seris suis nepotibus ad imperium muniunt.

3 Lib. 6. de rep. cap. 5.

Huc

Huc etiam ſpectat quod principes regna incertis ſucceſſoribus relicturi, plerumque minus ſunt ſolliciti, de eorum conſervatione, & augmento, publica omnia negligunt, vias publicas, pontes, fora, theatra, arces, propugnacula, munitiones civitatum, muros, & hujus generis alia ad ruinam inclinata non reficiunt, theſauris coacervandis intenti, ut ad hæredes, ad quos non transmittunt jura majeſtatis, ſaltem divitias & potentiam transmittant.

Porro quod plerique cenſent principibus natis proprium eſſe vitium ſuperbiæ, atque inſolentiæ, id profectò perpetuum non eſt, & etiam, ut ex collatis exemplis patet, electis æquè ac natis uſitatum, imo fortè magis eſt familiare. Nam qui populi ſuffragio creantur, inſolito honore affecti, ſeipſos non capiunt, & ſupra modum rerum humanarum tument. atque ſi adhuc privatam vitam in obſcuro loco habuerunt, ad imperium provecti, fortunæ tradunt mores, & tyrannidem crudeliùs exercent, quam regali ſanguine oriundi, ut ſit veriſſimum quod dicitur.

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Rhamnus arbor contemptiſſima ſpiniſque acutis horrida, ad imperium à cæteris lignis vocata, imperat ut omnia etiam excelſiſſima ligna, ſe frangant, & ſub umbram ipſius, fruticis humi ſerpentis ſe inclinent. *Si* (inquit) *me regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub umbra mea requieſcite, ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno & devoret Cedros Libani.* 4 Inſolentia Commodi Imperatoris, ſuperius commemorata, non fuit ex vitio nativitatis, certe erat feliciter natus ex Marco imperatore Romanorum optimo, omnibuſque cariſſimo, qui eum magna diligentiâ curaque indicavit, accitis undique viris, doctrina claris, maximaque propoſita mercede, uti mores pro ſe quiſque filii, ingeniumque excolerent. Nec inutilis fuit illa parentis circa inſtitutionem filii ſollicitudo, quippe optimis artibus & moribus dignum ſe ille ſolio paterno præſtiterat, in quo ab initio egregia ſpecimina optimi principis exhibuit, propter quę omnes illum amabant, & quidem veriſſimis affectibus, donec menſarii adulatores, qui ventre atque obſcœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, urbis Romanæ delicias commemorando, adoleſcentis imperatoris animum voluptatum cupidinibus incenderent,

4 Judicum 9.

rent, & ab amore patriæ animum illius averterent, peſſimorum
5 Herodian. Hiſt. lib. 1. civium inſidiæ principi ſatis adhuc commodo ſtructæ, 5 Quod quidem in Commodo non laudo, qui à recto curſu nequaquam aliorum vitio debuit auferri, ſed interim nec electos principes
6 Bell. Jugurth. ſimili labe carere ajo, *Scio ego* (inquit Marius 6) *pleroſque non iiſdem artibus imperium petere, & poſtquam adepti ſunt gerere: primo induſtrios, ſupplices, modicos eſſe, dein per ignaviam & ſuperbiam ætatem agere.*

Nec illud ſempiternæ veritatis eſt, quod penè ab omnibus aſſeritur, virtutem in electo, fortunam in nato principe eſſe electricem. Gentilium fide, non tamen ſapientiorum, fortuna rerum humanarum domina eſſe credebatur. Chriſtiana religio cum omnia ad conſilium ſupremi rerum omnium gubernatoris DEi referat, tum præcipuè rectorum ſupra populos conſtitutionem, juxta illud: *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: Per me principes imperant & potentes decernunt*
7 Proverb. 8. *juſtitiam.* 7 Imo gentiles multi cœlitus principes dari credebant, ut conſtat vel ex illis verbis Caji Plinii. *Si adhuc,* inquit,
8 In Paneg. Trajano dicto. *dubium fuiſſet, forte caſuque rectores terris an aliquo numine darentur, principem tamen noſtrum liqueret divinitus conſtitutum.* 8

Cum itaque conſtet omnes principes regeſque ad imperia à DEo evehi, dubium non eſt genitos principes magis quodam modo pleniùſque regendi poteſtatem habere à DEo, quam per electionem creatos, illi enim ſola DEi diſpoſitione, hi etiam humana electione rerum potiuntur. Et quia eligentes ſibi principem plus videntur confidere ſuæ induſtriæ, quam divinę providentiæ, (alioqui enim ſinerent regnare eum, quem DEus ſorte naſcendi præparat imperio) ideo, DEo contemptum ſuum caſtigante, fit ut in illum omnium conſpirent voluntates, qui pœnas ſumat eorum diffidentiæ.

Taceo ſæpenumero fieri electionem non judicio, ſed affectu, pecunia conducto; ſæpe ſordes & corruptelas intervenire. Profecto non unus eſt etiamnum Marius, qui modios argenti plenos in comitium diribitores ferre juſſit, ut ſuffragia plebis
9 Plutarch in Mario. lucro inhiantis coemeret. 9 Non unus Cneius Pompeius, qui idem feciſſe traditur. Non unus Stratocles & Damoclides, qui ineunte magiſtratu, ad auream meſſem ſe proficiſci publicè jactabant.

Deni-

Denique reipublicæ principem eligenti maxima impendet procella, à filiis regum repulſam ab imperio ferentibus, præſertim ſi opibus & virtute polleant. Manet enim alta mente repoſtum judicium tale. Scribitque in marmore læſus. Alexander Macedo adoleſcentulus adhuc, votum Attali, alium neſcio quem præter Alexandrum, ad regnum ſucceſſorem deſiderantis, ultus eſt inſigniter, poculumque in eum conjecit. 10 Tarquinius culpâ ſuâ regno exciderat, & tamen nihil non egit, ut illud repeteret: Vejentes ac Tarquinienſes duos duarum civitatum exercitus ad recuperandum regnum adverſus Romanos eduxit, & in prælio Brutum, in patrium regnum ſucceſſorem occidit. 11 Cui malo ut occurratur, potentiſſimi populi, & maximè Poloni, tametſi nulla vi regum creationem ſibi eripi patiantur, filios tamen eorum, omnibus anteferri putant oportere, ut ſucceſſionis beneficio, bellorum civilium, aut etiam externorum ſtirpes elidantur.

10 Supplem. Q. Curt. lib. 1.

11 Tit. Livius lib. 2.

§. III.

Qualis Princeps debet eligi?

LIcet propter prædictas rationes ſucceſſionem principum prætulerim illorum electioni; quia tamen etiam electio non levia habet commoda, propter quæ potentiſſimis nobiliſſimiſque populis ſanctiſſima eſt, & diligentiſſime debet obſervari: ideo quæ in illa conſiderare oporteat, paucis indicabo. Sunt autem iſta præcipua, Sexus, Genus, Patria, ætas, ſcientia, mores, & corporis habitus.

Ergo in principe eligendo inprimis ratio ſexus vel maxime eſt habenda, ut nimirum ad ſceptrum vir promoveatur & nulla ratione fœmina, quæ ut plurimum vivit paſſione non ratione, & cujus conſilium etiam adverſus propria commoda plerumque laborat. Qua de cauſa Sancto Auguſtino 1 obſervante in tota ſacra Scriptura non legitur quod fœmina unquam ſucceſſerit in regno. Si quæ gentes ſunt, quæ fœminas in imperium admiſerunt, & ex lancearii (ut ita dicam) fuſaria regna fecerunt, æquè ignavæ ſunt, & æquè effœminatæ, atque principe ad nihil aliud utentes, quam ut mollius corruant, uti de Aſianis legimus. 2 Certe natura non in hoc finxit fœminam, ut imperet, ſed ut pareat. Quam legem Deus etiam Optimus

1 Formarium Provincial.

2 Arrian. Nicomed. lib. de Geſt. Alex.

Maximus ſanctiſſimo ſuo decreto confirmavit, virorum poteſtati mulieres ſubjiciens. Quin etiam leges imperatoriæ non tantum omnes fœminas ab imperio, ſed etiam à quovis publico negotio removerunt, & ad ſolum colum fuſumque damnarunt.

Alterum quod in candidatis ad principatum ſpectari debet, eſt genus, & ſplendor natalium. Raro enim ignobiles loco bonis reperiuntur moribus, & ſemper ferè

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces,
Progenerant aquilæ columbam. 3

3 Horat. lib. 4. ode 4.

Nobilitas Conſtantini, Conſtantii filii, imperatoris inprimis ejus laudibus celebratur. *A primo*, inquit orator, *incipiam originis tuæ numine, quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant, plurimum ſciunt. Ab illo enim divo Claudio manet in te avita cognatio, qui Romani imperii ſolutam & perditam diſciplinam primus reformavit, immaneſque Gothorum copias, Ponti faucibus, & Iſtri ore proruptas, terra marique delevit, utinam diuturnior recreator hominum, quam maturior deorum comes.*

Et paulo poſt. *Inter omnes participes majeſtatis tuæ hoc habes Conſtantine præcipuum, quod imperator es, tantaq; eſt nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium, nec poſſit fortuna numini tuo imputare, quod tuum eſt, omiſſo habitu & ſuffragatione: non fortuita hominum conſenſio, non repentinus aliquis favoris eventus te principem fecit, imperium naſcendo meruiſti.* 4

4 Paneg. Conſt. Fil. dict.

Sacræ etiam literæ ad felicitatem populorum referunt principum nobilitatem. *Beata* (inquit) *terra, cujus rex nobilis eſt.* 5 Et regis Chaldæorum idolum cæteras corporis partes, ex ignobilioribus metallis, caput ex auro optimo habuit, non obſcuro indicio, regnorum capita nobiliſſima eſſe debere. 6

5 Eccl. 10.
6 Daniel. 2.

Tertiò conſideranda eſt patria, ut nimirum, qui ad imperium aſpirat, civis ſit, & non peregrinus. Lycurgus & Solon privatos etiam homines non ſunt paſſi in ſuis rebuspublicis, 7 quantò minùs ergo principes? Et videtur quidem id requirere ſtabilitas imperiorum, ut incolæ potiùs quam peregrini illa adminiſtrent. Ariſtoteles novem civitatum exempla recenſet, quibus peregrinitas infortunium creavit. 8 Scytharum orator Alexandro ſupra Scythas imperium ambienti dixit : *Alienigenam domi-*

7 Plutarch. in Lycurg. & Solone.
8 5. Polit. cap 3.

dominum pati nemo vult. 9 Et Æmilius semper scribit, cives irasci, si sibi præficiantur alienigenæ, 10 quia juxta Patritium 11 cives semper putant se contemni, si ab alienigenis regantur, libentiusque obediunt suæ nationis & sanguinis hominibus, quàm extraneis. Decem anni nunc, aut circa sunt, ex quo fui in Hungaria ubi audivi nonnullos Hungaros Posonii murmurantes, indignéque ferentes, quòd in aliquibus locis Ferdinandus secundus Imperator gubernatores Germanicæ nationis posuerit supra cervices Hungaricas.

9 Curtius lib. 7.
10 3. De rebus gest. Franc.
11 De rep. titu. 2.

Et divina lege cautum erat sanctissimè, ne principem peregrinum sacer sibi populus asciscerct. Est autem & ratio hæc, quòd peregrinorum principum suspecta sit fides erga subditos alienigenas, ne scilicet illi populo, unde ortus est potiùs, quàm cui imperat, faveat, neve levissima re offensus rempublicam prodat suæ nationi, aut ad minimùm thesauros ex regno in patriam transportet. Et quamvis fuerint principes integerrimi, & erga populum cui præsunt fidissimi, nunquam tamen subditorum cogitationes possunt esse quietæ. Considerant enim homines in similibus negotiis, non quid debeat, aut velit, sed quid possit facere is, quem nemo præter DEum arguit de peccato. Hoc etiam peregrinos arcet ab imperio, quod difficile sit populo, accommodare se principibus alienam linguam loquentibus. Non contemnenda profectò est etiam hæc pars. Nam in gravem afflictionem refertur in sacris, linguam quam quis non novit audire. 12 Sæpe enim, dum alia jubentur, alia intelliguntur, jubentis animus calescit in iram, quasi despectus, & obedientis in odium, quasi depressus. Quartò, in electione principis debet videri, ut ætas tanto officio sit idonea, ejusmodi autem est media inter senectutem & juventutem. Senes enim sunt non diuturni, juvenes violenti & temerarii, senes brevis gaudii, juvenes diuturnæ expectationis, & difficillimæ emendationis. Si tamen alteruter necessario eligendus est, senex est præferendus. Dedecet enim patrem patriæ esse impuberem: *Væ terræ, cujus rex puer est, & cujus principes mane comedunt.* 13 Ingenia adolescentum facile à recta honestaque disciplina ad luxum voluptatesque delabuntur, ut testatur multorum memoria principum, qui juvenes imperium susceperant, Dionysii videlicet Siciliæ tyranni, cujus tanta fuit victus intemperantia, ut nova-

12 Psalm. 80.
13 Eccles. 10.

rum voluptatum magiſtros ſummis afficeret præmiis: deinde illorum, qui Alexandro ſucceſſerant, ita enim contumelioſè violenterque dominati ſunt, ut illius imperio grave dedecus conciliarint. Siquidem Ptolomæus, eo turpitudinis prolapſus eſt, ut contra Macedonum, atque adeo Græcorum omnium leges, etiam ſororiis amoribus implicaretur. Antigonus autem quo Liberum patrem repręſentaret pro cauſia & diademate Macedonico, hederam capiti circumdare, tyrſumque pro ſceptro geſtare ſolitus erat. Quid dicam de Nerone, qui ne à materna quidem cæde abſtinuit, & ſe ridiculum populo ſpectaculum prębuit? Quid de Domitiano, qui nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliqui fecit? quid denique de Commodo, qui ut paulò ante dixi, totam vitę rationem, ſtudiis fœdiſſimis contaminavit. 14

14 Herodian. Hiſt. lib. 1. in fine.

In laudibus Trajani optimi Romanorum imperatoris recenſetur ætatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere DEûm, feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendam majeſtatem ornata cęſaries. 15 Reſpublica Romana quam religioſa fuerit in ætate principis attendendæ, licet conjicere ex Latino Pacato. 16

15 in Paneg. Trajano dicto

16 in Paneg. Theod. dicto.

„ An vero, inquit, quicquam putamus in imperii tui declaratione præteritum; quum ductam eſſe rationem ipſorum „ etiam videamus annorum. Cujus quidem rei, ita fuit cura „ majoribus, ut non ſolum in ampliſſimis magiſtratibus adipiſcendis, ſed in præturis quoque aut ædilitatibus capeſcendis „ ætas ſpectata ſit petitorum, nec quiſquam tantùm valuerit „ nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præſcriptos, feſtinatis honoribus occupârit. Nec injuria id quidem, nam & qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico, ut non cadant, titubant. Annon clariſſimos nominis Romani viros (illos Catulos, Scipiones loquor) aliquantiſper ſibi luxuria vendicavit? „ quos etſi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, & naufragos atque fluctuantes „ ab illis quibus merſabantur erroribus ægrè ætas recepit. Bene igitur cuncta quadrarunt, & cæteris quæ innumera congruebant, anni quoque ſuum junxere ſuffragium, qui ſoli in „ homine perfecti, bono duarum potiuntur ætatum, virtute juvenum, & maturitate ſeniorum.

Quinta commendatio ad imperium eſt ſcientia, neceſſe enim

eſt

est ut princeps suo capite sapiat, quo propriis modis populo consulat, ne alioqui regem in solio constituere credentes, simium in tribunali statuant 17 & qui ad terrendum positus, ad ridendum excitet aliena mente recturus, & natantium more, non iturus sed ferendus. Itaque non immerito rex idemque vates sanctissimus David psallit ad Dominum: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* 18 Idem filius ejus regum sapientissimus Salomon instanter petit à Domino. *Et nunc Domine DEus tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo, ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Addit sacer textus. *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulaßet hujuscemodi rem.*

17 S. Bern. ad Eugen. lib. 1.

18 Psalm. 118.

Sapiens meliorem dicit esse sapientiam, quam vires, & virum prudentem, quàm fortem, unde etiam omnes principes adhortatur ad sapientiam. *Audite ergo*, inquit, *reges & intelligite, & discite judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum.* Et paulo post. *Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam & non excidatis qui enim custodierint justitiam, juste judicabuntur, & qui didicerint justa invenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos & habebitis disciplinam.* Et denique adjicit. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. diligite lumen sapientiæ qui præestis populis.* 19

19 Sapien. 6.

Sexto, necesse est, ut is qui sceptra capit, laudatæ sit vitæ & mores habeat probatos, qui ex rebus gestis, & tota anteacta vita perspiciuntur. Est certissima conjectatio ex præteritis futurorum, ex gestis gerendorum. Qui autem aut quales esse debeant isti mores, fortassis aliquando peculiari de hoc opusculo differemus. Nunc breviter, in regibus atque principibus requiritur justitia, fides, temperantia, fortitudo, clementia, liberalitas, magnificentia, & constans amor erga sibi subditos.

Septimo, imperaturi etiam corporis forma debent cæteris præcellere. Laudata enim species prodit animi probitatem, & de-

decor externus internæ pulchritudinis effusio est. Quare non soli milites aliquando Mitium elegerunt, quòd esset in castris
20 Diaco. in Consta. pulcherrimus, 20 sed etiam Curtio testante plurimis gentibus in majestate corporis veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie natura di-
21. Lib. 6. gnata est donare. 21 Aristotelis maximi auctoris scitum est: Si qui nascantur, tanto aliis corpore excellentiores, quanto simulachris hominum antecellunt deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his serviant.

Romanis usitatissimum fuit observare vultus eorum, qui ad principatum assumebantur: quo nomine laudavit orator Ma-
„ ximianum. O divinum tuum, inquit, Maximiane judicium,
„ qui hunc tibi jure adeptionis nepotem, majestatis ordine fi-
„ lium, etiam generum esse voluisti: divi inquam Constantii
„ filium, in quem se prima illius juventa transfudit, in cujus
„ ore cœlestes illius vultus natura signavit, qui aspectum illius
„ ad deorum concilia translati, adhuc desiderantibus nobis suf-
„ ficit pro duobus. Neque enim forma tantùm in te patris,
„ Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, pru-
22 Paneg. „ dentia, sese votis gentium præsentant. 22 Idem omnino facit & Theodosii imperatoris encomiastes Latinus Pacatus. O
„ digna, inquit, imperatoris nobilitas, ejus principis esse fili-
„ um, qui hunc Romani fastigii apicem, non solum fortitudi-
„ ne atque sapientiâ, sed decore etiam corporis & dignitate
„ potuerit æquare, velut tua hæc forma venerabilis, quàm for-
„ tunæ suæ par est, quàm longè latèque conspicua commendat
„ imperium, ut plane in ambiguo sit, utrum te magis nostris
„ mentibus an obtutibus vultus insinuet. Non frustra sane o-
„ pinione sapientum, qui naturalium momenta causarum sub-
„ tilius sciscitati, arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt,
„ angustissima quoque species plurimùm creditur trahere de
„ cœlo. Sive enim divinus ille animus, venturus in corpus, di-
„ gnum prius metatur hospitium, sive quum venerit finxit ha-
„ bitaculum pro habitu suo, sive alium ex alio crescit, & cum
„ se patria junxerunt, utraque majora sunt. Parcam arcanum
„ cœleste rimari, tibi istud soli pateat imperator cum Deo
„ consorte secretum: illud dicam, quod intellexisse hominem,
„ & dixisse fas est, talem esse debere, qui à gentibus adoratur,
23 Paneg. Theod. Aug. dicto. „ cui toto orbe terrarum privata vel publica vota redduntur. 23
Cele-

Celebris etiam est scriptoribus forma Commodi Imperatoris, cui præter ætatis florem suffragabatur congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flava & crispa cæsaries, ut in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, sic ut euntem quidam scobe aurea putarent conspergi, quidam etiam pro argumento divinitatis acciperent, ac radios esse illos circa verticem genitivos opinarentur. 24

24 Herodian. Hist. lib. 1.

Nec gentilium tantum mos fuit, corporis majestatem in principibus magnifacere, sed etiam pro Hebræis elegerat Dominus DEus regem, qui altior fuit universo populo, à humero & sursum. Unde Propheta Samuel ad omnem populum ait: Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi, in omni populo. 25 Denique rex regum Christus, salutis nostræ assertor, speciosus est præ filiis hominum, cui dicitur: *Specie & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna.*

25 1. Reg. 10.

CAPUT X.

De Rerumpublicarum Mutatione & Eversione.

Commune est rebuspub. cum omnibus rebus quæ habent ortum, habere interitum. Perpetua enim illa in omnibus rebus (ut loquitur Seneca) lex est, ut ad summum perducta rursus ad infimum, velociùs quidem, quàm ascenderunt, relabantur. Causæ autem eversionis variæ à scriptoribus afferuntur.

Primam causam dicunt esse Deum, qui ut est benignus rerumpub. conditor, ita & justus earundem eversor, ut id diserté sacra scriptura asserit, dum dicit: *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos & expulisti eos.* 1 Et alibi. *Ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit.* 2

1 Psalm. 44.
2 Dan. 2.

Secunda causa est magistratus injustitia, quando vel sceleribus & flagitiis contra leges datur impunitas, vel innocentia opprimitur. *Regnum*, ait Ecclesiasticus, *à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* 3

3 Cap. 10.

Tertia causa est magistratuum discordia, in quam naturaliter proni sunt animi eorum, qui se cæteris plus posse confidunt, atque inde florentissima perdunt imperia.

Quar-

Quarta causa est ambitio, dominandi nimirum libido, & avaritia. Quinta intempestiva magistratus abdicatio: Sexta tyrannis: Septima idololatria: octava libido: nona luxus: decima superbia: undecima pauperum oppressio. Huc etiam spectant, factiones, defectiones, seditiones, proditiones, conjurationes, bella civilia: ut id infinita testantur exempla, quorum plenæ sunt sacræ & profanæ historiæ.

Caput XI.

De Rerumpublicarum Conservatione.



Cum contraria contrariorum sint teste Philosopho efficientia 1 dubitare potest nemo, causas, quæ supra enumeratæ sunt contrariæ, salutem rerump. conservare.

1 Arist. 5. Pol. cap. 8.

Ac inter illas prima est pietas & religio, quæ rectè à Platone fundamentum reipub. constituitur, 2 & qua sublata, simul tollitur fides, & societas generis humani, & excellentissima virtus justitia.

2 Polit. 2.

Altera causa conservans resp. est sapientia, neque enim magnificis murorum structuris, neque infinita civium multitudine, vel gubernatur vel continetur civitas, sed prudentiâ & moderatione rectorum. Et quamvis respublicæ labantur, ac ruant, facile tamen per sapientiam emendari & ad rectum statum revocari possunt.

Tertia causa est legum observatio, nam tamdiu sunt incolumes respub., quamdiu & bonæ leges. Qua de causa Spartæ Timoris templum juxta tribunal Ephororum collocatum fuit: ut iis qui legibus non parerent, pœnæ metus injiceretur.

Quarta causa est justitia, quinta concordia, sexta pœnæ delictorum, septima principum ac magistratuum vigilantia, octava mediocritas ac moderatio in divitiis, honoribus, victu, vestitu, aliisque rebus omnibus observata: nona, illustrium familiarum conservatio: decima ærarii cura: undecima factionis ac seditionis ducum tempestiva oppressio.

FINIS.

Omnia subsint censuræ sacræ Romanæ Ecclesiæ.



29:6:1666.